Class 270 F Book Se5B
General Theological Seminary Library
Ninth Ave. and 20th St., New York.
Besides the main topic this book also treats of

Subject No.	*On page*	*Subject No.*	*On page*

Soc. for Prom. Rel. and Learn

D. IOH. SAL. SEMLERI
PROFESSORIS THEOL. P. O. IN REGIA FRIDERICIANA

HISTORIAE ECCLESIASTICAE SELECTA CAPITA.

CVM

EPITOME CANONVM

EXCERPTIS DOGMATICIS ET TABVLIS CHRONOLOGICIS.

CHR. THEOL. SEM. OF THE SEMINARY

TOMVS TERTIVS.

SECVL. XII—XV.

HALAE,
IMPENSIS IOHANNIS GODOFREDI TRAMPII
MDCCLXIX.

14212

PRAEFATIO.

Tertium hoc volumen *selectorum* histor. eccles. *capitum* lectoribus verecunde offero, quod ad seculum 16 pertingit. Non iuuat vel memoria repetere tot taedia, et molesta atque parum iucunda studia, quibus me tandem subducere tantisper licet; quorum, licet non exiguam patientiam exercuerint, operae illud tantum referam pretium, quod sciam, adiuuandae publicae vtilitati me magis, quam gloriae et famae priuatae studuisse. Istam enim prouinciam, quae tam facile laudem ad plures amatores inuenit, aliis omnino reliqui; illam vero non negligenter procurandam suscepi, quae facilius cum communi vtilitate, quam cum laudandi consuetudine vulgari coniungatur. Si tantum breuis et exilis fiat vsitatarum rerum descriptio, etiam stili ornatus non desit: tamen facile patet, liberalem abesse omnem fructum. Atque solent pleraeque huius generis res memoria dignae vel ab iis peritis historiae praeceptoribus iusto loco referri, qui rei publicae iuuandae inter nos dant operam; adeo ista omnia non praecipue ad *Theologiae* prouinciam referuntur. Illa vero capita maxime hic spectanda erant, qua ratione religionis christianae forma immutata atque adaucta fuerit, sic quidem, vt politicis hominum consiliis magis magisque inseruierit; quasi domini terrarum sapientes deessent, aut eis surripienda sit humanarum rerum, quae ad homines in societate refertur, administratio. Tum quomodo

ipsa religionis corruptio sensim creuerit, quibus artibus propagata fuerit, et sic confirmata, vt ista impedimenta communis hominum felicitatis, pro adiumentis diuinioris virtutis haberi coeperint. Hoc si ex istis praeceptionibus, quibus historia abundat, fideliter discitur, colligimus christianae virtutis ea adiumenta, quibus nostra aetas suo iure sic proficit, vt vetustiorum et vitia abiiciat, et decora admittat.

Non ignoro et aliis rebus opus esse; quae ad eruditionis quasi ius et fas pertinent; dedi et iis operam, sed praecipue illi consilio. Superest, vt in tanta rerum copia et magnitudine fit, multum, quod et alii agant, quibus non inuidebo, si bene meritis me vincant. Seculo 14 minus temporis impendere ob nundinas licuit; vt tabula facile prodit. Ceterum semper eo sum animo, vt et moneri et corrigi libenter velim. Si valetudo paululum confirmatur, dabo operam, vt *quarto volumine*, quod praecipue *emendatorum publicorum sacrorum*, atque illorum historiam ad nostram aetatem complectetur, praecipue spectetur, quantum iam lucis et adiumenti istis tribus voluminibus ad hanc caussam comparatum sit: siue ad historiam publicae doctrinae, siue ad prudentiam et salutarem vsum. Tandem rerum *index*, quasi *lexicon ecclesiasticum*, multa supplebit atque addet, quae interea mihi obseruata sunt; si deus istam vitam seruauerit. Faxit Deus, vt benigna illa et saluberrima religionis christianae indoles ex probiore et integriore eius historia ad homines plures magis magisque commendetur! Dab. *Halae* in Frideric. Regia d. 6 Octobr. 1769.

I. S. Semler.

SELECTA

HISTOR. ECCLESIASTICAE

SECVL. XII - XV.

CAPITA.

SECVLVM XII.

CAP. I.

De romanis Pontificibus.

Continuarunt et hoc seculo lites funestae inter imperium et sacerdotium; nec defuerunt turpia papae studia, vt ecclesiae monarchiam aduersus terrarum dominos adiuuaret, quasi felicitas christianae rei locum non haberet, nisi florente et crescente romani papae tyrannide. Cum minus vtilis iam esset *Conradus*, Henrici filius, rebellis, si quidem Henrici potestas in Italia parum timebatur: ab *Auiano* medico Mathildis, accepta potione vitam finiuit, a. 1101 (*Landulfus* de S. Paulo, in historia mediol. c. 1.) Dederunt tamen multi scriptores ex catholica parte operam, vt laudes Conradi celebrarent, quem apud posteros minus bene audire praeuidebant; (abbas Vrspergensis, e quo habet annalista Saxo; non contra, vt dicere solet auctor notarum german. ad Muratorii historiam Italiae; *Dodechinus*, alii.) Curauit iam *Paschalis*, vt *Mathildis* donationem istam iterum confirmaret, per manum *Bernardi*, cardinalis et legati rom. eccles. atque

ſupereſt documentum a. 1102 *Donizoni* adiectum; a. 1104 alius *Henrici* filius, quem iam regem fecerat, a prauis hominibus, (nobiles Baioariae) *ſub ſpecie religionis*, (*Otto* Friſing. lib. 7. c. 8.) eo adducitur, vt contra iusiurandum, (numquam ſe regnum ſine patris conſenſu inuaſurum.) aduerſus patrem inſurgeret. Papae turpia ſtudia non defuerunt; eius litterae ad *Henricum* hunc quintum, fil. recenſentur apud *Hermannum*, tornacenſem, in *dacheriano* ſpicileg. tom. 2. fol. 914. "Interea *callidus* papa Henricum adoſcentem litteris *concitat aduerſus* patrem, et vt *eccleſiae dei* auxilietur, admonet &c. tandem pater a filio (contra datam fidem, apud *Bingam*, captus, epiſtola patris Baron. 1106. n. 12. et) in caſtello incluſus; epiſtolam patris ad *Philippum* regem hic auctor non ignorauit, quam edidit Reiner. *Reineccius*, cum vita Henrici 4, inter alias epiſtolas; habet et *Baronius*; cum alia epiſtola imperatoris eiusdem ad *Paſchalem;* quam papa ita ſpreuit, vt per legatos excommunicationem confirmarit, et filio rebelli ſponſor fuerit, iuramenti olim praeſtiti nulla religione ipſum teneri debere; (per *Gebehardum* conſtant. ipſi promittens *abſolutionem in iudicio futuro*, ſi vellet gubernator iuſtus eſſe eccleſiae; annal. *Hildeſienſis*, ex eo Annaliſta Saxo 1105.) Ex iſto tornacenſi auctore fol. 920 addimus curiam huius papae, dediſſe operam, vt ne *Saluſtii* ſententia falſa eſſet, *omnia venalia Romae*; quod ex narratione de tornacenſi eccleſia ſatis patet. Tacet *Baronius*, tacet etiam *Sandini*; Muratorius autem dubitare auſus eſt, de iſtis foedis papae ſtudiis; ſed quis tandem oculis ſuis et hiſtoriae non fidat? Non ſupererant fideles imperatoris amici; filius et papae ſerui corruperant omnes; itaque 1106 reddidit inſignia regni, coronam, crucem, lanceam, et gladium; nihil autem iuſtae preces apud legatum papae, et admonitiones apud filium, valuerunt; filius *rex* loco patris proditus; ille autem hoc anno Leodii in luctu mortuus; poenitentiae iſtam turpem laruam, qui ei morituro imponunt, ſic factum fuiſſe perſuadere quidem volunt; ſed ſine aucto-

rita-

ritate. Mortui cadauer, quod ep. leodiens. in monasterio sepelierat, effossum, et in loco non consecrato repositum; sic *Spirae* mansit per quinquennium inhumatum. Addit Baronius: mors Henrici gaudium orbis; gaudium certe improbissimorum omnium, qui infami ecclesiae nomine imperitis imponunt. Imperatoris tamen auctoritate vsus *Wernherus*, marchio Anconae, Romae alium papam *Silvestrum*, contra *Paschalem* constituit, siue hoc eodem anno, siue 1105 iam; licet defuerit consiliis euentus. In Galliam profectus *Paschalis* a. 1107, obsecutus legatis suis, qui comitia ista *moguntina* habuerant; ad *instaurandam*, si placet, sanctam ecclesiam, Henrici senioris persecutione concussam. Mitigauit papa, epistola ad omnes clericos, (Baron. 1106. n. 35.) excommunicationis vim, vt facilius iam ad suas partes pertraheret eos, qui dicerent, dolore se tangi, ob communionem eum excommunicatis; ipsos autem excommunicatos multum differre. Misit iam *Henricus* legatos ad papam, in concilio *trecensi*, qui significarent papae et vniuerso concilio: potestatem *constituendi episcopos* priuilegiis apostolicis Carolo imperatori concessam; itaque et Henricum eamdem sibi tribuere. Papa non parum turbatus fuit; conquestus, nec *dum humilitatem*, quam quaesiuit, *in germanicis cordibus* se inuenire; itaque nec ausus est Germaniam ingredi. Dubia fuit etiam in Anglia pax inter regnum et sacerdotium; *hominium* rex constanter retinuit; et concessit papa (ad Anselmum epistola, Baron. 1109. n. 8) donec per dei gratiam ad hoc omittendum imbribus praedicationis Anselmi, molliatur. Post varias in Italia caedes, pro recuperandis S. Petri bonis variis, 1110 in concil. *lateranensi* contra *inuestituras* papa renouauit decreta, quia legati *Henrici* iam *Romae* de ea causa egerant; *Henricus* iam ipse in Italiam perrexit, bonis verbis et promissis non parcens; benedictionem, si placet, imperialem percepturus; ex *Petro* diac. chronic. cassin. lib. 4 c. 37 repetit *Baronius*, conditiones, de quibus inter legatos vtriusque partis conuenerat. Idem Baronius a. 1111, n. 2

exhibet acta *futrina:* promittit papa, se praecepturum episcopis, vt regi et regno *dimittant*, quae *ad regnum pertinebant*, tempore *Ludouici*, *Henrici* et praedecessorum; ne quis eorum inuadat regalia, ciuitates, ducatus, comitatus, monetas, mercatum — et castra regni — sed varie haec causa narratur, aliter ab iis, qui papae studebant, aliter ab aliis. *Paschalis*, quia nollet coronare regem, nisi talia pollicitum, captiuus abductus, et *Vlrico* aquileg. patriarchae traditus; Romani iam promiscue Allemannos occidere; atque ipse *Henricus* vix per *Ottonem*, mediol. comitem seruatus est, minutatim concisum. Tandem papa iurauit, se Henricum de *inuestituris non inquietaturum*; *concedere*, *quod imperator eppos et abbates annulo et virga inuestiat;* iurauit et *Henricus*, saluo tamen honore regni et imperii. (ap. Baronium formulae integrae, num. 17 seqq.) n. 23 priuilegium, papae extortum; et *Gotefridi Viterbiensis* descriptio rationum, quibus pars vtraque vtebatur. In chronico *Vrspergensi* lepide dicebatur: Henricum imitatum fuisse patriarcham Iacob, qui noluit dimittere angelum, nisi benedictione accepta; *Baronius* non parum irascitur huic comparationi. Sic Henricum coronauit in aede S. Petri. Iam *Bruno* cassin. abbas *Paschalem* epistola sua reprehendit, quod tam foedum foedus inierit; iuramentum nihili esse, papa vero minus patienter tulit abbatis audaciam; missis etiam epistolis ad vniuersum catholicum orbem excusauit, quod ad euitanda mala et redimendam pacem ecclesiae, ad tempus cesserit. Hic recte Baronius admonet, valuisse iam hoc tempore apud quosdam eam sententiam: non est nostrum iudicare de summo pontifice; his enim de hac re verbis vsus est *Iuo*, carnot. epus ad *Henricum* abb. angeliacensem; idem epistola ad *Iohannem*, lugdun. aepum, qui concilium conuocabat contra inuestituras, admonuit: verenda patris nostri mudabitis — nos, si quid contra suam sententiam de remissis *Germanico* regi *inuestituris* feciisse videtur, filiali caritate excusamus. — falso quidam *inuestituram* haeresin vo-

vocant — haereſis eſt in *fide*; ſed manus dantis et accipientis *credere* non poſſunt — vbi inueſtitura ſine ſchiſmate auferri non poteſt, differatur; nec male *Proſper Lambertini*, de ſeruor. dei beatif. lib. 1. c. 41, n. 28 addit: ſi dominii ipſius eccleſiaſtici conſtituendi vſurpata a laicis facultas, abſolute et ſimpliciter haereſis eſſet: Gregorium 7 aliosque non in occidentali tantum eccleſia reprobare debuiſſe, ſed extendere etiam ad orientalem, in qua idem fieri ſolebat. Sed plerique alii acriorem in papam cenſuram praetulerunt. Itaque a. 1112 in *lateran.* concilio papa reſtituere ſuam rem conatus eſt; — iſta omnia *caſſa atque irrita* eſſe iudicans — praue id factum confiteor, et omnino corrigi deſidero — *prauilegium* illud, non priuilegium, nos omnes in ſ. concilio congregati damnamus. (*Infallibilitatis* et hoc documentum; qui tamen aduerſus regem Angliae, deum teſtem aduocauerat, ſe regi *inueſtituras* non permiſſurum; Baron. ad a. 1103 n. 7.) Non auſus eſt tamen ipſe papa *Henricum* excommunicare; id vero in *Vienuenſi* concilio factum, cuius generis formulas iam negligimus Videtur *Paſchalis* ipſe non nihil veritus fuiſſe, ſi auderet in *Henricum* ſic ſe gerere: tum et hunc publice proditurum, quibus artibus et ſtudiis papa ipſum eo adduxerit, vt in patrem rebellarit. Atque hic longe meliori iure dicendum: in his diuina iuſtitia commendanda eſt, quam *Baronius* ſic filii rebellionem exornat, a. 1106 n. 14. In *lateranenſi* concil. a. 1116 *Bruno*, *ſigninus* ep. in papam ſic inuectus, vt tantum non eum haereticum dixerit; excommunicatio in imperatorem publice confirmata; hic, vt *ſcandala principum deuitaret* (chronic. vrspergenſ.) in Italiam profectus; exiit papa ex vrbe 1117, cum Romam Henricus ingrederetur; quia legationibus nihil proficeretur, per *Burdinum*, aep. bracar. dictum Mauritium, in *Petri* aede Henricus coronam ſumſit. Poſt diſceſſum Henrici Paſchalis in vrbem rediit, et vel armis machinisque expugnare Petri templum ſuſtinuit; his curis immortuus menſe Ianuar. 1118 in quibusdam martyrologiis *beati* titulo auctus.

Electus post eum *Iohannes*, Caietan. diac. cardinal. et cancell. eccles. romanae, nomine *Gelasii* 2 vsus; quem *Frangipani* cum aliis caesarianis ex aede sacra vi rapuit; tamen sub *Praefecto* vrbis magno concursu facto e capitolio liberatus fuit. Sed cum iam *Henricus* aduentaret, fugit *Gelasius*, nec vel precibus vel minis reduci potuit; itaque ille *Mauritius Burdinus* papa Romae factus; huic causa vel *Irnerium*, (Wernerium, romanae iurisprudentiae apud Bononiam nouum statorem,) interfuisse narrant adiutorem. Papa hic Gregor. 8 nomen sumsit; et Henricum in *vaticana* aede coronauit. *Gelasius* nec excommunicationibus nec aliis studiis parcebat, praecipue ducem *Apuliae* et *capuanum* ad S. Petri militiam euocauit. Audebat quidem Romae in publica ecclesia sacris operari: sed a *Frangipaniis* tantum turbarum excitatum fuit, vt vltro ex *Babylone*, (sic nominabat) secesserit, vicario constituto, *Pisam*, atque inde in Galliam. Habuit autem antipapa non paucos amatores in Germania, atque Anglia; licet plerique alii, in Gallia certe, *Gelasium* amplecterentur.

Mortuo *Gelasio* a. 1119, apud *Cluniacenses* non ille, quem commendauerat, *Odo*, praenestin. epus, sed *Guido*, cardin. aep. viennensis electus a cardinalibus istis, qui cluniaci erant, (et centum clerici et laici romani, vt ipse nouus papa narrat in epistola ad aep. moguntinum, apud Vrsperg.) Supersunt epistolae scriptae, a romanis cardinalibus ad istos in Gallia, apud *Eccardum* in codice *Vdalrici*; fatentur, se ideo consentire, quia romano more electionem facere impediantur, e romanae ecclesiae filiis, et infra vrbem. *Callistus* hic 2, cuius electio iam in conuentu *Triburiensi* a multis approbata fuerat, in concil. *rhemensi* (424 virgae pastorales numeratae,) eadem decreta publice prodidit, de quibus fuerat per hoc tempus tam multa et tam atrox controuersia; contra concubinas, et Simoniam consensit *Henricus*, qui in vicinia morabatur; sed quia *inuestituras* noluit amittere, excommunicatio repetita fuit. (*Rogerius*, in annal. anglic. *Vrspergensis* &c.) Rex

An-

Angliae, qui et ipse in Galliam venerat, obtinuit tamen a papa, *vt neminem aliquando legati officio* in Anglia fungi permitteret, *si non ipse rex*, aliqua praecipua querela exigente, quae ab episcopis regni sui terminari non posset, hoc fieri a papa postularet; ista *Rogerius* apud Baron. Cur igitur non eodem iure Germania, Gallia &c. vtebantur, quae regna per legatos papae semper turbabantur? Iam papa 1120 Romam rediit; ingressuro nec *Iudaeorum* defuere plausus in *Graecorum* et latinorum concentibus. — *Wilhelmo* duci Apul. et Calabriae, qui ligius homo papae factus fuit, contra omnes homines, *per vexillum* hic tradidit omnem terram *cum honore ipsius ducatus*. A. 1121 exercitum papa duxit aduersus *Burdinum;* is captus camelo impositus, caudam tenuit, et plebis lasciuiae expositus, ad vlciscendam ignominiam ecclesiae; in camera palatii *sub pedibus domini papae conculcatum* depinxerunt, scribit *Sugerius*, ille abbas S. Dionysii, in vita Ludouici; eo facilius nos intelligimus, cuius spiritus sint isti papae defensores. Legatum papa suum fecit aepum moguntinum, *Adalbertum*, qui magnum exercitum coegit contra *Henricum*; tandem post varia studia, *Wormatiae* 1122 imperator et papa nouam formulam de inuestituris confirmarunt; habetur apud Vrspergensem, atque inde in annalista Saxone; *Baronius* ex autographo vaticano variantes quasdam addidit. Ego Henricus — dimitto deo — omnem inuestituram per annulum et baculum, et concedo in omnibus ecclesiis fieri electionem et liberam consecrationem — Ego *Calliſtus*, — Henrico imper. concedo electiones epporum et abbatum teutonici regni, quae ad regnum pertinent, *in praesentia tua fieri* absque simonia et violentia — electus autem regalia per sceptrum a te recipiat, exceptis omnibus, quae ad rom. ecclesiam pertinere noscuntur — &c. sic istae tam longae et atroces lites tandem compositae. Mortuo *Calliſto* 1124, non abfuerunt tumultus ab electione alius papae; alii *Theobaldum*, cardin. nouo nomine *Caelestinum* designarant, etiam hymno so-

lemni, *Te deum*, collaudantes; alii, duce Frangipanio, *Lambertum*, oſtienſem epum acclamarunt, nomine *Honorii* 2, qui exiſtimationi ſuae turpem notam inuſſit, quod poſt iſtum iam electum tamen in honorem hunc ipſe conſenſerit; poſt 7 dies ſponte mitram et mantum depoſuit, cardinalium vero precibus ſtatim reſumſit. A. 1125 deum vltorem abſtuliſſe *Henricum* e terris ſcribit *Baronius*; ſuffectus papae factione *Lotharius*, dux Saxonum; ab aliis vero *Conradus*; Henrici ſororius, cui et italicam coronam Modoetiae impoſuit aep. mediolanenſis, a papa ideo ſede et loco motus. *Caſſinenſem* abbatem, vt minus obſequentem, papa deiecerat, alio deſignato; ſed monachi libertatem ſuam defendere audebant. Itaque legatus papae forti oratione vſus eſt: — quae nam eccleſia non diſponitur a romana, cuius imperio caelum ipſum aperitur et clauditur? — romanam ſedem ſolus fundauit filius dei, et ſuper Petri erexit fidem, cui etiam *terreni ſimul et caeleſtis imperii iura commiſit*, (vt in *dictatibus* Hildebrandi.) Poſt militiam aduerſus *Rogerium*, Siciliae *comitem*, (*ducem* papa nolebat dicere,) quem a. 1128 per vexillum de ducatu Apuliae inueſtiuit, mortuus eſt 1130; diuiſa fuit et hoc tempore electio; alii *Gregorium*, cardinal. nomine *Innocentii* 2, papam fecerunt; alii in eius odium, *Petrum*, Leonis fil. cardinal. nomine *Anaclètum* 2, eleuarunt. Aduerſus hunc, quem alii laudarunt, affert *Baronius* verba *Bernardi:* ſi vera ſunt, quae vbique vulgat opinio, nec vnius dignus eſt viculi poteſtate. Si vera non ſunt: *decet nihilominus caput* eccleſiae non ſolum vitae habere ſanctitatem, ſed et *famae decorem*. Meminiſſe debebat Baronius, cum papas iſtos infames, foedos, turpes, tamen eccleſiae chriſtianae rite praeeſſe dictitaret! *Frangipanii* iſti, quorum nomen non ignotum nobis eſt, erant inter fautores *Innocentii*; ſed factio aduerſa theſauros S. Petri et Mariae ex aedibus rapuit, et ita vrbem quaſi emit: vt Innocentio praeter Frangipanios et *Corſorum* munitiones nihil ſupereſſet; itaque ſecedendum ei fuit ex vrbe; ad *Piſanos* fugit.

fugit. Narrant hic aliqui, quod negligere non licet, Petrum istum *ex legationum negotiationibus* multum argenti collegisse, quas his nundinis reseruarit; tamen nolebant nos hiscere, ad sacras istas paparum comoedias. Si *Bernhardus* defendit *Innocentium*: profecto Anacleto non defuit Petrus portuensis epus, cuius litteras exhibet *Baronius*. Scripsit et *Anacletus*, cardinales etiam eius, ad *Lotharium* regem, post anathema in *Innocentium*. *Haimericus* ille cancellar. rom. ad quem *Bernardus* honorifice scripsit, hic dicitur (n. 18) romanam eccles. sicut *vile scortum* pro luxuriis et auaritia sua, habuisse prostitutam, *simoniis*, *exactionibusque* variis trucidauit seruos dei, adiutore Leone Frangipanio; in alia epistola, (Baron. n. 19) dicunt, partem *Innocentii* voluisse *taxationes pristinas* exercere, et *consueta mercimonia* in sanctuario domini. — n. 20. *Conradum* regni inuasorem, in coena domini excommunicauimus. — n. 22, *peccatis meis exigentibus*, (scribit Anaclet. ad reginam,) ecclesiae regimen sum subire coactus — Mira phrasis ecclesiastica; *Romanus* etiam magistratus scripsit ad *Lotharium*, satis ferociter. Idem Anacletus ad regem Galliae scripsit, per legatum, *Ottonem*, epum tudertinum. Ipse papa n. 35 legatum in Aquitaniam misit, et litteris ad *cluniacenses* suos olim; *Haimericum* dicit auaritiae seruum, histrionum et scurrarum delirum incentorem, ecclesiarum expilatorem, alterum *Giezi*, qui simoniis publicis et priuatis lepram haereditario iure sortitus est. Schisma itaque satis grande obortum fuit; *Reinbaldus*, ep. leodiens. reprehendit *cluniacenses* istos vehementer, qui *Innocentio* praecipites adhaeserant; Baron. n. 38. 39. Misit et *Innocentius* suos legatos, vt ad partes suas pertraheret alios; *Anacletus* vero vel *Cpolin* misit litteras, et ad regem Hierosolymit. Rogerium creauit *regem Siciliae*; recitat *Baronius* diploma, num. 52, sed mutilum. De ea causa *Bernhardus* scripsit: habet (Anacletus, quidem) ducem Apuliae — sed vsurpatae coronae mercede ridicula comparatum; magno sonitu, vt Baronius scribit, perstre-

pens

neus a deo parata tuba illa caeleſtis, S. Bernardus, aduerſus ſchiſmaticos *pro Innocentio* circumquaque afflatu ſpiritus intonuit bellicum; nempe res magna, ſi placet, eo delapſam eſſe paparum electionem, vt iam continuatis ſchiſmatibus locus pateret. Iam enim caedes et incendia per Italiam; *Innocentius*, Gallicis eccleſ. iam ſatis moleſtus, a. 1132 in Lombardiam venit; eumque *Lotharius* ſecutus, qui *inueſtituras* papae extorquere non potuit; ſed cum copiis tam paucis, (ne numerum quidem 2000 explebant,) vt fere contemtui pateret publico; Romae a. ſequenti coronatus fuit, ſed nec in vaticano templo, nec ſatis decenti cum pompa. Creuit interea *Rogerii* regis potentia; a. 1036 iterum *Lotharius* duxit in Italiam, cui ſe *Conradus*, nuper Italiae rex, ſubiecerat, cum fratre *Friderico*, duce Sueuiae; felicius hoc bellum geſſit, ſed pleraque *Rogerius* recepit; in reditu mortuus fuit *Lotharius*; et menſe Ianuario 1138 *Anacletus*; *Rogerii* iuſſu ſuffectus fuit antipapa *Victor* 4, licet exiguae auctoritatis, quia *Innocentius* pecuniae vi filios *Petri Leonis* in ſuas partes traxerat, (*Petrus* diac. in chronico caſſin. lib. 4 fine) ſubiecit ſe etiam *Victor* Innocentio. Papae conſiliis *Germanis* rex datus *Conradus*, idem ille; ne potentior *Henricus*, dux Bauar. et Saxoniae, (a *Dania* vsque in *Siciliam*, ſolebat gloriari, valere ſuam auctoritatem; *Superbi* ideo nomen habet,) periculum crearet. Vetus inimicitia inter *Conradum*, e Gibellinis, et Henricum, e Guelfis, hinc ita recruduit, vt Conradus ducem banno oppreſſum ducatibus exuerit. A. 1139 confirmauit papa regium honorem Rogerio, foedere vtcunque inito; idem Rex *Welfum* 6, in bello aduerſus Conradum adiuuit annuis 1000 Marcis; ſimiliter rex *Hungariae* non modicam pecuniam ſuggeſſit. Tandem a. 1143 iſtis turbis immortuus fuit papa, rebellantibus *Romanis*, qui *ſenatus* priſtinam auctoritatem audebant reſtituere; vt facile credamus, *Arnaldi*, brixienſienſis, doctrinam placuiſſe multis: rerum politicarum ſummam non penes epiſcopos eſſe. *Caeleſtinus* 2 ſuffectus,

ſed

sed post menses 5 iam mortuus; a *Caelestino* incipit celeberrima illa *prophetia Malachiae*, Aepi armachani, quam primus edidit *Arnoldus Wion*, circa illa tempora, fine sec. 16, haud dubie confictam. Istum *Malachiam* a. 1137 scribit Baronius *Romam* venisse pro pallio, n. 34. Prophetiam inseruit *Sandini* suis vitis pontificum. Successit *Lucius* 2, qui *Conradum* aduersus Romanos rebellantes interpellauit; haeresis enim *politicorum*, Arnaldistarum, vehementer succreuit, vt *Baronius* queritur; *Otto* Frising. lib. 7 c. 31 descripsitque epistolam Arnaldistarum ad *Conradum*, lib. 1 de gestis Friderici, c. 27. 28 — cupientes imperium romanum exaltare in eum statum, quo fuit tempore Constantini et Iustiniani — quatenus ea, quae Caesaris et imperio deberentur, per omnia et in omnibus obtineatis — sed pro his omnibus. Papa, Frangipanes, filii Petri Leonis, homines et amici Siculi, — et alii plures, vndique nos impugnant, — reminiscatur vestra solertia, quot et quanta mala *papalis curia* et dicti, quondam ciues nostri, imperatoribus fecerint, et nunc deteriora vobis, cum Siculo, facile tentauerunt — *pontem Miluium* per tempora multa, pro imperatorum contrario destructum, nos, vt exercitus vester transire queat, ne per castellum S. Angeli vobis nocere possint, magno conamine restauramus &c. Conradus praetulit legatos ecclesiasticos. Hoc papa Alfonsus, dux Lusitaniae, ditionem suam dicitur fecisse vectigalem ecclesiae romanae, sub annuo censu vnciarum auri quatuor, *Baronius* &c. *Sandini* allegat *Gretserum*, qui libro de munificentia principum in sedem apostolicam, recenseat longo ordine, *regna ecclesiae romanae tributaria*; turpissimam atque foedam phrasin non pudet christianos consecrare! vt sciamus, non esse Christi regnum, quod est papae. *Lucius* a. 1145 in tumultu, cum Romanis *Capitolium* eripere auderet militibus stipatus, lapidum ictu graniter vulneratus obiit. Elegerunt cardinales, contra *Stephani* 3 edictum, non ex cardinalibus aliquem, sed abbatem S. Anastasii Romae, nomine nouo *Eugenium* 3; *Bernardi*

nardi discipulum, cui ob rebelles *Arnaldistas* ter ex vrbe fugiendum fuit. *Bernardi* quaedam epistolae ad hanc caussam pertinent; in eis sunt ineptae multae formulae; e. c. assumi papam ad praesidendum principibus, ad imperandum episcopis; *ad regna et imperia disponenda. Arnaldus* circa principia noui papae, vrbem ingressus, in seditionem amplius eam excitauit; proponens antiquorum romanorum exempla — nihil in dispositione vrbis spectare ad pontificem; sufficere ei, ecclesiasticum iudicium habere &c. *Otto* Frising. de Frider. lib. 2 c. 20. Nempe hominis iustam fuisse et probam sententiam, posterorum iudicia ad nostra vsque tempora satis luculenter confirmarunt. Idem *Bernhardus* in pluribus epistolis sacras multas nugas prodidit; e. c. ad *Conradum* regem, (Baron. 1145 n. 19) nec dulcius nec arctius, *regnum sacerdotiumque coniungi potuerunt*, quam in persona Christi, qui est summus sacerdos et rex — (his formulis homo inficetus et turpis audet abuti;) hortatur regem, vt ne truncum teneat imperium, sine *capite*, i. Roma. Egit interea *Ludouic.* 7 rex Galliae apud papam, vt sacram expeditionem in terram sanctam, adiuuaret; quod et fecit 1147 profectus in Galliam, ministro maxime *Bernhardo*, vafro homine; *Ludouicus* accepit ipse *insignia* sancti itineris; (*Sugerius*, in vita *Ludouici*; ille *Sugerius*, absente rege, insignem personam sibi sumsit; et profecto, ita non male agebant principes, qui pie (stulte enim non licet dicere) obsecuti pontificum aruspicumque consiliis, vitam in Asia efflabant, vt ecclesiae latinae nomen amplificaretur!) Cum *Ludouico* profecti auunculi, *Amadeus*, taurinensis, et Guilielmus, marchio de *monte ferrato*, qui *Conradi* regis sororem duxerat. Ipse *Conradus*, postquam filium *Henricum*, Francofurti regio honore auxerat, sacrum iter arripuit, cum exercitu ingenti, (70000 loricatos quidam designant, praeter equites leues, peditesque et mulieres, paruulos &c.) Prudentissime sic *romana ecclesia* sibi prospexit; aliter *Italia* vniuersa *Germaniae* Galliaeque subiici facile

pote-

poterat. Ignominia non caruerunt ambo reges, adeo sine omni gloria res gestae, vel christianorum in Palaestina trucibus artibus fraudibusque impediti; nec *Hospitalarii*, *templariique* culpa caruerunt; itaque mirum non est, non obscura fuisse in *Bernhardum* multorum odia, qui impudentissime vel vaticinari fausta omnia ausus fuerat. Nempe abbatis erat, rem publicam sacris mendaciis et fraudibus piis regere, in emolumentum papae. Interea papa *aduersus Romanos* bellum gessit, *Rogerii* vsus auxilio; pax etiam videbatur confecta tandem esse; sed *senatum* papa pati nolebat, itaque vrbe rursus egrediendum ei fuit. Mortuo *Eugenio* a. 1153, suffectus fuit *Conradus*, ep. sabin. nomine *Anastasius* 4; qui post menses 16 e vita excessit. *Hadrianus* 4 suffectus fuit, Anglus, episc. *alban.* qui in *Norwegia* apostolum egerat; bellorum turbis immersus. Hoc eodem a. 1154 nouus Germaniae rex *Fridericus* 1, (barbarossa, Aenobarbus) in Italiam duxit, vrbiumque eximie auctam potestatem reperit. Papae insana et infanda fuit barbaries, qui stratoris officium vid. p. 587. *Friderico* tribuit; nec *pacis*, si placet, *osculum* ante Friderico dedit, quam subiit hanc prouinciam. Nempe ecclesiae christianae honor, S. *Petro* post Christum arbitro, in hac caerimonia apostolica augebatur. Sic postea *Fridericus* coronam accepit; multa tamen caedes inter Teutonicos et Romanos facta. *Wihelmus* interea, rex Siciliae, quem excommunicauerat ob nouos ausus papa, videbatur in gratiam cum S. Petro redire velle, cum *imperator Graecorum* diceretur multum argenti Anconam misisse, pro impetrandis a papa 3 ciuitatibus, vt aduersus regem Siciliae eo felicius bellum geri posset. *Wilhelmus* igitur tantumdem pecuniae spondet, et alia plura; quia vero non obscurum erat, cum Graecis papam rem conficere velle: rex papam *Beneuenti* obsedit, atque duras conditiones subire coegit, exclusis omnibus aliis a foedere, qui tamen papae auspiciis his se turbis et periculis immerserant. Res omnino memoria digna, per *reges Germaniae* eius generis in Italia nihil

per-

peractum fuisse. Ecclesiae romanae legationes in Apulia et Calabria permissae, etiam appellationes: sed excipiuntur ciuitates, in quibus rex, vel persona haeredum eius, illo tempore fuerit. *In Sicilia* vero *appellatio et legatio locum non habet*, nisi ad petitionem regis. De *electionibus*: clerici conueniant in personam idoneam — et postquam celsitudini nostrae fuerit designata: *si non fuerit de inimicis nostris, aut nobis non fuerit odiosa* — assensum praestabimus, &c. *Baronius* 1156 n. 4. 5. 6. Papae diploma, qui in omnia consensit, n. 7. vt solebat stilus ecclesiasticus nugari, scribit: illius inspirante virtute, qui discipulis suis dixit, *pacem meam* do vobis, talem animum tuum inuenimus, quam filii pacis et catholici principis decuit inueniri — Bona profecto et blanda verba. Quid autem talibus studiis impliciti papae in rem ecclesiae fecerunt? *Baronius* id hic addit, haec omnia, quae per vim extorta fuerant, sub *Innocentio* 3 nouis pactis cassata fuisse; sed confirmant tamen, antiquam Siciliae sacrae formulam, quicquid disputetur. Fuit sub hoc eodem tempore *Romae Iohannes* ille *Sarisber.* qui in *Policratico* lib. 6 c. 24 verbosius descripsit, quaenam sententiae, non ab Haereticis, sed ab ipsis catholicis aduersus romanam ecclesiam solerent pronuntiari, quas vel ipsi *Hadriano* exposuit, qui scire volebat, quid in variis prouinciis homines sentirent. — Se non tam matrem exhibet, quam *nouercam*; sedent ibi pharisaei et scribae, ponentes onera importabilia in humeris hominum — pretiosam supellectilem congerunt, auro et argento onerant mensas — omnia cum pretio hodie, sed nec cras aliquid sine pretio, obtinebis. Nocent saepius, et in eo daemones imitantur, quod tunc prodesse putantur, cum nocere desistunt — ipse romanus pontifex omnibus grauis et intolerabilis est — ruentibus ecclesiis palatia exstruit, non modo purpuratus, sed deauratus incedit — Tandem et ipsum Iohannem hunc papa dicere iussit sententiam — quid est pater, quod aliorum discutis vitam et te ipsum minime perscrutaris — quare a

filiis

filiis munera et retributiones exſpectas — at vrbem vis eccleſiae tuis muneribus conſeruare! num Syluester ſic eam muneribus acquiſiuit — papa per *apologum* reſpondit: ſtomachi in corpore et principis in republica idem eſſe officium; multa ſemper peti et vorari — Haec ob collectionem *decimarum*, quas in omnibus prouinciis papa colligere ſolebat, quarum in locum ſucceſſerunt *Annatarum* ſolutiones, quae cuiuscunque ingreſſu ſedis, taxata ſumma ſoluuntur, Baron. A. 1157 inter imperatorem et papam diſcordia exorta, ob captum in *teutonicis* partibus *londin.* aepum, reducem a papa; quod imperator videbatur diſſimulare et negligere. In epiſtola papae id non parum offendit proceres, quod videretur papa id deſcribere, quod romani ſolebant affirmare: *imperium vrbis et regnum Italicum ex donatione* pontificum *Reges* Germanorum hactenus poſſediſſe; quam in rem et improbas *picturas* Romae non defuiſſe — vnum e legatis papae rogare auſum: a quo ergo habet imperium, ſi a papa non habet? Parum abfuit quin *Otto*, palat. comes, ceruicem ferierit; *Fridericus* legatos ſecuritate donatos *proficiſci praecepit primo mane*, addens, ne hac vel illac *in territoriis eporum ſeu abbatum* vagarentur, (nempe ſatis conſtabat, legatos nihil magni ad rem eccleſiaſticam vllam ſecum ferre;) *ſed recta via* Romam redirent. Haec *Radeuicus* lib. 1 c. 10 et ex eo *Baronius*, publicae etiam litterae nomine imperatoris editae, quibus haec res, vt habuit, narrabatur, — legatos apoſtolicos, quaſi de mamona iniquitatis inflatos; de altitudine ſuperbiae, de faſtu arrogantiae, de execrabili tumidi cordis elatione, legationem nobis praeſentarunt — ad illam papae ſententiam et vocem, nefandam, (quod papam non poeniteat nos coronaſſe —), et omni veritate vacuam, non ſolum imperator debitam indignationem concepit, verum omnes principes tanto furore et ira ſunt repleti, quod ſine dubio illos 2 *presbyteros iniquos* mortis ſententia damnaſſent, niſi imperator interceſſiſſet. Porro, *quia multa paria* (ἴσα

exemplaria,) litterarum *apud eos reperta sunt*, *et schedulae sigillatae*, quibus, sicut *hactenus consuetudinis eorum fuit*, *per singulas ecclesias Teutonici regni* conceptum iniquitatis suae virus respergere, altaria denudare, vasa domus dei asportare, cruces excoriare, iubebantur; ne vltra procedendi facultas eis daretur, eadem qua venerunt via, ad vrbem eos redire fecimus. (Nempe, *Tezelium*, *Samsonem*, hic in memoriam reuocamus!) Cumque *per electionem principum a solo deo* regnum et imperium nostrum sit — quicunque nos imperialem coronam *pro beneficio* a domino papa suscepisse dixerit, diuinae institutioni contrarius et mendacii reus est. Haec idem *Radeuicus*, hic Baronius impudentissime, vt decet papale seruitium, et turpissime scribit. Imperator prudentissime *sacras* omnes peregrinationes ad S. Petrum tam auarum et superbum, prohibuit, viarum etiam custodes perpetuos esse iussit. Papa ipse scribit et excusat: *beneficium* dicitur apud nos *non feudum*, sed bonum factum; in qua significatione in scriptura sacra inuenitur (o callidum papam!) — sedatus est his interpretibus sedulo agentibus, imperatoris animus; *Baronius* autem prudentiam papae commendat, qui *furentem imperatorem*, (sic Baronius impotenter scribit,) concliauit, *dans locum irae*, exemplo apostolico — sed cur nugis et stili ecclesiastici portentis porro inhaereamus! In conuentum, in *Roncalia*, (locus inter Placentiam et Cremonam) conuenire iussit imperator *Italiae* principes et magistratus vrbium; adductis 4 principalibus legum doctoribus, dominis, *Bulgaro* et *Martino Grossio*, seu *Iacobo*, atque *Hugone*, de porta Rauegnana, Bononiae magistris. Istorum 4 et aliorum quamplurimorum fuit dominus *Guarnerius* antiquior. Istos 4 iussit imperator describere omnia iura, quae ratione imperii in Lombardia ad ipsum spectarent — Itaque aep. mediol. omnes epi, Comites, Marchiones, duces et ciuitatum consules, publice in manu imperatoris omnia illa iura refutarunt — et in hoc priuauerunt se *Mediolanenses* de multis rationibus

et

et dignitatibus, obtentis a *diuersis pontificibus* et imperatoribus, et promiserunt — Sed ista ad res politicas potius pertinent. Anno 1159, (*Radeuicus* lib. 2, 15,) cum in Hibernis ageret Fridericus, papa quorumdam instinctu, refricare coepit, quae Augustae composita fuerant; — proinde cum audisset, quod *regalia* Principi tam ab epis et abbatibus, quam a ciuitatibus recognita fuere, litteras dirigit super hoc negotio acriori commonitione plenas, (nempe metuens et suis iuribus istis;) eas indignus aliquis nuntius praesentauit, qui disparuit, antequam recitatae fuissent. Paulo ante imperator misso vercellensi epo papam rogauerat, *Guidonem* confirmari rauen. aepum; sed nec ille, nec alius nuntius, *Hermannus*, verdensis ep. aliquid effecit. Imperator iam iussit notarium praeponere in litteris nomen imperatoris nomini papae, et dictionibus singularis numeri ipsum alloqui; qui mos scribendi olim in vsu fuit, sed a modernis, ob quandam personarum reuerentiam putatur immutatus. Non superest illa ad papam epistola; sed ea, qua respondit, et queritur, honorem S. Petro non exhiberi, praeposito imperatoris nomine — respisce, *tibi* consulimus — *Friderici illa* sequitur: Frider. — Hadriano, eccles. cath. pontifici, omnibus illis adhaerere, quae coepit Iesus facere et docere! — numquid tempore *Constantini Siluester* aliquid *regalis* habuisse dignoscitur? — quicquid papatus vester habet, largitione principum obtinet — iure antiquo nomen praeponimus — ille noster et vester institutor, Christus, ab *homine rege* nihil accipiens — pro se et Petro censum Caesari persoluit et exemplum vobis dedit, discite a me, qui humilis sum et mitis corde. Aut igitur *regalia nostra* nobis dimittant, aut si haec vtilia iudicauerint, persoluant quae Caesaris sunt Caesari. *Cardinalibus* vestris vtique clausae sunt ecclesiae et ciuitates (iussu Friderici,) quia *non videmus eos praedicatores*, sed *praedatores*, pecuniae raptores, auri insatiabiles corrasores — non possumus non respondere auditis, cum *superbiae detestabilem bestiam* vsque ad sedem S. Petri

tri reptasse videmus. Paci ecclesiae bene semper prouidentes, bene semper valete.

Satis perspicimus, quid sit, litterarum studia succrescere. *Baronius* queritur, cur imperator originem priuilegiorum apostolicae sedis *non ad Christum reuocet*? — sine papae nutu *non posse fieri imperatorem;* sed tantum, *quem elegerit, vel eligendum concesserit* ipse papa – n.7. Mirandum, annales *Baronii*, qui his portentis et naeniis scatent, quibus imperatoris numen a papae auctoritate et nutu deriuatur, *priuilegio Caesaris* munitos fuisse; semina enim tam atrocis stoliditatis sacrae omnibus modis iam olim obrui debuerunt; sic non opus esset hodie demum superbiae bestiam reprimi. Supereſt papae ad Aepos et epos Germaniae Epistola, stilo isto sacro lateranensi scripta, cuius iam dudum taeduit piguitque homines sanos; sed et illa, qua responderunt *Germaniae* epi, — istam formulam (papae *beneficio* &c.) nos tueri vel approbare consensu aliquo nec possumus nec volumus, *eo quod insolita et inaudita fuerunt vsque ad haec tempora;* (itaque plures eius generis formulas, inde a *Carolo* caluo, crasso, *Gregorio 7* &c. oportet in angulis latuisse, aut attentione et lectione indignas habitas;) – debitam patri, (papae) reuerentiam libenter exhibemus; liberam *imperii nostri* coronam *diuino* tantum beneficio adscribimus; *electionis* primam vocem *Moguntino* aepo, deinde, quod supereſt, *caeteris secundum ordinem principibus* recognoscimus. Regalem vnctionem, *Colonienſi*; imperialem, summo pontifici. Quicquid praeter haec est, ex abundanti est, a malo est — *illis abusibus*, quibus *omnes ecclesiae regni nostri* grauatae et attenuatae sunt — obuiare intendimus — *A pictura* (Romae) coepit; ad scripturam processit; haec in auctoritatem prodire conatur. Non patiemur, non sustinebimus — *picturae deleantur*, scripturae retractentur, vt inter regnum et sacerdotium aeterna inimicitiarum monimenta non remaneant. Haec et alia, vtpote *de concordia Rogerii* et *Wilhelmi*, Siculi, et aliis, quae in Italia facta

sunt

sunt conuentionibus — Misit iam, a. 1158, vt suaserant hi episcopi, papa aliam legationem ad *Fridericum*, qui iam in romanum iter milites apud *Augustam* Rhaetiae, colligebat; iam legati reuerenter, demisso vultu, (paulo ante dixerat Radeuicus, humilitatis formam praebentes, *quod antea insolitum fuerat)* modesta voce loquuntur: praesul s. romanae (non vniuersae) ecclesiae vestrae excellentiae deuotissimus in Christo pater salutat — etiam fratres nostri *clerici autem vestri*, vniuersi cardinales, salutant *tamquam dominum* et imperatorem vrbis et orbis. Hic ineptit *Baronius*, esse haec verba *Radeuici*, non Cardinalium. Operae omnino pretium est, legi epistolas hac in caussa, Henrici cardinalis ad epum Bambergensem, *Eberhardum*, et huius tam ad istum, quam ad *Hadrianum*, apud Baronium n. 9 seqq. Episcopus culpam praecipue in papam confert, qui per pannosum aliquem quasi hostem obtrusit litteras Henrico; idem Eberhardus ad aepum *Salzburgensem* scripsit, quid gestum sit, per legatos papae ad imperatorem; postulasse papam: nuntios ab imperatore Romam non mittendos esse, ignorante papa; de dominicalibus apostolici fodrum non esse colligendum, nisi tempore coronae; episcopos Italiae sacramentum fidelitatis, sine hominio facere debere imperatori; nuntios imperatoris in palatiis episcoporum non esse recipiendos; possessiones eccles. rom. restituendas. Imperator autem querebatur, (apud *Radeuicum)* de rupta concordia; de graecis, Siculo, et Romanis sine communi consensu non recipiendis; de cardinalibus sine permissione imperiali per regnum transeuntibus, et ecclesias grauantibus. De *iniustis appellationibus*, et ceteris quam plurimis &c. Hinc satis patet, ecclesias Germaniae etiam *grauamina* aduersus papae impotentem superbiam satis ingenue papae opposuisse; fortissime autem imperator respondit istis papae parum liberalibus postulatis: quamuis non ignorem — *ex consilio principum me respondere debere*, *sine praeiudicio tamen* — respondeo (meminerimus, imperatoris hanc fuisse iam hoc tempore for-

formulam, vt ſine principum conſilio, ex ſola animi ſui ſententia aut non potuerit aut non voluerit reſpondere,) — ſi epiſcopi Italiae nolunt hominium praeſtare; patior; ſed nec *regalia noſtra* habebunt. Si lubenter a papa audiunt, quid tibi et Regi? nec pigeat eos ab imperatore audire, quid tibi et *poſſeſſioni*. — Si *in noſtro ſolo et allodio* ſunt palatia epiſcoporum, noſtra ſunt et palatia. Inane nomen porro imperatoris, ſine re, ſi vrbis Romae poteſtas fuerit de manu noſtra excuſſa. Iam coepit inter cardinales et epiſcopos de componenda iſta lite tractari; imperator aepum Salisburgenſem ad ſe euocauit, (Radeuic. libro 2,31.) noua enim et grauia mandauit papa, quae *ſine conſilio tuo* et aliorum *fidelium imperii* pertractari non poſſunt. Hoc tandem eodem anno 1159 *Hadriani* mors finem fecit his turbis; eius papae epiſtolam ad Regem *Henricum* Angliae recitat Baronius, quia eſt incerti anni, poſt eius mortem: pro penſione denarii S. Petri de ſingulis domibus Hiberniae: — Hiberniam et omnes inſulas, quibus ſol iuſtitiae Chriſtus illuxit, ad ius beati Petri et SS. rom. eccleſiae pertinere, non eſt dubium. Ex his et ſimilibus formulis id fere patet, ex propagatione ſacrorum ſub occidentem ſolem ius hoc S. Petri eum deriuare, quaſi Petrus ipſe praedicauerit. *Lundenſem* aepiſcopum in *Suecia* hic papa fecit *primatem* regni; confirmauit poſtea *Innocentius* 3. In papae locum ſuffectus *Alexander* 3, cancellarius antea rom. eccleſ. poſtquam dies 3 cardinales in eccleſia Petri tractauerant de electione; ſed alii quidam cardinales *Octauianum* ſeu *Victorem* 5, praetulerunt; hic Alexandro mantum e collo rapuit, ſed alius fortior e manibus eius abſtulit; Alexander poſt multas turbas *regno de more inſignitus*, mitra turbinata ſcilicet, cum corona; nempe, vt *Innocentius* 3 explicat, ſermone in feſto *Silueſtri* pontificis: rom. pontifex in *ſignum imperii* vtitur regno, et in ſignum pontificii, *mitra*. Alexander ipſe in litteris ad Bononienſes apud Baronium ſic loquitur, *pontificali regno* magnifice ſumus coronati. Pleraque, quae Baronius num.

28 ex *vaticano* codice deſcribit, habentur etiam in his litteris Alexandri. Antipapae *Fridericus* imper. non obſcure fauit, quod nemo mirabitur; legatos Alexandri, niſi dux *Welfo* cum duce Saxoniae obſtiterat, ſuſpendere voluit. *Victoris* litteras ad omnes epos et principes in curia *Friderici*, habet *Radeuicus*, c. 50. — ex parte illius quondam cancellarii, per conſpirationem contra eccleſiam dei et *imperium*, *Wilhelmo*, Siculo, adſtricti — *Aliae litterae* partis huius, contra Alexandrum, habentur ibidem: — Wilhelmi fautores manifeſta conſpiratione in praeſentia Hadriani ſacramento firmarunt, imperatorem eſſe excommunicandum, — et ſi papa vita decedat, neminem eligendum, niſi ex his, qui coniurauerant, — feceramus pactum, de legitime eligendo papa; vt ſegregentur aliqui de fratribus, cardinalibus, qui audiant voluntatem ſingulorum, et fideliter deſcribant, (*conclauis* prima initia,) — *Baronius* maiori numero alterius partis gloriatur, quae quidem auctoritas non ſolet ſemper iuſta eſſe. Imperator, exemplo *Iuſtiniani*, *Theodoſii* &c. auctoritatem concilii congregandi ſibi ſumſit, (Radeuicus, c. 54.) ad citationem vtriusque papae dirigit *Danielem*, pragenſ. et *Hermannum*, verdenſem, cum litteris, *ad Rolandum*, *Cancellarium et cardinales*, *qui eum elegerunt in pontificem;* — ad diſcordiam iſtam tollendam — *Papiae* generalem conuentum, religioſorum virorum conſilio, indiximus, ad quam euocauimus totius imperii noſtri, et Angliae, Franciae, Hungariae, Daciae aepos, epos, abbates — Reſpondeat iſti, qui cum Alexandro erant: imperatorem recedere a conſuetudine maiorum, *dum ſine conſcientia rom. epi* concilium conuocauit, et nos ad ſuam praeſentiam conuenire praecepit, ſicut homo ſuper nos poteſtatem habens — b. Petrus nullius iudicio ſubiacet, ex priuilegio legitimi domini Ieſu Chriſti — *Arnulfus* ep. lexouienſis iam ad *Alexandrum* ſcripſit, eum confirmans, et regis *Angliae* fauorem pollicens — in eccleſia romana frequentia ſchiſmata fuiſſe, *lateranenſis palatii*

picturae demonstrant, vbi catholicorum patrum *pro scabello* schismatici praesumtores adscripti sunt; vbi superborum *et sublimium colla* sapientia propria virtute conculcat — Huius Arnulfi suasu *Alexander* ad partes Galliarum et Hispaniarum nuntios misit; idem *Arnulfus* ad cardinales Alexandri verbosissime scripsit, Baron. n. 64-71; hic narrat, *in conuentu* ex mandato regum, valuisse eam sententiam, quae causam differebat; securius sola exspectatio poterat illaesos conseruare; *romanam ecclesiam* (i. e. romanam potestatem) semper onerosam exstitisse principibus; iugum aliquando data occasione ponendum — *interim posse religionem Episcoporum per singula regna sufficere*, donec diuina voluntas signis euidentioribus appareret — Istae sententiae confirmant recentioris historiae similes non raras scenas, inde a seculo 16 et 17, non opus esse papa tali romano; sufficere regnis et prouinciis prudentiam dominorum. Misit etiam *Alexander* cum genuensibus legatum in partes orientales; sed et ibi rex Hierosolymitanus eamdem viam praetulit, neutri parti publice adhaerendum; legatus, *si insignia legationis deponat*, tamquam peregrinus, orationis gratia, admittendus; — *non opus esse legato, qui ecclesias et monasteria grauet impensis, extorsionibus attenuet;* haec *Wilhelm.* Tyr. lib. 18 c. 29, et ex eo Baronius. Damnatur *Alex.* 1160, in concilio *papiensi*, e quo imperator post bona verba secessit, ne ipse sententiam praeire videretur; exstant monumenta historica apud *Radeuicum*; in recitatione eorum, qui *Victori* obedierint, reperitur etiam ista formula: clerici *de patriarchia* S. Mariae maior. de *patriarchia* S. Pauli, de patr. S. Laurentii; Magister *fratrum templi Hierosolymitani* in monte Auentino; clerici *de cardinalia* SS. apostolorum &c. Epistola *Synodalis* ap. Radeuic. c. 70: per testes idoneos est comprobatum, *Victorem* a saniori parte populi fuisse electum — nos schismaticum illum cancellarium candelis accensis anathematizauimus, et tradidimus Satanae; subscrib. *aquileg.* patr. aep. *Moguntin. Bremensis*; *treuiren-*

uirenſis; *colon. magdeburg. biſuntin. arelat. lugdun. Viennenſ. Henricus*, rex Anglor. rex *Hungar. Boemorum*, *Danorum*. Epiſtola *Friderici* imper. de conſpiratione facta cum *Siculo* &c. Epiſtola *Bambergenſis* epi ad aep. Salzburg. iuſtificata eſt pars *Victoris*, quia coniuratio contra imperium praeceſſerat — et ſubditos a iuramento fidelitatis abſoluat et ſeruire imperatori prohibuerat; (foedus fuit *Siculo*, *mediolan. Brixienſ. Placentinis.*) — cum pars alia non veniſſet: recepimus *Victorem* ſpe pacis et concordiae inter regnum et ſacerdotium — Epiſtola praepoſiti de *Berthelsgaden* ad aep. Salzburg. — interceptae fuerunt epiſtolae partis *Alexandri*, e quibus eorum molimina contra imperium patentes ſunt deprehenſa — ſacramentis plurium probatum, *Victorem* vndecim diebus ante fuiſſe immantatum, quam Alexandrum — Iam publicae turbae et perpetuae lites; miſerrime a *moguntinis* occiſus *Arnoldus*, aep. inde 2 eius locum obtinuerunt; alter per imperatorem, alter ab *Alexandro* adiutus. A. 1161 *Eduardum* regem ſanctis addidit *Alexander*, (iuxta votum *Henrici* regis, corpus ipſius ita glorificandum cenſuimus et debitis praeconiis *adorandum* in terra —) iuuit *Alexandri* partes *Petrus*, tarentaſienſis aepus, homo ſubfanaticus, ordo *carthuſianus*, *ciſtercienſium*; itaque in partes *Galliae* diſceſſit, qui Romae ſine honore et defenſione erat; idem papa cum *Wilhelmo*, Siculo, etſi malo homine, vt fatetur *Baronius*, arctum foedus iniit. Poſt plura conſilia *Friderici* imper. cum rege Galliarum tractata, quae rex Angliae turbauit, hi reges *Alexandri* partes publice amplexi ſunt. *Victor* legati *Daniae* regis ad imperatorem presbyterum *annuli* honore donauit, quod decus tantum pontificalis ordinis eſſe ſolebat, (*Saxo* grammatic. lib. 14;) miſit etiam Victor legatum ſuum in *Daniam*; rex ipſe *Waldemarus*, S. Canuti fil. tandem vel minis commouit epum *Roſchildenſem* Salomonem, vt itineris ad *Fridericum* ſocius eſſet; lectu non ſunt indigna, quae narrat *Saxo*; inter illa et iſtud, *Fridericum* con-

queſtum, quod reges Galliae et Angliae ipſi in cauſa epiſcopi eius vrbis (romae), quae ſit ſub ſuo imperio, audeant id facere, minime paſſuri, ſi Caeſar controuerſiam in eorum ciuitatibus de pontificatu ortam, ſuis ſuffragiis finire vellet. Hoc anno in Anglia, in concilio, *Thomas* fit aep. cantuar. cuius hominis hiſtoria vel ſola copioſum narrandi argumentum praebet, et cum eccleſiaſtica cauſſa, papae ſcilicet impotenti faſtu, eximie cohaeret; is interfuit etiam concilio *Alexandri* turonenſi, a. 1163; e quo in Angliam profectus paulo poſt inuſitatis ſuae eccleſiaſticae poteſtatis experimentis regem a ſe omnino auertit; nec enim vel homicidam presbyterum, damnatum, tradidit curiae ſeculari &c. regias conſuetudines aep. cum ceteris, quos idem conſilium coniunxerat, epis promiſit ſe obſeruaturum, *ſaluo ordine ſuo.* Rex facile minores clericos ſuam in rem ita concitauit, vt obſequium negarint aepiſcopo, ſi auderet cenſuram canonicam iis intentare, eum apud *Alexandrum* accuſaturi; itaque papa, diligenter de iſto ſtatu admonitus, aepum eo ſtudioſius hortatus fuit, vt pergeret in tam laudabili, ſi placet, et ſalubri militia; epiſcopos etiam ceteros, abſoluit: ſi quid regi promiſiſtis, nullatenus id ſeruetis, ſed reuocare curetis, et de *promiſſione illicita,* (contra honorem et αὐτοκεφαλιαν eccleſiae) a deo ſtudeatis et ab eccleſia veniam impetrare — Intelligimus autem ex iſtis perpetuis rixis et ſacris turpitudinibus: nulli rei vtilem fuiſſe papam vniuerſalemque aliquem epum, quam continuis caedibus, turbis, flagitiisque et infortuniis excitandis inter chriſtianos. Quid enim boni frugiferique inde a ſeculo X per papas effectum eſt? Quantum vero tumultuum ſacrorum ab iis excitatum fuit! Perfecit tandem a. 1164 rex Angliae, quod conſtanter tenebat; iurarunt poſt *Thomam* ceteri pontifices, non *ſaluo ordine ſuo*, ſed, vt iubebantur, *bona fide;* cum vero iam perſcribendae eſſent conſuetudines regiae et ſigillis confirmandae: noua dubitatio orta; tandem vniuerſae rei, quam conceſſiſſe videbatur, *Thomam* poenituit, abſtinuit ſe a miſſis &c. Rex ipſe a papa

flagi-

flagitabat, vt *legationem* transferret ad *eboracenſem*, et iſtas regni conſuetudines confirmaret. Conceſſit prius *Alexander*, ſic tamen, vt *eboracenſi* nullum ius permitteret in cantuarienſem; alterum plane negauit. Copioſe ſatis ceteram hiſtoriam *Baronius* deſcripſit; condemnatus tandem fuit *Thomas* ab aliis epis: quia fidelitatem regi *iurafti*, h. e. vitam, membra, et terrenam dignitatem ei per te fore ſaluam, et tu conſuetudines niteris deſtruere, quae ſpectant ad terrenam dignitatem: iccirco te reum periurii dicimus, et periuro Aepo de cetero non habemus obedire; Baron. n. 21. Rex, vbi fugam *Thomae* audiuit, epiſcopis interdixit, vt ne clerici eius aliquid redituum recipiant; portus iuſſit cuſtodire, ne litterae interdictionis vllatenus illuc deferantur; pedibus truncandos, oculis, et genitalibus priuandos, ſi quis audeat inferre; ſi Epus quis interdictum metuat, eiiciatur — presbyteri, qui cantare noluerint, genitalia amittant; omnes rebelles, priuentur beneficiis, ib. n. 24. Iam *Thomas* ad *Alexandrum* ſcripſit, ſe ob ſtatum eccleſiae, quem tutatus ſit, talia pati; non defuit papa; vt maxime potuit, verbis grauibus. Interea mortuo *Victori* alius ſuffectus, *Guido* cremenſis, nomine *Paſchalis* 3; eum et imperator adiuuare non deſtitit. In *Alexandri* curia legati regis Anglorum poſtulant, *Thomam* remitti in Angliam atque ibi iudicari; ſed noluit papa eum deſerere, itaque ſine benedictione legati abierunt. Iam praeſente *Thoma* Alexander *conſuetudines* iſtas regias ipſe examini ſubiecit, quae apud *Clarendonam* A. ſuperiori proditae fuerant. *Iura eccleſiaſtica ſumma* praecipue attingunt iſtae conſtitutiones; alias damnauit papa, alias tolerauit: e. c. damnauit: controuerſias de aduocatione et praeſentatione eccleſiarum, in Curia regis tractari debere; clericos citatos, oportet venire in curiam, reſponſuros; iuſtitia regis mittet in curiam eccleſiae, ad videndum, qua ratione res ibi tractabitur; ſi clericus conuictus vel confeſſus fuerit, eccleſia eum non debet tueri. Aepis, epiſcopis, et *perſonis regni* non licet regno exire, absque regis

gis licentia; assecurabunt, si venia datur, quod damnum vel malum regi aut regno non quaerent; de appellationibus — controuersia terminetur in curia regis. Cum vacauerit aepatus — prioratus, de dominio regis: debet esse in manu eius, et inde percipiet omnes reditus — electio debet fieri assensu regis. Iam vero Rex *alias constitutiones* promulgauit aduersus Alexandri superbiam, in Normannia; traditor habendus est regis, qui habuerit litteras papae vel epi cantuar. interdictum continentes. Nemini liceat transfretare vel redire in Angliam, sine litteris iustitiae. Ne quis appellet ad papam vel aepum; nec mandatum illorum aliquod in Anglia ab vllo homine recipiatur. Omnes clerici, qui habent reditus in Anglia, infra tres menses redeant; aliter amissuri. *Denarii apostolici* (quem *priores Cistercienſium* colligebant,) non reddantur vlterius apostolico; sed colligantur in thesauro regis. Omnes de cognatione Thomae ex Anglia exire iussi; a *Margaritae Siciliae* excepti fuerunt. Papae *Alexandro* interea *fidelium* studiis et impensa *pecunia* multa (num. 48 Baron.) romani plerique iurauerant; itaque Romam redire constituit; itineri antea ab epis Galliae sumtus corrogati; instabant Romanorum minae, nisi veniret ante festum S. Michaelis, se transituros ad *Guidonem*; nempe prae inedia et fame. *Tuscia* enim tota et *Campania*, opera *Christiani*, cancellarii, (aep. Moguntinus) *Teutonicis* subiecta fuerat, vt Romanis *nihil relictum esset*, *nec in agris nec in oliuetis*, *aut vineis*, extra moenia vrbis; (Baron. n. 9.) Rediit Alexander Romam hoc anno, postquam *Pisanorum* insidiantes naues euasit. Rex Angliae a. 1166 legatos *Romam* misit, qui aduersus *Thomam* aep. cantuar. vehementer quererentur, et papae non obscure regis constantiam in tuendis regni iuribus exponerent; interfuerunt ii antea concilio imperatoris *Herbipolensi*. Rex *Henricus* in apologia ad Cardinales, (Baron. n. 19) libere scribit: quicquid honoris et potestatis habemus, regnum etiam, singula a *domino et creatore nostro nobis collata scimus*

mus — si papa nobis et regno nostro eundem honorem obseruauerit, quem sancti et honesti romani pontifices nobilibus ac potentibus praecessoribus nostris exhibuerunt, persseuerare volumus in integritate gratiae et dilectionis papae — *appellationes* et visitationes (itinera Romam) non impediuimus, *quin eo modo, ea ratione, eo ordine fiant*, quo solebant antiquiori tempore, iuxta regni nostri consuetudines, fieri — si *Thomas* ille nobis fecerit, quod domino et principi facere debuerit, et ipse voluerit redire: nos eidem exequemur, iuxta clericorum et laicorum consilium, quod debebimus; verum ipsum *per nos reuocandum non censemus* — si quis iura regni nostri impedire tentauerit, seu diminuere, ipsum publicum hostem nominis nostri, et regni aestimabimus inimicum — Scripsit papa ad *london.* epum, sed nihil effecit, hic potius auctor fuit, vt *zelum* istum ad tempus intra fines modestiae cohibeat, nec interdictum aut excommunicationem adhibeat. Operae pretium est vel inscriptionem epistolae hic repeti, quam *Thomas* ille ad regem misit: domino suo et amico Henrico, dei gratia — Thomas eadem gratia — salutem in domino et veram cum emendatione poenitentiam — filius es ecclesiae, non praesul; discere vos conuenit a sacerdotibus, non eos docere; sequi eos in ecclesiasticis, non praecedere — *potestates* seculi, si fideles sunt, deus voluit ecclesiae *sacerdotibus esse subiectas* — christiani reges subdere debent executiones suas eccles. praesulibus, non praeferre — episcopis caput subdere, non de episcopis iudicare. Duo quippe sunt, quibus principaliter regitur mundus, auctoritas sacra pontificis, et regalis potestas — Ista sufficiunt, vt intelligamus, quantum *Thomas* et *Alexander* impenderint astutae operae, vt foedam tyrannidem confirmarent et ciuilem potestatem opprimerent. Omnia enim iam fiebant ecclesiastica; quia eppi ad res omnes audebant adspirare. Ad historiam *noui iuris ecclesiastici* praecipue etiam epistola Thomae pertinet, quam ad epos Angliae misit hoc tempore. A. 1167 Roma a *Friderico* obsessa, post

cla-

cladem romanorum insignem, inde ab Hannibalis victoria ad Cannas, auctor apud Baronium scribit romanorum tantam stragem auditam non fuisse. Papa, loco curae ecclesiae, bellum in vibe strenue parauit; *Fridericus* id agebat, vt vterque papa a dignitate abiret, atque sic Romae eligeretur alius. Sed fuga iam Alexander elusit Fridericum, vt ipse *Baronius* scribit; inde pestilentia Fridericum ex Italja excedere coegit. Iam Alexander *Thomam* fecit legatum apostolicae sedis, vt eppi humillime obedirent, absque contradictione; denarium S. Petri cogerent; ista vt concederet rex, rogauit epus Londinensis. Ipse *Thomas* e Gallia misit in Angliam epistolam satis impudentem: *consuetudines*, seu prauitates potius, damnamus; sacerdotes sunt regum et principum patres et magistri; cassauimus, 1. quod non appelletur ad sedem apost. nisi licentia regis. 2. quod non liceat exire de regno, sine eius licentia. 3. quod non liceat epo excommunicare et sub interdicto ponere, sine licentia regis; quod clerici teneantur ad secularia iudicia; quod laici, siue rex, siue alii, tractent causas de ecclesiis, decimis, et alia — Idem *Thomas* scripsit ad *Alexandrum, de rege excommunicando;* regem iam varie exagitarunt, vnum esse remedium, imminentem sententiam *appellatione* impedire. Exstant litterae eporum Angliae ad *Thomam*, apud Baron. n. 31, quae hominis fastum et stultitiam satis describunt, licet honorifice scriptae; ineptissime respondit *Thomas* ad *londinensem* epum: — debuine ecclesiae dei libertatem exponere? — nonne Angelos iudicabimus, quanto magis homines — tamen *Alexander* confirmauit sententiam *Thomae*. Per annos tres et dimidium turbae istae durarunt, quas nostri iam non est instituti recensere copiosius; sufficiunt enim ista, vt iusto sensu malignitatis sacrae non careamus. *Alexander Fridericum* a. 1168 excommunicauit in *later.* concilio, et omnes, qui ei ex causa imperii, religione iurisiurandi tenebantur adstricti, *a fidelitate eius absoluit*, et inhibuit, auctoritate dei, ne vires vllas habeat, aut victoriam consequatur; simili

mili turpi formula vſus, ac *Gregorius* 7 in Henricum. Sed et in Anglia, *inueſtiturae* ius arripere fruſtra tentauit Alexander, conſtitutione illa ad epos Angliae; et in *Sicilia* rex *Wilhelmus*, bonus, *epiſcopauit* quos voluit. A. 1170 Henricus filium ſuum coronari voluit, per aep. eborac. ſed papa prohibuit, quia ad *cantuarienſem* id pertineret; *Thomas* etiam miſſis epiſtolis id vetuit. Itaque rex iurari iuſſit, non obediendum eſſe talibus papae et Thomae decretis. Peregit igitur caerimoniam eboracenſis in cantuar. dioeceſi, ap. S. Petrum Weſtmonaſter. Denique pax inter Regem et Thomam procurata; ſed ſic, vt *Thomas* minus contentus fuerit; nec obſcurum fuit, multos in Anglia parum amare hominis impotens ingenium; rex etiam ipſe parum ei fidebat; ferebatur rex non raro queſtus fuiſſe de ſuorum ignauia, quod ipſum de vno ſacerdote non vindicarent, qui ipſum et regnum ſuum ſic turbauit, et ſuis dignitatibus ipſum exauctorare quaerebat. Itaque cum vix menſem in Anglia vixiſſet, per 4 nobiles occiſus fuit. Miracula, vt facile credimus, non defuerunt mortuo, licet viuus nihil eius generis peregerit. Illud autem ſatis mirum, cum diſcordia inter reges, patrem et filium, orta eſſet, ſeniorem *Henricum* ſcripſiſſe ad *Alexandrum*, (Baron. a. 1173 n. 9) veſtrae iurisdictionis eſt regnum Angliae, et quantum ad *feudatarii iuris* obligationem, vobis duntaxat obnoxius teneor et adſtringor. Experiatur itaque Anglia, *quid poſſit romanus pontifex* &c. Habetur etiam inter *Petri Bleſenſis* epiſtolas. Nec defuit papa regi, nec rex ſibi et ſuae rei; vel *Thomae*, martyris, ſi placet, ſepulcrum poenitens adiit, eumque ſibi propitium fecit. Inde felicius cauſſa regis habere coepit. Facile credimus, romanae eccleſiae rudiores defenſores hoc *Thoma Becket* ſuperbire, qui quaſi murum ſe oppoſuit Regi, pro papae et eccleſiae nouis iuribus. Sed noſtra parum refert; nec patitur noſtra aetas tam infirma malae cauſae praeſidia.

Hiſtoriae multum argumentum ſuggerit *Fridericus*, qui e. c. *Alexandriam* a. 1175 fruſtra oppugnauit; eam

Ale-

Aiexander episcopi sede ornauit; non destitit imperator, feroces *Lombardiae* vrbes depressum ire; actum per legatos *Friderici* aliquoties de pace cum *Romanis*, a. eodem et sequenti; postulauit *Alexander*, vt imperator pacem simul tribueret ampliatoribus suis, regi *Siciliae*, *Lombardis* et *imperatori Constpolitano*, (qui nobis contra eum *in ecclesiae* necessitatibus firmiter astiterunt, *Baron.* ex Rogerii annal. num. 19.) Reprehenderat *Alexander* Angliae episcopos iusto plus curiae regis addictos; sed respondit aep. cantuar. et oggessit, cur *Siciliae* episcopis liceat, in curia regis per septennium aut decennium versari? num. 30. Tandem anno 1177 pax restituta fuit inter imperatorem et Alexandrum *Venetiis;* duplicem narrationem descripsit *Baronius;* vtramque ex *codice chronicorum*, qui fuit cardin. *Bessarionis*, Venetiis asseruatus; iure iurando firmata pax *papae*, *Wilhelmo* Sicil. et 13 ciuitatibus sociis, sic *Blondus*, *Aeneas* Siluius &c. *Altera narratio* complectitur multo plura; Fridericum a papa iussum, humi se prosternere, veniam denuo postulare, adstante populo; papam collum caesaris pede compressisse, et dixisse ista satis nota atrocia carmina — Papam priuilegia concessisse *ducibus* venetis, *funale candidum*; *plumbo* deinceps sigillare epistolas; vmbellam, ornamentum galero persimile; sedem *tertiam* in theatro romano (1. papae; 2 caesaris,) et in *adscensione* domini, in templo S. Marci *indulgentiam plenariam* perpetuo duraturam; in alia charta, quam *Baronius* affert, additur, *indulgentiam* esse tantam, ac si visitarent Ierusalem; et primis dominicalibus mensium tantam indulgentiam concessit, *quantam arenam capere potuit cum ambabus manibus* — Papa in dominica *Laetare* ad S. Marcum, missam celebraturus, accessit; de consuetudine *auream ferens rosam* — post completam missam, *rosam*, quam detulerat, duci Venetiarum, *in signum gratiae* sedis apostolicae contulit. (Meminerimus seculo 15 *rosae aureae.*) Addit *Baronius*, *Petrum*, blesensem sermone 15 huius ritus mysteria pandere. Non conuenit

scrip-

ſcriptoribus, de iſta ſiue hiſtoria ſiue fabula, Fridericum papae pedibus, *Petro* certe, ſubieciſſe collum ſuum; *pictoribus autem atque poetis quidlibet audendi ſemper fuit aequa poteſtas*, ipſe *Baronius* hic addit. *Stapham*, ſeu ſtreguam aſcenſuro in equum papae tenuiſſe Fridericum fortiter, vt narrant *acta* iſta apud Baronium, et papa ipſe in Epiſtola ad abbatem caſſinenſem, non videtur ab hiſtoria alienum. Sic omnibus abſolutio data; *ſchiſma* ſublatum; pacem confirmarunt etiam aepi et epi Germaniae; *Moguntin. colon* (archicancel. *Italiae*) *magdeburg. treuirenſis*; *wormatienſis* &c. Reſtabat ad complementum pacis, quod et papa flagitabat, vt *regalia* S. Petri et *poſſeſſiones* S. R. E. ab imperatore reſtituerentur: annuiſſe fertur imperator, quod attinet ad regalia S. Petri, et *alias* poſſeſſiones romanae eccleſiae, *praeter terram* comitiſſae *Mathildis* et caſtrum *Bertinorum*, quae *ad imperii ius* pertinere viderentur. Adiecit *Baronius* aliam narrationem, ex *Romualdi*, ſalernitani aepi, chronico, qui rei geſtae interfuit, regis Siciliae, *Wilhelmi*, legatus; in ſermone papae et Lombardorum non deſunt, quae imperatorem pungunt; praecipue vero num. 51 *Lombardi* reſpondiſſe narrantur, cum poſtularent legati imperatoris, vt eadem redderent imperatori, quae *ſeniori Henrico* ab anteceſſoribus fuiſſent perſoluta. Reſpondemus, *quod Henrici diſpoſitiones et ſtatuta* propter antiquitatem temporis iam pene perdidere memoriam; nec viuit aliquis noſtrum vel veſtrum, qui bene poſſet illius temporis dicta vel facta recolere. *Henricus* ille, ſalua auctoritate imperii, non debet dominus, ſed *tyrannus*, vocari — ſed ſi placuerit, ea quae anteceſſores noſtri iuniori *Henrico*, *Conrado*, et *Lothario*, et *Friderico* ipſi vsque ad haec tempora reddiderunt, recipere: parati ſumus. — Multa alia hic narrantur, quae cum honore *Friderici* minus conueniunt. quam Papae maligno conſilio. — n. 68 Fridericus, tactus diuino ſpiritu, *deum in* Alexandro venerans, imperiali dignitate poſtpoſita, reiecto pallio, *ad pedes papae totum ſe* extenſo corpore

inclinauit — idem ſumto ſtratoris officio, pallium depoſuit, manu virgam accepit, laicos de choro expulit et papae viam, *tamquam oſtiarius* (olim diaconi honorem dicebatur imperator gerere) praeparauit. Cum papa ſermonem ad populum haberet, et *Fridericus* attentius auſcultaret: verba, quae ipſe *litterate* proferebat, papa iuſſit per patriarcham *Aquileg. in lingua teutonica* euidenter exponi. In alio ſermone papa ex Luc. 15 filium iſtum perditum hunc imperatorem fecit — Imperator coepit in lingua *teutonica* concionari, *Chriſtiano* cancellario verba vulgariter exponente — dei eccleſiam impugnauimus — tunica Chriſti inconſutilis, quantum in nobis fuit, per *haereſes* et ſchiſmata violata eſt — Comes *Henricus* de *Dieſſa* in anima imperatoris iurauit, pacem firmiter obſeruatum iri; inde XII *principes imperii* tam eccleſiaſtici, quam ſeculares, iurarunt; pacis tamen illa etiam fuit conditio, vt *Chriſtianus* ille, quem imperator fouebat, aepiſcopatum moguntinum retineret, reiecto illo *Conrado*, qui papae partes amplexus fuerat; ceſſit igitur *Conradus*. — cum Romualdus aep. ſalernitanus de faldiſtorio ſuo ſurgens, *ſtans* loqui ad imperatorem voluiſſet, nomine regis Siciliae, imperator eum *ſedentem* loqui praecepit. Ex diplomate pacis cum rege Siciliae initae, n. 79 patet. non XII ſed X principes iuraſſe, et nomen protonotarii imperatoris falſo per A ſignari apud Baronium num. 36. Nominatur hic, praeter cancellar. imperii, (aep. moguntinum) alius, *imperialis aulae* cancellarius *Gotefrid*; antea num. 48 etiam magdeburgenſis et colonienſis aepi nominabantur; num. 80, *verdenſis* epus. *Venetiis* in concilio, quod *generale* quidam nominarunt, iſta omnia, excommunicatione prolata, confirmata fuerunt. *Conradus* autem ille, qui antea electus fuerat aepus moguntinus, iam *Salisburgenſis* factus, *legatiam totius teutonici regni* accepit; antipapa *Caliſtus* ab omnibus reprobatus (is anno 1178 poenitens, ab *Alexandro* benigne in curiam et menſam admiſſus;) ordinationesque omnium praedeceſſorum antipaparum reſciſſae,

alta.

altaria dedicata, disiecta; tandem num. 89 *Baronius* ipse refellit ea vehementer, quae de fastu papae, qui caput imperatoris pede presserit, a quibusdam parum fide dignis narrari soleant; idem *Baronius* vero grauiter indignatur, quod *Fridericus* castrum *Bertinorum* e papae manu extorserit; inter *Bulgaros* et *Mainardos*, qui erant fortiores ipsius loci milites, aemulationes emerserant, et pars altera imperatori fauebat. Anno 1179 scribit *Baronius*, num. 16, *ducem Portugalliae*, ob res aduersus Arabes strenue gestas, *regis* titulo per *Alexandrum* auctum fuisse; diploma exstare in turri *de Tombo* dicta, in qua asseruantur monumenta regum; nec tamen hoc diploma in lucem protulit, sed *Innocentii* 3 quasdam epistolas, quae rei sic gestae, et census annui, (centum *byzantiorum*) qui Romam mitti solebat, faciunt mentionem. Anno 1180 *Baronius* grauiter narrat, de *prophetissa*, quae ex Galliis Romam se contulerit, vt per papam spiritus probaretur, num esset ex deo; mulieris maritus cortinas ecclesiae alicuius in pignus acceperat, nec reddere voluit, licet festus dies *Mariae* ornatum istum postularet. Coniugi Maria apparuit, filii et mariti mortem praedixit, mulieris autem id fatum fore, vt omni feria quarta circa horam nonam spiritus in ea deficiat, sanguisque multus ex ore et naribus prodeat; Sabbato, hora nona, rediturum spiritum. Papa spiritum sic probauit, vt iusserit aliquot matronas mulierem obseruare; eique in ecstasi positae calentes subulas per plantas infigere; et de sanguine ex illa manante vestes suas inficere. Sed mulier immota mansit; infectio autem omnis per sanguinem istum, in sabbato non comparuit. Fuit, sic pergit *Baronius*, semper in ecclesia prophetia, iuxta illud *Ioelis*, *prophetabunt filii et filiae vestrae;* atque prophetias (tales enim) non spernendas esse Paulus admonuit, 1 Thessal. 5. Digna omnino annalibus historia! Hoc eodem anno *Alexander* epistolas edidit, declamatione romana plenas, quibus *ad expeditionem in terram sanctam*, contra *Saladinum* concitare sacros milites studuit, insunt istae sententiae —

Christus in illis partibus crucis patibulum sustinuit, vt *nos offerret deo, mortificatos quidem carne, iustificatos* autem spiritu (sic torsit sententiam 1Petri 3.) — illis, qui *pro Christo* (mira phrasis) eius viae laborem sumserint, illam *indulgentiam peccatorum*, quam pradecessores nostri, *Vrbanus* et *Eugenius* statuerunt, confirmamus — liceat eis terras, et possessiones alias, si propinqui aut domini sui, ad quorum feudum pertinent, pecuniam ipsis mutuare *noluerint*, *ecclesiis* vel ecclesiasticis viris, *libere*, *et sine vlla reclamatione*, pro expensis huius itineris, pignoris titulo obligare. Eis, qui 2 annis contra Saracenos *pro christiani nominis defensione* pugnauerint, absolutionem facimus omnium delictorum, de quibus confessionem fecerint. — qui per annum. de medietate iniunctae poenitentiae *indulgentiam*, et *remissionem* suorum obtineant *peccatorum*. Omnibus, qui sepulcrum domini pro instanti necessitate visitabunt, siue in itinere moriantur, siue eo perueniant, *laborem itineris* ad poenitentiam, obedientiam et *remissionem peccatorum omnium*, iniungimus, vt de vitae praesentis ergastulo veniant ad beatitudinem — Ex alia epistola, ad omnes Praelatos ecclesiarum, num. 19 perspicimus, *milites templi*, (quos *dilectos filios* nominat papa,) latores etiam praesentium, ex orientalibus partibus ad papam missos fuisse; iubet hos *fratres* benigne recipi ab episcopis, et principes, comitesque et fideles alios inducere, vt terram istam festinanter adeant. Istae litterae in ecclesiis publice lectae — Non parum sibi timuit *Emmanuel Comnenus* ab istis sacris militibus; itaque Cardinalem a papa expetiit, cuius auctoritate Graecorum res a militum malignitate defendantur; postulauit etiam, vt quicquid *ciuitatum* intra confinem *Romaniae* eripiatur Turcis, (quarum catalogus missus fuit cum apocrisiariis graecis,) graeco imperio adiiciatur.

Mortuo hoc anno papae suffectus fuit *Humbaldus*, pontifex vrbium *Ostiae* et *Velitrnensis*, consecratus itaque ab archipresbytero *Ostiensi*, quia per ista tempora

ius consecrandi papam proprium fere fuit *ostiensi* episcopo. Nouus papa nomen *Lucii* 3 sumsit; sed quia consuetudines quasdam praedecessorum noluit ipse continuare, a Romanis e loco in locum fugere coactus est; moguntinus aep. nomine imperatoris exercitum in Italiam duxit, vt Romanos compescceret; sed cum veneno fons aquae infectus esset, e quo aquam vino miscere aep. solebat, ipse cum aliis non paucis mortem oppetiit. Itaque papa argentum ex Anglia aliisque terris corrogauit, quo Romanos per aliquod tempus placauit. A. 1185 conuentus papae et imperatoris *Veronae*, pro quibusdam causis determinandis; hic imperator rogauit, vt illis, qui e schismaticorum manu suscepissent ordines, eos seruare liceat; atque primum papa non videbatur abnuere; aliorum tamen consiliis rem in concilium distulit. Hic *Alemanni* cantasse feruntur, *sustinuimus pacem, et non venit* &c. quae praesumtio cardinalibus valde displicuit, quod gratiam minando quaerant, (*Arnold.* lubec. in chronica.) Actum hic fuit, de patrimonio *Mathildis*, quod ab ea dicebatur imperio collatum, non sedi apostolicae; item, de electione *Treuirensi*, cum et *Volcmarus* et *Rudolfus* electi essent; huic imperator inuestituram dederat, ille vero ad papam se conuerterat. Papa, cui *Volcmarus* non parum molestus erat, (in curia papae viuebat,) citauit *Rudolfum*; atque *Fridericus* eum comparare iussit, a 2 *decretistis* (qui canonum auctoritate eum defenderent) et 2 *legistis*, (qui imperatoris partem iure legum defenderent,) adiuuandum. Res non potuit confici; papa negauit, *filium* imperatoris, *regem Henricum*, imperialibus posse insigniri, nisi pater ea deponeret; non posse simul duo imperatores regnare. (*Arnoldus* a. 1183, *Cranzius* melius 1185.) Interea *Saladinus* res christianorum sub oriente sole magis magisque adflixit; itaque alia legatio ad *Lucium* missa, vt ab eo *remissio peccatorum* promitteretur, loco *militaris stipendii;* sic ipse *Baronius* describit; fuit ex legatis patriarcha *Hierosol.* magister *templi*, *hospitalis*, atque *Wilhelmus* aep. Tyri, qui hic finem

commentariorum ſuorum fecit. Acceptis hi a papa litteris ſtatim in Angliam profecti, attulerunt vexillum regium et *claues ſepulcri*, *turris Dauid*, et vrbis Hieruſalem; hunc enim regem, quaſi haeredem ſanctae terrae prae aliis adire viſum; *Fulco* enim, frater comitis Andegauiae, patris *Henrici*, fuerat rex Hieruſalem. Rex *dedit licentiam* vniuerſis *hominibus ſuis*, tam clericis, quam laicis, ſumendi crucem; rogatus etiam *Philippus* rex Franciae; ſed licet ſubſidia in hominibus atque in pecunia promitterent, parui momenti eſſe duxit patriarcha, niſi regem aut aliquem filiorum eius in terram ſanctam adducere poſſet. Immortuus eſt negotio papa *Lucius*; cui hoc eodem anno 1185 ſuffectus fuit *Lambertus Cribellus*, aep. mediolanenſis, nomine *Vrbani* 3, qui priſtinam cum imperatore litem vehementius inſtaurauit; exprobrans ei, quod patrimonium *Mathildis* occuparit; epiſcoporum exuuias iniuſte accipiat, (hanc cauſſam *Philippus*, aep. colon. dicebatur praecipue egiſſe, qui aegre ferebat, poſt mortem epiſcoporum omnia mobilia in fiſcum redigi;) *Abbatiſſarum* congregationes plurimas in diſperſionem dediſſet, dum *propter enormitatem ipſarum*, vſurpatis ſibi ſtipendiis, perſonas remouiſſet, ſed alias non reſtituiſſet ſub meliori profeſſione. *Treuirenſem* etiam *Volcmarum* papa iam conſecrauit, nec *Conradus*, mogunt. *Bertoldus*, metenſis, atque XI alii epiſcopi a *Volcmaro* alieni erant; efficere tamen papa non potuit, vt contra *Rudolfum*, quem imperator defendebat, aut in ſpiritualibus aut in temporalibus aliquid valeret. Itaque cum papae obſtinatum animum *Fridericus* perſpiceret, clauſit omnes vias Alpium, vt nemo adire poſſet ſedem apoſtolicam; itaque papa *Philippo* colon. aepo dederat *legationem romanae eccleſiae* &c. latius hanc rem deſcribit *Arnoldus* lubec. Interceſſit excommunicationi, quam in imperatorem papa prodere voluit, ipſius mors a. 1187, quam inſignis dolor, ex *Saladini* victoriis, expugnataque Hieroſolyma, conceptus videtur adiuuiſſe; ſic narrant certe plures ſcriptores; licet *Neubri-*

gen

genſis lib. 3 c. 20 papam ante eius cladis nuntium obiiſſe ſcribat. Anno 1186 celebratae nuptiae *Henrici* 6., cum *Conſtantia*, (quam ſeriores quidam ſcriptores *monialem* faciunt,) filia *Rogerii*, Siculi; Mediolani in coenobio S. *Ambroſii*. Caerimonia ſacra, qua et *Fridericus* coronatus fuit imperator, et *Henricus* filius, *rex*, ſeu *Caeſar*, inuito pontifice romano, a patriarcha *aquileg.* qui Henricum, et aepo *Viennenſi*, qui *Fridericum* coronauit, peracta fuit; vnde intelligitur, huius papae auctoritatem non parum iam defeciſſe apud imperii romani proceres; tulit tamen papa, vt potuit. *Vrbano* ſtatim ſuffectus fuit *Gregorius* 8, qui litteris encyclicis ad recuperandam terram ſanctam chriſtianos hortatus eſt; ſimiles formulas in litteris *Terrici*, *Magni Praeceptoris* Templariorum, et *Haimerici*, patriarchae Antioch. apud Baronium a. 1187 legere licet; clarius rem ſummam deſcribit *Conradus*, marchionis de Monteferrato filius, in epiſtola ad aepum cantuarienſem Balduinum: turbantur elementa, et catholicae fidei derogatur, cum *ſedes Hieroſolymitana apoſtolicae ſedi* ſubtrahitur — ſedes Cpolitana *nullam exhibet reuerentiam* — Saladinus imperatori Cpolitano *tradidit omnes eccleſias terrae promiſſionis*, *vt in eisdem ſeruiatur ſecundum ritum Graecorum* — vt impediat *viam chriſtianorum*, *maxime Francorum*, ad ſuccurſum terrae ſanctae properantium &c. Ingenium talium epiſtolarum, quas papa edidit, facile fingere licet, dolet praecipue *crucem* ſanctam veniſſe in manus paganorum; (Saladinus crucem de templo deponi et per 2 dies per vrbem in oſtentum fuſtigando portari fecit, vt narrat *Terricus*;) tam ſanctam terram, in qua prophetae et apoſtoli et Chriſtus laborarunt, conculcari a gentibus — hortatur: praemittite in caeleſte horreum quae habetis, et deponite apud eum, apud quem aerugo non demolitur, nec fures effodiunt — ne timeatis dare terrena — promittit plenariam indulgentiam omnium criminum et *vitam aeternam.* Epiſtola alia *ieiunium quinquennale* edicit, ſaltem per omnes ſextas ferias, in

cibo quadrageſimali; feria 4 et ſabbato omnes indifferenter qui bene valent, a carnibus abſtineant; nos autem et fratres noſtri in ſecunda quoque feria nobis et familiis noſtris eſum carnis interdicimus — ſperantes, quod ſic nobis ignoſcet dominus — Cardinales autem promiſerunt, abiectis diuitiis et deliciis, praedicare crucem, verbo, opere et exemplo, atque ire mendicando, et praecedere alios in terram ſanctam; ſtatuta etiam fuit Treuga inter omnes chriſtianos in 7 annos — firmiter etiam promiſerunt, quod non accipient munera ab aliquo, qui cauſam habeat in curia papae; *et non adſcendent in equum* (ſcil. niſi euidens cauſſa et neceſſitas fuerit, vt ſolet fere addi talibus votis,) *quamdiu terra, in qua pedes domini ſteterunt, fuerit ſub pedibus inimici*; ſic narrat *Rogerius* in annalibus; ſed facile intelligitur tam diuites promiſſores hac ratione eo facilius alios commouere ad ſacra arma ſumenda voluiſſe. Mortuus fuit *Gregorius* nondum expletis 2 menſibus; ei ſucceſſit *Clemens* 3, is primum omnium continuauit illa publica ſtudia, ad promouendum bellum ſacrum, pollicitus iterum: quod quicumque ſacram crucem ſuſceperit, *de omnibus peccatis — eſſet* liber et abſolutus; rem narrat *Rogerius*, et *precum formam* deſcripſit, quae per dies ſingulos in eccleſiis, ad Miſſam, recitanda erat. Orauit ſacram hanc cauſſam *Guilielmus Tyrius*, praeſentibus regibus *Angliae* et *Franciae* tanta cum facundia, vt de manu eius crucem acceperint; atque in eadem hora ſignum crucis apparuit ſupra eos in caelo; quo viſo miraculo plures cateruatim ad ſuſceptionem crucis ruebant — Rex alter ſibi et Francis ſuis cruces *rubeas* ſumſit; rex Angliae, *albas*, *Philippus*, Flandriae comes, *virides;* copioſe rem deſcribit *Rogerius*, variasque leges et conditiones, in quas ſacri milites conuenerant. Rex Angliae *decimas* ſatis duriter exegit; ſi qui nollent ſoluere, in carcerem mittebantur; *Saladinae* dicebantur; non ſolum Iudaeis non parcebatur, ſed nec eccleſiis, quas vt defenderet, aduerſus Francicam exactionem, ſcripſit vehementem epiſtolam, illam

lam 112, Petrus *Bleſenſis*, ad *aurelian.* epiſcopum; a clericis nihil aliud exigendum, quam preces. Accepit etiam *Fridericus* crucem, de manu *Henrici* cardinalis, alban. epi; nec defuerunt induſtriae manus, quae epiſtolam *Friderici* ad *Saladinum*, (differt tamen apud *Rogerium* et *Matthaeum Paris,)* atque huius ad illum, poſteris transmitterent; ſatis imperite confictas. Interceſſit tamen ſacro itineri bellum iſtorum regum, quod papae legatus, *Ioannes* Anagninus cardinalis, in Franciam miſſus componere non potuit, licet *interdictum* minatus; Rex Franciae reſpondiſſe fertur, quod talem ſententiam non timeret, nec teneret, quia nulla aequitate niteretur; *non pertinere ad eccleſiam romanam*, in regnum Franciae per ſententiam vel alio modo animaduertere — cardinalem iam *Sterlingos* Regis Angliae *olfacere;* ita *Rogerius* narrat. Nempe auaritia *legatorum* papae non erat obſcura per iſta tempora; *Wilhelmus* Neubrig. lib. 3 c. 9 de legato *Viuiano*, ad Hibernos, a. 1183, ſcribit, eum ob ingruentia bella recedere coactum, *auro hibernico*, *quod multum ſitierat, minus onuſtum.* Nec maius ſtudium ſanctî belli fuit in filio *Richardo*, qui Henrico a. 1189 ſucceſſerat; idem certe *Rogerius* narrat: inter haec, ad pecuniam congerendam, Richardus ipſe miſſis nuntiis ſuis ad *Clementem* papam, obtinuit ab eo *litteras patentes*, vt quoscunque rex vellet dimittere ad terras ſuas cuſtodiendas, *eſſent quieti a captione crucis et ab itinere Hieroſolymitano*; *vnde ipſe ſibi inaeſtimabilem acquiſiuit pecuniam.* Intelligimus, quantum fuerit curae negotium Palaeſtinae recuperandae! Itaque, ob iſtas difficiles moras, *Petrus*, bleſenſis, tuba leuitica perſtrepens, vt Baronius ſcribit, claſſicum intonat, et ad maturandam profectionem, edito libello, omnes excitat; idem epiſt. 121 ad decanum Rothomag. exagitat iſtas artes auri colligendi; — reges nouae peregrinationis obtentu volunt orbem deſcribere — dilatio nuperae peregrinationis, quae toti chriſtianitati verſa eſt in ſingultum, exemplo eſt; viam ab exactione inceperunt, viaticum ſibi de

rapinis pauperum et ecclesiarum spoliis confecerunt — *Fridericus* imperator iter hoc sacrum suscepit, sed Graecorum miris artibus non parum impeditus fuit; quia monachus quidam *Studita Isaacium* imperatorem quasi vates terruit, *Fridericum* Cpolin magis expugnare velle, quam Palaestinam recuperare. A. 1190 etiam Richardus ad sacrum bellum se accinxit, postquam Elienſi epo custodiam regni tradiderat, eique legati apostolici honorem a papa impetrauerat; vehementer tamen *Octauianum*, cardinal. epum ostiensem reprehendit, ob Romanorum sacram auaritiam; nempe *pro consecratione* epi cenomanensis, 700 marcae postulatae fuerant, et pro legatia Elienſis epi 1500 marcae; et multum pecuniae, ne deponeretur burdegalenſis epus, qui a clericis suis accusabatur in crimine; ista idem *Rogerius* in annalibus. Hic rex in Italia cum *Ioachimo*, celeberrimo isto abbate, colloquium habuit; qui vatem egit minus veridicum; regi certe multa magnifica pollicitus, (sic Rogerius; sed alii narrant; *Ioachimum* contradixisse passagio; nondum esse tempus;) cui contraria omnia acciderunt; hoc eodem tempore idem abbas regi confirmare ausus est, *antichristum* iam natum esse *in ciuitate romana*, eumque in *sedem apostolicam* proiectum iri; quae oratio non obscure significat, quid homines non omnino imperiti, de papa atque omni ista publica religione inuenusta, sentire solerent. *Clementi* a. 1191 mortuo, *Caelestinus* 3 suffectus est, annorum iam 85; cuius atrocem superbiam, qua vsus sit in coronatione *Henrici* 6, qui post *Friderici* mortem imperatoris nomine augebatur, nisi plura confinxit, descripsit *Rogerius* in annalibus: sedebat papa in cathedra, *tenens coronam* auream imperialem *inter pedes* suos; et imperator inclinato capite recepit coronam, et imperatrix similiter, *de pedibus domini papae*. Papa autem *statim percussit cum pede suo coronam* imperatoris, et deiecit eum (eam) in terram; significans, quod ipse potestatem eiiciendi eum ab imperio habet, si ille demeruerit. Sed cardinales statim arripientes coronam impo-

posuerunt eam capiti imperatoris. Addit *Baronius*, qui ista describit, factum huiusmodi scias ea ratione *recens adhibitum*, — vt id fixum menti Henrici haereret, *dare*, *custodire*, et *auferre*, si causa exigeret, *imperium*, *esse in voluntate pontificis romani*. Tales, tam horridas nugas mirum est caesareo priuilegio exornatas luci publicae exponere licuisse; vidit iam *Natalis Alexander*, istam narrationem *suspicione falsitatis laborare*. Nempe haud dubie, in odium imperatoris Henrici ista conficta fuerunt a scriptore *Anglo*; *Baronii* vero leuitatem non possumus non reprobare, qui tam immanes nugas hic confirmauit, istam vero fabulam, de *Friderico* per Alexandrum calcato, studiosius ipse refellebat. *Tancredum* tamen hic papa regem *Siciliae* designare ausus est, quam ex Wilhelmi quasi haereditate *Henricus*, coniugis causa, sibi tribuebat. A. 1192 *Caelestinus* in epistola episcopis per Angliam inscripta, quam pro *encyclica* Baronius iure habet, prohibuit *Torneamenta*, quae causa laetitiae inuenta fuerunt, et tyronum exercendae virtutis, vt, qui se voluerint exercere, *ad terram potius sanctam* accedant, vbi corporis et animae virtus poterit salubriter demonstrari. Videtur haec prohibitio pluribus de causis memoria digna esse. Hoc eodem anno *Cencius*, Clementis 3 et Caelestini camerarius, collegit *librum censuum* romanae ecclesiae, cuius praefationem exhibet Baronius num. 19. i. e. quantum deberent persoluere ecclesiae, monasteria, hospitalia, quae etiam ciuitates, castella, villae, quae etiam Reges seu principes &c. Tres descripsit *Baronius* epistolas *Eleonorae*, matris Richardi, ad Caelestinum, satis vehementi stilo *Petri* blesensis exaratas — saepe pro causis mediocribus vestri cardinales, etiam ad barbaras partes legatione funguntur; in causa vero tam ardua, (liberatio regis e potestate imperatoris,) nec vnum adhuc subdiaconum aut acoluthum destinastis. *Legatos enim hodie facit quaestus*, non respectus Christi, non honor ecclesiae, aut populi salus — ingratitudinem erga regnum Anglicum et desidiam papae ex-

exprobrat. Nec desunt blanditiae: Christi crux antecellit caesaris *aquilas* (in plurali iam); gladius Petri, gladio Constantini; apostolica sedes praeiudicat imperatoriae potestati. — si filius meus in prosperis ageret, ad simplicem eius vocationem festinantius accessissent; quia de publico regni quaestu *suae legationis* vberes manipulos exspectarent — nunc canes muti latrare aut non possunt, aut nolunt. — Ex certa et publica relatione cognouimus, quod imperator post episcopi *Legiensis* mortem, quem funesto gladio longa tamen manu dicitur occidisse, *Ostunensem* epum et 4 epos comprouinciales eius, *Salernitanum* etiam et Tranensem aepos, coarctat miseria carcerali; et, quod auctoritas apostolica nullatenus dissimulare debuerat, *Siciliam*, quam a temporibus *Constantini* constat esse patrimonium Petri — vsurpatione tyrannica occupauit. (De episcopis istis ab imperatore in *Germaniam* missis, vid. *Vghelli* italia sacra tomo 7 pag. 414 edit. nouae, vnde patet, a *Baronio* hanc tertiam reginae epistolam minime in annum 1193, sed serius, poni debuisse.) His tandem tam importunis litteris, et rebus ipsis, motus *Caelestinus* anathema intentauit imperatori et regi Franciae, nisi a rege *Richardo* vexando desisterent; sed plus effecit pacta pro liberatione regis pecunia (marcarum argenti 100000 ad pondus *Coloniae;* et alia 50000 millia, aut certis conditionibus 20000 duci Austriae;) quam anathema. Isto anno 1193 nuptiae Philippi, regis Franciae, cum *Ingelburga*, regis Daniae filia, s. sorore, celebratae; sed, postquam rem cum ea habuerat, eam dimisit, ob sanguinis propinquitatem, (inter priorem et hanc coniugem;) egit quidem rex *daniae* apud papam, vt eam Gallus reciperet: sed papae episcopisque legatis rex non paruit. Liberatus iam *Richardus*, a. 1194 ab aepo colonienſi amplissime exceptus; celebrata missa, de vinculis *Petri*, cuius introitus est, nunc scio vere, quia misit dominus angelum suum, et liberauit me de manu Herodis. Operae pretium esse putauit *Baronius*, describere ineptissimas naenias, ex *Wilhelmo* neubrigensi, lib. 5, 7, de

de quodam diabolo, qui sacro cuidam peregrinatori apparuit, non virtute crucis, cuius signum homo statim opposuit, sed apostoli *Iacobi*, cuius in Hispania sepulcrum homo inuiserat, auctoritate vix repressus; quo iubente fassus est, se diabolum esse, qui turbas istas inter reges in terra sancta suscitarit: ego per ministrum nequitiae meae, ducem Austriae, regem Angliae captiuaui, (sic solent scriptores res patrias sacris figmentis defendere;) ego cubili regis frequenter adsisto — rex, cum audisset, *cubiculum suum de cetero castius esse* voluit, et de thesauris suis largiores eleemosynas erogare. Excommunicationem atque *interdictum* dux Austriae nihil reueritus fuit; per episcopum *Veronensem*, legatum, *Matthaeus Paris* narrat eam funestam caerimoniam in Austria peractam; *Baronius* suspicabatur, *Viennensem* forte legi debere, quod tamen est minus verisimile; atque *Radulphus* de *Diceto* exhibet litteras papae ad episcopum *Veronensem*, vt Pagius iam notauit; itaque *Vghellius* in Italia sacra supplendus hic esset; qui nihil eius rei annotauit, in *Adalardo*, qui fuit per id tempus veronensis epus; tomo 5 Italiae sacrae pag. 810 seqq. nouae editionis. Ceterum papa non destitit, per legatos in *Angliam*, *Germaniam*, *Italiam*, bellum vrgere; quia post *Saladini* mortem inter eius filios dissensiones ortae spem non exiguam faciebant, opportunitatem illam praecipuam consilia Papae maxime promoturam; nec *Henricus* rei omnino deesse videbatur, exsistimationem certe suam apud omnes magnopere adiuuit, partim in comitiis Wormatiensibus, 1195, legato romano praesente et commendante, partim pluribus mandatis per Germaniam, Apuliamque. Non est autem obscurum, *Henricum* tam prompta studia non tam in terram sanctam, quam aduersus *Normannorum* in Italia posteros, prae se tulisse; eius certe atrox in illos, per Siciliam, seueritas, vel coniugem *Constantiam*, quae et ipsa ex illa gente erat, ad foedus cum gente sua ineundum permouit; nec vana fuerunt haec consilia; imperator potius non parum concessit, ne domesticis tur-

turbis omnino inuolueretur. In bello captus fuerat a rege Angliae *Philippus*, bellovacenſ. epus; eius *loricam* rex papae, qui litteras deprecandi cauſſa (pro *filio ſuo* et eccleſiae,) miſerat, afferri iuſſit, et dici, *vide an tunica filii tui ſit; Matthaeus Paris* narrat a. 1196. Mortuus Henricus a. 1197 per papam a ſepultura prohibitus, niſi de conſenſu regis Angliae, et reddita illi pecunia; nec filius *Fridericus* ſine papae venia, (qui et cardinalium auctoritatem adiecit,) Siciliae coronam impetrauit; datae ſunt papae mille marcae argenti, et cardinalibus totidem, ſic *Rogerius*; qui tamen fidem non meretur, quod ſcribit, puerum hunc, VII annorum, iam demum baptizatum; haud dubie et hoc inuidiae cauſſa in patrem Henricum confinxit; quemadmodum *teſtamentum* Henrici, quod Baronius num. 9 ex actis *Innocentii* 3 commemorat, confictum eſt a transmarino quodam homine. In eo enim dicitur ſcripſiſſe: — regnum Siciliae, ſi haeredes deſint filio, redire ad *romanam eccleſiam* (ad papam vero; rom. enim eccleſia hic non eſt omnis latina illa;) pro *confirmatione imperii*, quam papa filio impertiet, volumus, quod tota terra Mathildis reſtituatur domino papae — etiam Rauennae ducatus, Marchia Anconae &c. cuius figmenti auctor primus videri poteſt *Rogerius*; nec enim iſta conueniunt cum narratione *Matthaei* Paris, *Henricum* legaſſe capitulo ciſtercienſium 3000 marcas de redemtioue regis Richardi, ad turibula, per totum ordinem, facienda argentea; abbates vero renuiſſe; itaque regem hoc factum abbatum, *quod ſolida caruit auaritia*, laudaſſe. Non puduit tamen Anton. *Sandinum* in vitis pontificum fabulam de teſtamento repetere. Idem *Baronius* textum *Arnoldi*, lubec. libro 6, cap. vltimo, dicit ab aliquo nouatore corruptum eſſe; nam, cum locus *Arnoldi* id dicat: Armeniae (principem) *Leonem* regis nomen affectaſſe, miſiſſe ad principes (ſcil. *Moguntinum* aep. et Verdenſem epum, qui in Palaeſtina remanſerant,) paratiſſimum ſe eſſe *romano ſubdi imperio*, ſi coronam diu deſideratam *ab ipſius* (ſcil. imperii romani,) mereretur accipere

nun-

nuntio, (moguntino scilicet aep. et cancellario;) *Baronius* hic notat: ab ipsius *romani pontificis* nuntio deesse videri. Porro, cum addit iste scriptor de suo: viderint tamen illi, qui, hac dignitate neglecta, plus diminutionem, *quam romani orbis* attendunt dilatationem, Baronius in margine *quam romanae ecclesiae* restituendum esse putat, textum corruptum ab aliquo nouatore. Sed nec verbo opus est, ad refutandam istam cardinalis animaduersionem.

Miserat papa a. 1197. Cardinalem capuanum in *Poloniam*, ad *reformandam* ecclesiam; nempe plures per eam tempestatem *sacerdotes vxoribus*, *velut iure* legitimo, vtebantur; iussit igitur legatus presbyteros abstinere ab vxoribus et concubinis; ita narrat *Dlugossus*, seu Longinus; atque intelligimus etiam, matrimonia laicorum potentiorum sine caerimonia ecclesiastica adhuc celebrari solita fuisse, siquidem idem legatus iussit, vt laici, quacumque excellentia pollentes, connubia *in facie ecclesiae* contrahant. Sed minus reuerebantur eius auctoritatem *Bohemi;* clerici *Bohemici* adeo in occisionem legati *Pragae* grassari coeperant, nisi episcopus, qui ducalem tunc obtinebat potestatem, improbos conatus repressisset. Mortuus *Caelestinus* a. 1198 successorem habuit celeberrimum *Innocentium* 3, cuius historiam in sequens seculum reiicere liceat.

CAP. II.

De propagatione publicae religionis.

1. Sub occidente sole.

Non desunt per hoc seculum, qui barbaris gentibus ad sacra christiana transferendis operam dedisse narrantur; facile autem intelligimus, rem publicam et politicam id secum tulisse, ingenuum autem studium et exercitium, quod christianam mentem commendat, per ista maligna tempora, vix locum inueniisse. Nouis enim ciuibus, qui ad societatem publicam accesserant, nouae iam consuetudi-

nes

nes et leges imperabantur, quibus cum cetero iam corpore coniungerentur; christiani itaque dicuntur, quia sacros nouos ritus seruare discebant, abiectis patriis caerimoniis. Breuiter, vt possumus, potiores historias attingemus. *Pomeranorum* gentem *Boleslaus*, *Polonorum* dux, in potestatem suam redegerat; itaque *apostolum* prospexit, cuius ministerio nouis sacris imbuerentur; *Ottonem* vero, *bambergensem* epum, huic rei elegit, qui iam apud patrem huius ducis in honore fuerat; vitam S. *Ottonis* edidit *Canisius;* nec abest ab *actis Sanctorum*; papa *Callistus* 2 apostolatus prouinciam in *Ottonem* contulit; sub *Honorio* vero, successore Callisti, res maxime confecta est; nec imperatoris *Henrici* defuit venia petenti episcopo, vt proficisci in *Pomeraniam* liceret. Is igitur a. 1124 in partes Pomeranorum, et ad quasdam ciuitates terrae *Luticiae* abiit; compendium eorum recenset *Vrsperg. Conr.* et halberst. chron. quae Apostolus christianos nouos obseruare iussit; abstinere sexta feria a carne et lacte; vacare *dominica* ab omni opere malo; solennitates sanctorum cum vigiliis obseruare, item sacrosanctam quadragesimam. *Infantes* suos in sabbato S. Paschae et Pentecostes cum candelis et cappa, quae dicitur vestis candida, et patrinis comitantibus, ad baptismum deferre, veste innocentiae indutos per singulos dies vsque in octauum diem eiusdem sabbati ad ecclesiam deferre. Non necare, vt solebant antea, *filias;* sic legend. ne ipsi filios filiasque ad baptismum teneant, sed patrinos quaerant; ne quis commatrem ducat in vxorem, nec propriam cognatam, vsque in 6 et 7 generationem; vnus quisque contentus sit vna vxore; ne sepeliant mortuos christianos inter paganos, in siluis, aut campis, sed in coemeteriis; ne fustes ad sepulcra eorum ponant, domos idolorum non construant; pythonissas non adeant; sortilegi ne sint; ne quid immundum comedant, non morticinum, suffocatum, aut idolothytum, nec sanguinem animalium; ne communicent cum paganis; ne cibum aut potum cum eis aut in vasculis eorum fumant. Iniunxit etiam, dum sani sunt, vt ve-

niant

niant ad ſacerdotes eccleſiae, confiteantur peccata ſua; in infirmitate autem ſua vocent presbyteros, et corpus domini accipiant; mulieres poſt partum ad eccleſiam veniant, et benedictionem, *ſicuti mos* eſt, a ſacerdote accipiant. De his multo copioſius in *Ottonis* vita, libro 2, praeſertim *de catecheſi circa ſeptem eccleſiae ſacramenta*, quam diſceſſurus illis pro concione tradidit; addit *Baronius*, Pomeranos fideliſſime omnia cuſtodiiſſe; ſed negligentius *Baronius* ſic narrat; certum eſt enim, poſtquam redierat *Otto*, quod non pauci priſtinos mores et patriam ſuperſtitionem praetulerint; itaque a. 1126 alterum iter *Otto* in eas partes ſuſcepit. Nempe domini nunc chriſtiani faciebant idem, quod narrat *Helmoldus*, in chronica *Slauorum*, lib. 1 c. 36 (37) de Rugianis — habent fanum celeberrimum — gentes, quas armis ſubegerint, *fano ſuo cenſuales faciunt*; maior flaminis, quam regis veneratio apud ipſos eſt &c. Idem *Helmoldus* de *Henrico*, rege in omni Slauorum et Nordalbingorum prouincia, — c. 41, in diebus illis non erat eccleſia vel ſacerdos in vniuerſa gente *Luticiorum*, Obotritorum vel Wagirorum, niſi tantum in vrbe *Lubecke*, eo quod illic fuerit *Henrici* regis familiare contubernium. Surrexit eo tempore *ſacerdos* quidam, *Vicelinus* nomine, et venit *ad regem Slauorum* Lubecam, rogauitque, dari ſibi facultatem *praedicandi verbum dei*, infra terminos ditionis eius. (Ex iſtis exemplis etiam antiquiores hiſtorias explicari oportet, quae de variis apoſtolis narrant; qui ſemper veniam domini terrae antea expetierunt.) Hic *Helmoldus* pluribus deſcribit *modum ſtudiorum Wicelini*, admiſtis etiam verſibus quibusdam latinis; *Bremae* ſcholam per aliquod tempus hic rexit, atque inde *maiorum gratia ſtudiorum* propoſuit ire in Franciam; ibi ſcholis *Rudolphi* et *Anshelmi* operam dedit. Redux inde accepit ab aepo Hamburgenſi, *Adalberone*, legationem verbi dei, et vice ſua idololatriam in Slauorum gente extirpandi; deuouerant ſe cum *Wicelino* in idem miniſterium *Rudulfus*, Hildeshem. et *Ludolfus*, verdenſis canonicus. *Henricus* qui omnia ſe

adiuturum liberaliter promiserat, interea moriebatur; atque iam inter filios eius intestina bella coorta his consiliis interceserunt. *Falderensi* interea pago praefectus fuit ab aepo *Vicelinus*, *Marckrado*, ciui praepotenti de *Faldera* commendatus; is ibi nihil christianum, praeter nomen, inuenit; nam lucorum, fontium, caeterarumque superstitionum multiplex error obtinuerat. Iam e fratribus alter *Suentepulcus* rerum potitus fuerat, qui *Vicelino* et sociis eandem facultatem, quam pater, fecit; eos mercatorum colonia *Lubecae* benigniter suscepit; habuerunt ecclesiam in colle, e regione vrbis, trans flumen. Sed paulo post *Rugiani* oppidum cum castro demoliti sunt; sacerdotes isti non sine periculo ad *falderensem* portum refugerunt. *Canutus* inde post Ericum patrem rex Daniae, ab imperatore *Lothario* emit multa pecunia regnum *Obotritorum*, et omnem potestatem, qua vsus fuerat Henricus; hic Kanutus ecclesiam *Lubecae* dedicari iussit, quam construxerat Henricus. Post interfectum Kanutum et multas turbas, sub *Pribislao* et *Nicloto*, qui istas prouincias diuiserant, latius successit idololatria per Slauiam; praeter lucos et penates, quibus agri et oppida redundabant, praecipui dii erant, *Proue*, aldenburgensis terrae numen; *Sima*, dea Polaborum, et *Radigast* deus terrae Obotritorum; quibus flamines et sacerdotes dicati erant; mactabant diis suis hostias de bobus et ouibus, sed etiam de hominibus christianis. Praepollet autem *Zuantewith*, deus Rugianorum, cuius intuitu ceteros quasi semideos aestimabant; ei annuatim hominem christicolam, quem sors acceptauerit, litare consueuerant, huc et de omnibus Slauorum prouinciis sacrificiorum impensas mittebant. Adiit itaque *Vicelinus* Lotharium, vt Slauorum genti aliquod salutis remedium prouideret; locum etiam monstrauit castro nouo aptissimum, cui *Segeberg* postea nomen inditum; miles etiam aliquis *Herrmannus* castro impositus. Nec ecclesiae hic aedificandae *Lotharius* defuit, sex vel plura oppida in subsidium religionis adsignauit; *Vicelino* honor epi-

scopi

scopi decretus, si contingeret, omnem Slauorum gentem religioni christianae subiicere. Sic seminarium nouae plantationis *in Slauia* institutum. Post *Lotharii* mortem haec consilia non parum turbata fuerunt. Hic c. 55 narrat *Helmoldus* de diabolo, quem quidam fratres e *Falderensi* collegio, praecipue *Vicelinus*, variis quaestionibus vrsit, vt variam nequitiam fateretur; ille vero diabolus a principe suo legationem in *Daniam* acceperat. Inde porro e *Falderensi* collegio sacerdotes huc illuc missi fuerunt, vt ecclesias et monasteria aedificarent, c. 58. *Bernhardi*, clareuall. abbatis concionibus et ministeriis, triplex sacrorum militum exercitus collectus fuerat; primus sub *Conrado* in Asiam ductus; alter, naualis, ex minori Britannia in Hispaniam appulit, ad *portugalensem* nobilissimam Gallaeciae vrbem; rogati a rege Gallaeciae aduersus *Lucebonam* arma mouerunt; atque sic christianorum colonia eam in vrbem collocata fuit, c. 61. vid. *Martene* collect. ampl. tom. 1 p. 800. Tertius exercitus debellandis *Obotritis* et *Luticiis* destinabatur, vltus damna, quae *Slaui* christianis intulerant; irruerant *Slaui* in Wagriam, quibus se fortissime sacerdos *Gerlacus* cum paucis opposuit, in castro seu munitione *Susel;* tandem, postquam exercitus aduenit, c. 65, conuentio facta est, *vt Slaui christianam fidem reciperent; multi ergo falso baptizati sunt*; nec enim baptisma seruarunt, nec manus continuerunt a depraedatione *Danorum;* — in diebus illis, c. 68 sub seculum medium, *Henricus* dux adolescens duxit filiam *Conradi*, ducis de Zäringa, coepitque dominari in vniuersa terra *Slauorum* — in variis autem expeditionibus, quas adhuc adolescens in Slauiam exercuit, *nulla de christianitate fuit mentio*, sed tantum de pecunia; adhuc enim immolabant daemoniis. Videns iam *Hartuicus*, Hamburg aep. cap 69, quia pax erat in Slauia, proposuit reaedificare *sedes episcopales*, quas barbaricus furor olim destruxerat; *Aldenburgensem*, *Raceburgensem*, et *Mikilenburgensem;* nempe *Otto* magnus primus instituerat *aldenburgensem*, a terminis *Holsatorum* vsque

ad flumen Panim et ciuitatem Dimin; ſub decimo epo, *Ezone*, *Adalbertus* aep. Hamburg. de peregrinis epis, quos in menſa ſua habebat, *Iohannem* ſtatuit epum in *Mikilinburg*, et *Ariſtonem* in Raceburg; ſic in tres epiſcopatus diuiſus eſt aldenburgenſis. Sed *poſtquam chriſtianitas* adnullata eſt in *Slauia*, vacauerunt hae ſedes annis 84, ad tempus *Hartwici* aepi, qui magno ſtudio nitebatur recuperare ſuffraganeos epos vniuerſae *Daniae*, *Norwegiae*, *Suediae*, qui olim paruerant Hamburgenſi eccleſiae. Sed cum vel largitionibus nihil profeciſſet apud papam et caeſarem, *ne omnino careret ſuffraganeis*, aggreſſus eſt ſuſcitare iam pridem abolitos Slauiae epiſcopatus; *Vicelinum* praefecit aldenburgenſi, *Emmehardum* Mikilinburgenſi; *inconſulto duce et comite;* qui decimas omnes primi anni occupauit; comiter tamen epiſcopum querentem audiuit, fauoremque omnem promiſit, *ſi inueſtituram epiſcopalem* de manu ipſius recipere vellet epiſcopus. Id epiſcopo durum viſum eſt; quia eſſet praeter conſuetudinem; *epiſcopos enim* (nempe in romano et germanico regno,) *inueſtire ſolius imperatoriae maieſtatis eſt.* Sed aepi et cleri Bremenſis, auctoritate, plane renuit epus; non dandam eſſe duci manum, vt hoc exemplo incipiant eſſe *principum* Serui, *qui fuerant principum domini*; addit *Helmoldus* non male: iſti vaniglorii, et diuitiis adultae eccleſiae ſaturi, putabant honori ſuo hoc facto derogari, nec magnopere fructum, ſed numerum ſuorum ſuffraganeorum curabant — Nec multum profecit hic epiſcopus apud habitatores eius terrae; nomen flaminis, qui ſuperſtitioni praerat, fuit *Micke*; princeps terrae autem nominabatur *Rochel*; coeptum tamen eſt opus fabricae, eccleſiae, prope vallum vrbis antiquae (Lubeke), quo omnis terra die dominica, *propter mercatum*, conuenire ſolebat. Suſcepit tandem c. 70, *Wicelinus* Luneburgi *a duce Henrico*, cum in Bauariam profecturus eſſet, repetendi ducatus cauſſa, *epiſcopatum per virgam;* donatamque villam *Buzoe*. Sub hoc tempus in annalibus *Boſouienſibus*, (tomo 1 *Eccardi* pag. 1013) narratur,

ratur, *Rodibernus*, princeps Pomeranorum, fidem christianam firmauit iuramento. Narrat *Helmoldus* c. 77, de instaurato episcopatu *razeburgico*, cui *Henricus*, et *Adolphus*, comites beneficia multa contulerunt — c. 83 copiosius scribit Helmoldus, de *Slauorum* sacris institutis; ad sacras quercus in luco quodam conuenire solebant omni secunda feria, cum flamine et regulo, propter iudicia; iurationes difficillime admittunt; non consentiunt omnes in eandem superstitionis consuetudinem; inter multiformia numina *non diffitentur vnum deum* in coelis, ceteris imperitantem. *Geraldus*, aldenburg. epus cum Helmoldo et aliis terrae aliquam partem inuisit, et idololatras epus ad christianismum hortatus est. Sed princeps *Pribislaus*, hunc in modum conquestus est: qualiter ingrediemur hanc viam, tantis malis afflicti? Tanta seueritate in nos grassantur principes, vt propter vectigalia et seruitutem melior sit nobis mors, quam vita. Ecce hoc anno (1155,) nos habitatores breuissimi anguli huius, *mille marcas duci persoluimus;* comiti tot centenaria, et nec dum euicimus; quotidie emungimur; quomodo vacabimus nouae religioni, vt aedificemus ecclesias et baptisma percipiamus, quibus quotidiana indicitur fuga? Respondit epus: hoc non mirum est; *nec enim multum se delinquere arbitrantur in idololatris*, qui sunt sine deo — ait *Pribislaus*: *dentur nobis iura Saxonum in praediis et reditibus, et libenter erimus christiani*, aedificabimus ecclesias, dabimus decimas; sed nihil tum potuit obtineri, quia camera ducis, ob iter italicum, erat inanis et vacua; episcopo autem dabat dux aliquot praedia, atque sic aedificauit ciuitatem et forum *Vthinae* (Eudin;) — de Faldera arcessiuit sacerdotem *Brunonem* — aedificata est ecclesia in Aldenburg, anno 90 post excidium prioris; — et praecepit comes populo Slauorum, vt transferrent mortuos suos tumulandos in atrium ecclesiae, et vt conuenirent in solennitatibus ad ecclesiam; quibus *Bruno* administrauit verbum dei, *habens sermones conscriptos verbis slauicis*, quos populo pro-

nuntiaret opportune; inde aedificatae sunt plures ecclesiae in terra Nordalbingorum — et venerunt Saxones et habitauerunt ibi, *et defecerunt paulatim Slaui in terra.* — Cap. 87 intrauit *Henricus* dux in terram Slauorum; aedificauit *Zuerin*, terramque nobilibus quibusdam diuisit; ab imperatore autem impetrauit auctoritatem, *episcopatus suscitare*, *dare et confirmare* in omni terra Slauorum, quam vel ipse vel progenitores sui subiugauerint in clypeo suo; itaque et epus *aldenburg*. *Racisburg*: et magnopolitanus (*Suerini*, *Arnold*. lib. 4 c. 24 annal. bosouienses a. 1159;) ei applicabantur *per hominii exhibitionem*, sicut mos est fieri imperatori; et dedit eis priuilegia, *Slauis* autem, qui remanserant in terra Wagirorum, Polaborum, Obotritorum et Kycinorum praecepit, vt soluerent *reditus episcopales*, *qui soluuntur* apud *Polonos* atque *Pomeranos*, hoc est, de aratro tres modios siliginis et XII numos publicae monetae; et auctae sunt decimationes in terra Slauorum, quia confluerent de terris suis *Teutonici* ad colendam terram spaciosam, fertilem &c. Similiter et *Albertus*, vrsus, orientalis Slauiae marchio, misit *Traiectum* ad loca Rheno contigua, et ad eos, qui habitant iuxta Oceanum, *Hollandos*, *Selandos*, *Flandros*, et adduxit populum magnum, quem habitare fecit in oppidis Slauorum — cap. 89 rogauit iam *Geraldus* epus ducem, vt sedes cathedralis ex Aldenburg transferretur *Lubecam*, quae ciuitas erat populosior, munitior &c. Haec ex *Helmoldo* descripsimus, quia de statu et propagatione religionis publicae ex his licet incorruptius iudicare; nec opus est iam commentariis. Cap. 91 narrat idem *Helmoldus*, Holzatos, cetera satis bonos christianos, *decimas* dare noluisse; itaque *Geraldus* epus ad Ecclesiam *Burnhouede* epistolam misit, qua eis legem hanc diuinam in memoriam reuocabat; sed renuerunt, atque hoc adiecerunt, *non multum aberrantes a veritate* (sic *Helmoldus* iudicat) *quod omnes paene decimae in luxus secularium cesserint*; coacti tamen tandem ducis auctoritate, consenserunt de manso in

sex

sex modios siliginis et octo auenae; modii, qui dicitur *Hemmethe*; hoc petierunt ducis et pontificis sigillo confirmari. Cumque *notarii iuxta morem curiae*, marcam requirerent auri, negotium manſit imperfectum. —

Libro 2 c. 12 de *Waldemari* et sociorum, ducum *Pomeraniae* &c. bello in *Rugianorum* terram narrat, quam subiugauit; simulacrum antiquissimum *Suantewith*, quod colebatur ab omni natione *Slauorum*, iniecto in collum sune, in oculis Slauorum per exercitum trahi, atque concisum comburi iussit; praecepitque, vt *discederent ab erroribus suis*; erectae sunt XII ecclesiae in illa terra, et sacerdotes constituti. Adfuerunt pontifices *Absolom*, Roschildensis, et *Berno*, megalopolit. Princeps Rugianorum, *Iaromir*, alacriter ad baptisma aduolauit, suis praecipiens idem facere; fungens vice apostoli, partim praedicatione assidua, partim minis eos ad nouam religionem ab innata feritate transtulit. Tenuis fama commemorat, iam *Ludouicum* pium, terram hanc obtulisse *S. Vito*, in *Corbeia*; praedicatores ibi cratorium fundasse in honorem *Viti*, martyris; postea, rebus mutatis, Rugiani sanctum virum pro deo colentes, finxerunt maximum hoc simulacrum; quod in longe maximo honore fuit. Accidisse ante paucos annos, scribit *Helmoldus*, vt magna *institorum* multitudo eo conuenerit, *piscationis gratia*; in Nouembri enim *multum ibi halec* capitur, et patet *mercatoribus* liber aditus, si tamen antea deo terrae legitima sua persoluerint. Adfuit quidam sacerdos de *Bardewic*, inuitatus, vt in tanta populorum frequentia, ageret quae dei sunt; id innotuit barbaro sacerdoti, qui regi suo et populo exponit: iratum numen placari non posse, nisi cruore sacerdotis; vix mercatorum summa cura seruatus fuit. Apud *Rugianos* nullus egenus aut mendicus repertus est; adeo summae humanitatis et hospitalitatis laudem habebant. Dux *Henricus* ipse postea *Daniae* regi bellum mouit, quia pactis non staret, quae tributa noua aequaliter diuidi iubebant; rex tandem concessit, quae dux petiit. Est hic idem *Absalon*,

qui *Wilhelmum* cum 2 aliis fratribus ex collegio *parisiensi* S. *Genoueuae* per *Saxonem* grammaticum in Daniam arcessiuit, vt in coenobio canonicorum disciplinam regularem instauraret; vid. vita *Wilhelmi*, abbatis roschild. Facile autem credimus, minus firma fuisse ista christianorum sacrorum initia, vt *annales hosouienses* a. 1169 narrant, de *Waldemari* studio: christianos fieri Rugianos coegit; inopia doctorum paulatim eos fecit *paganizare*. Narrat iam *Arnoldus*, qui slauorum chronicam continuauit, de *Henrici* ducis sacro itinere, et c. 9, quam honorifice a quodam *Soldano* fuerit susceptus, cum quo et *disputauit* dux de veritate religionis christianae — praeter alias reliquias attulit dux *brachia plurium apostolorum*, c. XI.

Videmur operae pretium facere, si breuiter et ista describamus ex *Arnoldi* libro 3, cap. 5, vnde porro intelligi possit, qua ratione christianorum praestantia in variis artibus et studiis aliis etiam gentibus placuerit; de qua re iam antea aliquoties monuimus. *Dani*, vsum *Teutonicorum* imitantes, quem ex longa cohabitatione eorum didicerunt, et vestitura et armatura se ceteris nationibus coaptant; et cum olim formam nautarum in vestitu habuissent, quia maritima inhabitant, nunc non solum scarlatico, vario, grisio, sed etiam purpura et bysso induuntur. Omnibus diuitiis abundant propter piscationem, quae quotannis in *Sconia* exercetur, ad quam omnium circumquaque nationum negotiatores properantes, aurum argentumque et cetera pretiosa illuc deferunt, comparatis *halecibus* ipsorum. — Repleta est terra *equis optimis* — scientia quoque liberali non parum profecerunt, quia nobiliores terrae filios suos, non solum ad clerum promouendos, verum etiam secularibus rebus instituendos *Parisios* mittunt, vbi litteratura simul et idiomate linguae terrae illius imbuti, non solum in artibus sed etiam in Theologia multum inualuerunt — quid *de rege eorum (Kanuto)* dicam? — deus regnum illius firmat, vt, cum tempore auorum suorum in *regno Danico triarchae* vel etiam *tetrarchae fuerint*, ipse solus

mon-

monarchiam regeret, quam pater eius multo labore et prudentia obtinuerat. Ista de *Slauis* sufficiant.

De *Pomeranis*, *Rugianis* &c. conuersis, vid. *Ioh. Bugenhagii Pomeraniam* editam per *Iac. Henr. Balthasar* 1728 pag. 38. 64. 78 &c. De *Fennis*, qui frequentissimis latrociniis *Sueciam* infestabant, bello sacro subigendis, iam *Alexander* 3 admonuit, et ducem magni nominis, sub rege *Erico*, *Guthormum*, et archiepum regni, *Stephanum*; videntur tamen ipsae calamitates et iniuriae, quas eiues a piratis patiebantur, regem magis ad bellum in *Fennos* mouisse, quam episcoporum admonitiones, licet et his sub illa tempora locus opportunus esse soleret. Istam expeditionem *Claudius Oernhialm* in historia Sueonum Gothorumque ecclesiastica pag. 462 refert in annum 1157, alii eam aliquot annis ante designant; *Henricus*, vpsal. epus, post *Erici* forte reditum, iusto seuerior nouorum sacrorum adiutor, occisus fuit, nec honore solito *Sancti*, per latinam rem publicam sacram, caruit; dies sacer est 19 Ianuarii. Recte *Oernhialm* reprehendit istum nouorum apostolorum rigorem, quem et Christus et apostoli ignorarunt; sed noui apostoli operam dederunt prouinciis ciuibusque nouis acquirendis, non christianis informandis, qui vel sub alieno et barbaro dominio christianam mentem ad alios facilius et melius commendassent.

Liuones etiam sub seculi finem, christianis sacris imbuti fuerunt, ab a. 1186 sedem episcopalem iam in *Liuonia*, in loco *Riga*, fundatam narrant, per *Meinardum*, Segebergensem canonicum, auctoritate aepi Bremensis *Hartwici*; alii initia negotii mediocria hoc anno describunt, cathedram serius ponunt. Superiorum in hac describenda caussa diligentiam vicit *Ioh. Dan. Gruber*, editis *Originibus Liuoniae sacrae et ciuilis*, quas multis et eruditis obseruationibus auxit; 1740 fol. Cum *comitatu mercatorum* venerat Meinardus, vt solebant honesto hoc artificio vti noua sacra propagaturi; namque iam aliquo tempore ante nauigia *Bremensium*, et *Hamburgensium* adire audebant

bant et *Ruſſiae*, *Pruſſiae*, et *Curlandiae* aliquas partes. *Liuones* autem iſto tempore *Waldemaro*, ſeu *Wlodimiro*, *Ruſſiae* regulo, parebant, cuius venia his negotiis non defuit. *Meinardus* vtroque gladio, vt per ea tempora mos fuit, vtebatur; aduerſus *Lettones* ſeu Lituanos bello interfuit, vſum caſtrorum aedificatorum et rei bellicae meliorem modum Liuones docuit, artificibus ex *Gotlandia* acciſis; inter caſtri *Vxkul*, et *Holm* conſtructionem *Meinardus* per *Hartuicum* conſecratus fuit epiſcopus; eius adiutor fuit *Theodoricus*, frater ordinis *ciſtertienſis*, poſtea in *Eſtonia* epiſcopus. Promiſerant autem quidam de *Danis*, *Normannis* et *Teutonicis*, exercitum, ſi opus foret; atque iſtum Theodoricum nouus epus paulo poſt ad papam clam ſummiſit, qui facile decreuit, cogendos eſſe ad obſeruationem fidei, quam ſponte promiſerant; itaque *peccatorum omnium remiſſionem* indulſit omnibus, qui ad reſuſcitandam illam primaeuam eccleſiam, *accepta cruce* tranſirent. Ei *Bertoldus*, ciſtertienſ. ordin. ex abbatia *lucenſi* 1196, iuſſu aep. bremenſ. ſuffectus fuit; ei vero, (quia egeſtatem aduentus cauſſam dicerent Liuones,) clam exeundum fuit e terra; militum auxilia iam circumſpexit; ſed in bello ſacro a Liuonibus 1198 occiſus fuit; exercitus tamen cruciferorum ita Liuones terruit, vt ſacerdotes per caſtra ſuſceperint, menſura de quolibet aratro ad expenſas cuiusque ſacerdotis ſtatuta; ſed parui temporis fuit iſta pax; clerici e *Saxoniae* omnes eiecti, agri inculti manſerunt, vnde et eccleſia vsque ad ducentos *malteras* (ſic lego pro martyres, in anonymo *Gruberi*, pag. 14) eſt damnificata. Succeſſit iam 1198 armatus apoſtolus, *Albertus*, canon. bremenſis, in epiſcopatu, qui e *Gotlandia* circa 500 cruciferos adſciuit, atque inde *Magdeburgi* crucem pluribus impoſuit, quorum res non minus ſub papae tuitione eſſe iubebantur, quam eorum, qui crucem in Palaeſtinam portabant. Naues 23 in *Liuoniam* pergebant; multus et hic ſanguis fuſus fuit; ab *Innocentio* 3 a. 1199 tres epiſtolae pro ſubſidio ſacro emiſſae, in negotio fidei in *Liuonia*,

1) ad

1) ad vniuersos christianos in *Saxonia* et *Westfalia* constitutos. 2) ad fideles in *Slauia*. 3) ad fideles *trans Albim*; commutat vota salutandorum liminum apostolicorum, in hoc sacrum iter; (*Raynaldus* a. 1199. n. 38. etiam apud *Baluzium* in corpore Epistolarum *Innocentii* tomo 1. et *Gruberum*, ad chronic. Liuoniae; atque in *codice diplomatico Poloniae* tomo V. p. 1.) Porro a. 1200 *Riga* aedificata, mercatores autem a papa prohibiti posthac in *portum Semgalliae* nauigare, vt res Episcopi hic eo facilius crescerent; iam et *feuda*, seu castra in 2 milites perpetuos, episcopus contulit. Facile perspicimus, cuius indolis fuerit haec *fidei christianae* propagatio; aepiscopus bremensis suam ecclesiasticam prouinciam hac ratione amplificatum ibat. Iam nouus ordo sacrorum perpetuorum militum, *ensiferorum* institutus, papae auctoritate; vid. *Schwarzfleischii historia ensiferorum equitum*. Nisi enim ista consilia politica fuissent, poterant isti milites aliis rebus dare operam, eam disciplinam secuti, quam informarunt illi, qui istam historiam narrarunt: (*Werner. Rolfinc* tomo 3 *Leibnitii* pag. 611. 612.) Circa annum domini MCC. in Vienna repertum fuit caput cuiusdam defuncti, lingua adhuc integra cum labiis, et loquebatur recte. Episcopo autem interrogante, qualis fuisset in vita, respondit: ego eram paganus et iudex in hoc loco, nec vmquam lingua mea protulit iniquam sententiam; quare etiam mori non possum, *donec aqua baptismi renatus* ad coelum euolem; quare propter hoc hanc gratiam apud deum merui. Baptizato igitur capite (non homine), statim lingua in fauillam corruit et spiritus ad dominum euolauit. Ex his et similibus colligere possumus, (addit Wernerus) quid *diuina misericordia* verosimiliter *egerit erga ceteras gentes*, in quibus magna virtutum exempla reperimus. Nempe maluerunt tamen vel inuitos homines baptizare, ne his dei misericordia opus esset, quibus tamen et ipsi homines misericordiam, religionis specie, negabant. Meminerimus istum locum, de vi baptismi; atque perspiciamus insana studia,

quae

quae ex falsis decretis sacris, quae excutere nemini licet, non profluere non possunt. Ceterum et tales expeditiones sacras videmus hic ibi diligentius describi, pro vera indole. *Arnoldus*, lubec. lib. 5. cap. 2 ipse narrat, licet inuenustior rei interpres, cum describit sacram militiam anni 1196, quae in terram sanctam pergebat: Adueniente tempore, gens sancta, videl. christianorum, regale sacerdotium contra legionem Satanae (sic Saracenos nominat,) peregrinationem deuote suscepit. — Venientes igitur in *Italiam* ad regionem Beneuentanam, non nullam gratiam apud habitatores regionis repererunt: *clanculo eis tamen derogare non cessabant. Quidam etiam eis in faciem exprobrabant*, dicentes, *superstitiosa* et deo odibilis *est via*, quam pergitis; quia facie quidem peregrinos et religionis cultores vos ostenditis, re autem vera intus lupi rapaces estis. Non enim pro imperatore caelesti, sed terreno militatis &c.

Haud scio, an hoc loco quaedam addere satis opportunum sit, quae antea p. 53 locum suum forte commodius inuenerant, cum de *christianis* rebus inter *Slauos* ageretur. De *rege quodam Brandeburgico*, christiano, non ignotum est, *Ludewigium* studiosius aliquoties locutum, (in *formula ducatus brandeburgici* §. 4. atque in Germania principe lib. 2. c. 2.); *Enzeltius* eamdem sententiam, de suo iam, nouo lumine, auctam, perscripserat; nempe locus ille anonymi, apud *Leibnitium* tomo II. rerum brunsuic. pag. 19. 20 minus recte intelligebatur; de hac caussa lectu digna est disquisitio historica de *Pribezlao*, siue *Henrico*, rege *Brandenburgico*, *Ioh. Dauid. Köhleri* 1723 Aldorfii habita; recusa in corpusculo, scriptores rerum Marchiae brandenburgensis 1742. num. 7. pag. 235 seqq. Videntur omnino iam antea *Slauici* quidam principes baptismo et nouo nomine imbuti fuisse, occurrit enim *Henrici* nomen alicuius iam regis Slauiae, cuius frater *Bathue* istum *Pribislaum* genuerat; sed satis tenuis fuit christianismi formula, atque sine omine: modo in rebus ciuilibus hi neophyti

phyti christianorum partibus impedimento non essent. Id mirandum est, neminem scriptorum antiquorum de *Pribislai* fato et rebus postremis aliquid commemorare; videtur autem in captiuitate *Brandeburgi* mortuus fuisse. Illud certum est, eum *Regem* appellari, non Brandeburgicum, sed quia rex Slauiae nuper fuerat, *cum adhuc fortunatus esset;* qua mediocri phrasi vtitur *Helmoldus* libro 1. c. 55. (56.)

2. Sub orientem solem.

Ad christiana sacra proferenda, ad instaurandam certe *Latinorum* potentiam, aduersus Graecos non minus, quam Muhammedanos dominos, *cruciatae* illae multae *expeditiones* maxime destinatae fuerunt; atque inde a fine seculi superioris scimus *Francorum regum in palaestina*, atque inde in *Syria*, et *Arabiae* parte, imperium satis amplum fuisse: facile etiam fingimus, *Muhammedanos* omnem dedisse operam, vt pristino istas in partes imperio rursus potirentur. Nobis hic locus non est, ea describendi copiosius, quae ad *Historiam istam Hierosolymitanam* pertinent; legi et colligi facile possunt, tam ex corpore *Bongarsiano*, praecipue ex auctore *secundae partis* histor. hierosolymitanae pag. 594, qui inde ab anno 1100 res persequitur; ex *Gauterio*, qui bella antiochena descripsit, ab anno 1115; ex *Wilhelmi* Tyrensis libro XI -- XXIII. *Marini Sanuti* Secretis fidelium crucis, libro 3 parte 6-13, quam ex scriptoribus rerum *germanicarum, gallicarum, anglicanarum,* quibusdam etiam *graecis*. Illud maxime notatu est dignum, esse luculenta apud scriptores quosdam testimonia, de immanitate perfidiae, scelerum, flagitiorumque omnis generis, quibus incolae et domini terrae sanctae, quae tanto sanguine et incredibili auro, comparata tandem fuerat, vel barbaros ipsos non raro superarunt, vt dei vindicta non potuerit non turpissima haec hominum monstra opprimere. Vel istae sententiae ex *Arnoldi* lubec. libro 5 cap. 5 de ea

re

re luculenter teſtantur: propoſitum, ſecundum quod vocati ſunt ſancti, plures reliquerant, ideoque vitiis inſidiantibus eneruiter iacebant; quanti enim fuerunt, qui pro Chriſto (i. c. quia paſſagium faciebant,) legitimas ſuas (coniuges) reliquerant, qui ibi meretriculis adhaerebant! Has enim ad ſua miniſteria ſub ſpecie religionis, quaſi ex neceſſitate admittebant — quanti illic ſpecie recti decipiebantur, qui nauium ſuarum pretio ditati plus auaritiae, quam Chriſti militiae ſtudebant! quid de talibus dixerim, qui arrogantiae dediti — &c. Nec obſcura eſt ſententia *Ottonis* de S. *Blaſio*, qui *appendicem* ad librum 7 chronic. *Ottonis* Friſing. ſcripſit, c. 29 et 30. Regnum illud in ſe ipſum diuiſum, peccatis exigentibus deſolandum et a paganis conculcandum erat — *Balduini* filiam, et regnum cum ea, plures ambiebant; quos cum illa ſpreuiſſet, iam priuata indignatio rem publicam peſſumdedit. Comes *tripolitanus* ipſe, accepto pretio, Saracenos immiſit; iidem e *Templariis* quosdam auro corruperant — itaque tandem *Saladinus* chriſtianos videns diſcordia, inuidia, auaritia infectos, tempus opportunum non neglexit; vix annos 88 inde a *Godefredo* Franci terram tenuerant. Res chriſtianorum in Syria *Zenghi*, quem *Sanguinum* appellant latini, (Wilhelmus Tyrius, *Otto*, Friſingenſ. aliique,) vehementer iam adfixerat; tandem *Saladinus* ille eos ad incitas redegit. Nec tamen nullum ad *Romanorum ſacra* auctoritatem ſuperfuit adiumentum; *ſepulcrum dominicum* iam diu *Latini* quidam tenuerant; *monaſterium de latina* et mercatorum ſubſidia, immenſasque diuitias pluribus deſcribit *Wilhelmus* Tyrius, lib. 18, per eccleſiam *romanam* a poteſtate patriarchae adeo fratres illi ſubtrahebantur; — *muneribus infinitis Hoſpitalariorum corruptus* papa patriarcham, qui cum aliis moleſtiſſimum iter in Italiam querendi cauſſa ſuſceperat, in conſpectum ſuum vix admiſit — cardinales omnes abierunt poſt munera, ſecuti viam Balaam — ſimiliter poſtea, de nouo patriarcha, cui alii contradicebant, quia fere inutilis eſſet et ſimplex nimium, narrat

Wil-

Wilhelmus, papam Hadrianum, *multa interueniente munificentia*, tamen ei pallium misisse. — *Rainaldus*, princeps Antiochenus, cum Cpolitanus imperator in Armeniam exercitum duxisset, quia princeps ibi potentissimus *Toros*, graecos magistratus eiecerat, et Ciliciam sibi subiecerat, timuit et ipse Graecam potentiam, ob saeuitiam in *Cyprios* innocentes nuper commissam; supplex igitur venit, ad terram prostratus diu iacuit, vt *Latinitatis gloriam* sic verterit in opprobrium — Inter multa lectu et memoria digna, quae ex isto *Wilhelmo* colligi possunt, illud praecipue ad hunc locum pertinet, *de propagatione religionis*, quod narrat libro XX n. 31. 32. *Assissini*, qui populus ad 60000 in *Phoenice* castella decem tenebat, sub domino, quem *Seniorem*, seu *Senem* solent nominare, per annos fere 400 legem muhammedanam secuti fuerant; his vero temporibus illorum dominus coepit habere *Euangeliorum libros et codicem apostolicum*; contulit vtramque doctrinam, multa mutat in consuetudinibus, atque iam ad Regem christianum, *Amalricum*, mittit legatum, verba secreta referentem; quae inter fuit articulus praecipuus: si *fratres militiae templi*, qui castella regioni istorum habebant contermina, 2000 aureos, quos pro tributo solebant quotannis poscere, ipsi atque suis remitterent, et fraternam caritatem seruarent, lubenter omnes ad Christi baptisma acceßuros. Rex misit legatum, addito duce itineris et corporis custode, ad Magistrum Templariorum, pollicitus, istos aureos e propriis reditibus se redditurum; sed subito de templariis quidam irruentes, hominem interfecerunt; magister templariorum, ad grauissimas regis querelas parum commotus, respondit, fratri isti poenitentiam a se impositam esse, eumque ad papam missum iri; inhibere se ex parte papae, ne in istum fratrem aliquis manus audeat iniicere — Rem eamdem narrat *Albericus* in chronico a. 1186, sed falso legitur, *Hersacinus*, pro *Assassinus*. Libro XXI num. 7 quaerit *Wilh.* quid causae sit, quod patres nostri, numero pauci, maiores hostium copias facile viceriut? — Pri-

ma

ma cauſſa, quod pro patribus, qui fuerunt religioſi et timentes deum, nati ſunt filii perditiſſimi, ſcelerati, fidei chriſtianae praeuaricatores, per omnia currentes illicita — *quorum mores*, *imo vitiorum monſtra*, ſi quis diligentiori ſtilo proſequi tentet, *materiae immenſitate ſuccumbat* — ſecunda, illi erant adſueti bellicis diſciplinis — ſed populus orientalis longa pace diſſolutus rei militaris expers, vacatione gaudebat — tertia, iſto tempore erant diuerſi domini, non ſubalternatim poſiti, ſibi inuicem ſuſpecti et aduerſarii; ſed nunc omnia regna contermina in vnius poteſtatem redacta ſunt; *Sanguinus*, *Noradinus* eius filius, et *Saladinus*, voce vnica imperarunt multis prouinciis; ſic res ingentes effecerunt. — *Odo* templi magiſter, homo nequam, ſuperbus, arrogans, ſpiritum furoris habens in naribus, nec deum timens, nec ad hominem habens reuerentiam, iuxta multorum aſſertionem, illati a Saladino ingentis damni et perennis probri occaſionem dicitur dediſſe —

Sed nec iſtam hiſtoriae partem licet omittere, quae ad *Presbyterum Iohannem* ſpectat; cuius nomen haec per tempora fuit celeberrimum, etſi ineptae multae narrationes per longum tempus adhuc locum habuerunt, vt vel in *Africa* eius regnum, quaſi paradiſum, quaeſiuerint. Ex *neſtoriano* presbytero hic tandem rex ſuccreuit; multarum prouinciarum per Aſiae partes orientales dominus. *Otto Friſingenſis*, chronic. libro 7 c. 32 narrauerat, de *Armenorum legatione* ad papam, qui ſuarum eccleſiarum ſubiectionem pollicebantur; ad romanam certe eccleſiam ineptarum litium arbitrium retulerant, quibus a *Graeca* eccleſia ſeiungebantur; iam c. 33 pergit *Otto*, vidimus ibi tunc praetaxatum epiſcopum de Syria, *Gabulenſem*, cuius praecipue opera ad plenum *Antiochia romanae ſedi* ſubeſſe coepit, (adeo verum eſt, iſtis beliis ſacris romanam praecipue auctoritatem promouendam fuiſſe,) — is narrabat, quod *ante non multos annos Ioannes* quidam, qui vltra Perſidem et Armeniam in extremo oriente habi-

tans,

tans, rex et sacerdos, *cum gente sua* christianus factus est, sed Nestorianus, (nempe ipse atque adiutores rei tantae iam christiani fuerant,) Persarum et Medorum reges fratres bello petierat — post victoriam ab eis reportatam, praedictum *Ioannem* ad auxilium Hierosolymitanae ecclesiae procinctum mouisse — sed, quia Tigrin non potuisset transmittere, redire coactum. Addit *Otto:* fertur iste de antiqua progenie illorum, *quorum in Euangelio mentio fit*, esse Magorum, eisdem, quibus et isti, gentibus imperans; tanta gloria et abundantia frui, vt non nisi sceptro smaragdino vti dicatur — *Baronius* a. 1177 anno *Alexandri* 3, n. 18 pluribus describit, papam *Venetiis* scripsisse ad *Preteiannum*, regem Indorum, qui in *Aethiopia* longe lateque regnauit; (adeo varia fuit hominum opinio, de regni sede;) occasionem scribendi fuisse, quod quidam Magister *Philippus*, ad partes illas peregrinatus, repererit fidem populi non omnino conueniisse cum romana professione; regem igitur per hunc Philippum a papa flagitasse institutionem accuratiorem. Epistolam habet *Rogerius* in annalibus anglicanis, inscriptam — magnifico Indorum regi *sacerdotum sanctissimo* — audiueramus iam pridem — et Philippus nobis retulit, quod ad hoc feruenter intendas, vt nihil vnquam videamini in fide vestra tenere, *quod a doctrina sedis apostolicae* dissentiat; super quo — preces precibus adiungimus vt, *qui dedit nomen christianitatis suscipere* (itaque sacra christiana ibi iam succrescebant) etiam menti tuae inspiret, quod omnino velis sapere, quae super omnibus articulis fidei tenere debet religio christiana — Philippus retulit, quod cuperes in vrbe habere ecclesiam, et *Hierosolymitanum altare aliquod*, vbi viri prudentes de regno tuo manere possunt et apostolica plenius instrui disciplina — nos autem et vos *ab his articulis*, *in quibus erratis* a christiana et catholica fide, volumus reuocare — itaque *Philippum* praefatum, *medicum* et familiarem nostrum mittimus — tanto lubentius tam de concessione *ecclesiae in vrbe*, quam etiam de conferendis *alta-*

ribus in ecclesia b. Petri et Pauli, et *Hierosolymis* in ecclesia sepulcri domini tuas petitiones curabimus admittere — addit *Baronius:* quae autem secuta sint, nos latet; nisi quod, siue ab ipso Alexandro, siue ab alio constat, *Aethiopibus* istis regni *Preteianni*, *Abyssinis dictis*, datam ecclesiam S. *Stephani* vna cum eius habitationibus, sitam post absidem basilicae S. Petri, quam in hanc vsque possident diem. Ista *Baronius*, quae quomodo conueniant cum narratione *Ottonis Frisingensis*, qui *Asiae* extremas partes nominat, non Abyssiniam et Aethiopiam, nos ignoramus; audemus autem, istam Alexandri Epistolam in dubium reuocare, cum nitatur *Rogerii* auctoritate, qui scriptor papae eximie deditus esse solet.

De statu Ecclesiae graecae per latinos turbato.

Fas fuerit et hoc loco quaedam colligere, quae ad statum ecclesiae graecae pertinent, quam facile intelligimus a *romanis* pontificibus minime ornatam adiutamque fuisse, nisi auctoritatem romanam amplecti vellet. Nempe vniuersa ista sacra militia, quod *Muhammedanis* auferebat, id *Graecis* simul abstulit; romani enim pontificis dominio res sacrae per Palaestinam Syriamque omnes iam subiiciebantur. Non opus est, vt ex scriptoribus multis describamus, quae partim aduersus graecorum perfidiam solebant a latinis satis vehementer et atrociter dici, partim a Graecis aduersus Latinos solent prodi. Vel ex ista epistola *Friderici* imperatoris, ad filium *Henricum* (*Martene* amplissima collectio tomo 1. pag. 911.) ista sufficiant — haec papae *Alexandro* scribere ne omittas, vt destinet aliquos religiosos per diuersas prouincias, qui populum dei contra inimicos crucis exhortentur, *maxime contra Graecos;* quibus, praesentibus legatis nostris, *monasterienſi* epo et suis collegis, in ecclesia S. *Sophiae*, patriarcha cpolitanus publice praedicauerit: quod quicumque Graecus *centum peregrinos* occideret, *indulgentiam consequeretur a deo*, si decem Graecorum *reatum incurrisset*. Facile ex his

licet

licet reperire et fingere, quaenam fuerit de Latinorum consiliis persuasio; *contra Graecos* iam non minus, quam contra Saracenos, sacrum bellum gerebatur. Sed mirari licet, auctorem *Historiae Hierosolymitanae*, in corpore *Bongarsii* pag. 1159 narrare quidem de eo, quod imperator Cpolitanus *Friderici* legatum, epum *monasterienſem*, (de quo epistola apud *Martenium* commemorat) in carcerem coniecerit, contra ius gentium; sed de illa concione patriarchae nihil sciuit; haud dubie perscripturus, si rem sciuisset; adeo solet omnia congerere, aduersus *graecos*; etiam quod imperator *Saracenis* Cpoli templum indulserit suae religionis caussa; cum tamen certissimum sit, diu ante hunc *Isaacium Angelum* aediculam sacram *Muhammedanorum* sacris destinatam Cpoli iam exstitisse; commemorat enim eam iam *Constantinus* prophyrog. de administr. imperio cap. 21, de qua re, quia est memoria satis digna, legenda pluribus *Cpolis christiana* libro 2. n. 15 de *metatu*, seu Synagoga Saracenorum; in corpore byzantino tomo X *Banduri* imper. or. pag. 164 edit. parisinae; nec enim memini, in historia ecclesiastica *Graecorum* de ea re aliquem recentiorum admonuisse; pertinet autem ad ius sacrorum, quod et olim per multas gentes longe melius humaniusque obtinuit, quam inter multos christianos reges, qui imperitioribus aut malignis quibusdam sacris ministris obedire solebant. Liceat et illud addere, apud hunc anonymum haberi pag. 1157 eamdem *Saladini* epistolam ad *Fridericum*, quam *Baronius* ex Rogerio descripsit. Atque hic idem scriptor, odii immanis et aeterni, quo alteri alteros prosequantur, caussas plures congessit; Graecis tamen id maxime tribuit, pag. 1159 — quia latini scientia pariter et armis floreant, Graeci autem se prorsus insscios et imbelles conspiciant — gens perfida, generatio nequam et omnino degenerans; quae quanto illustrior exstitit, tanto vilescit insignius — virtutum antiquorum succesſor nullus; scelerum, omnes; *Sinonis* figmenta, *Vlyssis* fallaciam, *Atrei* atrocitatem retinent — Praecipue *Latini Graecis*

non parcunt, cum ad *Andronici* tyrannidem narrando veniunt, qui *Alexium*, protosebastum in carcerem truserat, atque iam in *Latinos* Cpoli commorantes, qui *Alexio* fauisse dicebantur, furorem vertit; passim *Latini* hic caesi, etiam cardinalis *Iohannes*, quem papa, precibus, vt narratur, *Manuelis* imperatoris, eo miserat, vt per eius praedicationem ecclesiam graecam reuocaret ad instituta *et subiectionem romanae ecclesiae*, occisus fuit, ligatusque cum eo canis sic, vt cauda canis esset in ore cardinalis; ita per vicos tractus fuit; satis verbose describit *Wilhelmus Tyrius*, lib. 22. c. 13, et post eum alii. *Wilhelmus*, rex Siciliae, par pari retulit Graecis; et fatetur *Nicetas Choniates*, (in Andronico) plane immane atque perpetuum odium hac ratione Graecos in Latinos concepisse; nec coniungi posse animos, etiamsi corpora in iisdem habitarent aedibus. lib. 1. n. 8. p. 194. edit. paris. Illud autem non est omittendum, si vera sunt, quae narrat *Petrus*, abbas cluniac. lib. 4. epist. 39, iam *Alexium* Comnenum, cui successit fil. *Ioannes* a. 1119, concessisse *cluniacensibus* Cpoli monasterium, *Ciuitat*, et in perpetuum subiecisse obedientiae abbatis cluniacensis et Prioris de Caritate; id restitui cluniacensibus rogat ille *Petrus*, qui et ad *Patriarcham* scripsit ep. 40. Satis imperite *Baronius* a. 1119 fine addit, ex hac re intelligi, conseruatam hactenus fuisse *communionem inter Graecos et Latinos;* nempe idem tamen antea a. 1116 n. 7 seqq. descripserat *disputationem Chrysolani*, seu Grosolani, aepi mediolanensis, *cum Graecis*, coram *Alexio* Comneno, ad quem a *Paschali* papa legatus missus fuerat. Insunt enim in illa epistola Petri verborum lenocinia indigna — imperatoriam maiestatem vestram deus super omnes christiani nominis principes exaltauit — in vos magni illius *romani imperii* gloriam nomenque transfudit — sic enim solebant monachi oratores rem suam agere, nulla profecto auctoritate publica; itaque, quia sciebat *cum schismatico domino* rem esse, scribit Petrus: vt nos reges Francorum, Anglorum, Hispanorum, Germanorum,

et

et ipsos imperatores romanorum, et vicinos vobis Hungarorum, confratres et comparticipes omnium beneficiorum *cluniacensis* congregationis fecimus, ita sublimitatem vestram — in iisdem spiritualibus beneficiis plene et perfecte, *in quantum licet*, suscipimus —. *Graecos* scriptores si quis vel leuiter attigit, istas nugas de communionis cura statim proiiciet, et miserum *Graecorum* statum, qui a *Christianis latinis* tam atrociter, si placet, fidei caussa, vexabantur, sine eximia commotione mentis perspicere non poterit.

CAP. III.

De statu religionis publicae interno.

1. Sub occidente sole.

Germaniae nostrae liceat hic praecipue dare operam, atque colligere certa documenta, e quibus publicae religionis interior status accuratius vtiliusque cognosci queat. Non negligemus per alias etiam prouincias quaedam obseruare capita, quae ad hunc locum pertinent, et ius quasi et caussam religionis publicae illustrent. Eam in rem non solum *e conciliis*, quae maxime huc faciunt, sed etiam ex aliis scriptoribus meliora conquiremus; vt legentium animi salubri ratione, vel sine nostro studioso ministerio, magis commoueantur.

E conciliis et documentis publicis ecclesiarum germanicarum.

Sequemur et hic *Harzhemii* corpus, sed sic, vt iam solebamus; vt negligentiam et sterilitatem hominis vitemus; fatemur tamen, non ea nos omnia hic collecturos, quae ad *singulas* prouincias, ecclesiasque *episcopales*, aut *abbatias*, pertinebant; quorum est, inde ab hoc seculo, tanta copia et varietas, saepe etiam ea exilitas, vt a nostro con-

filio omnino alienum esse ducamus. Potioribus autem plerisque rebus sacris per Germaniam gestis in tabula locus non deerit.

A. 1104 in conuentu *Ratisbonensi* principum tam ecclesiasticorum quam secularium, *aduocatorum* potestas circumscripta fuit, praesente *Henrico* imperatore, qui et ex abbate *Hirsaugiensi episcopum fecit* Spirensem, sine papae auctoritate. Hoc seculo praecipue *Aduocatorum* iura (saepe etiam per *Henricum*,) circumscripta fuerunt; e. c. e *Martenii* Amplissima collectione tomo 1. pag. 319. 432. 550. 595 &c. libellus *Paullini* de aduocatis monasticis non parum augeri potest. A. 1105 Synodus *Northusae*, *Harzhemius* tantum descripsit narrationem minus frugiferam; melius describitur omnis illa caussa rebellis filii, *Henrici* 5, huiusque concilii, cuius cogendi epus constantiensis, papae per Germaniam legatus et *Rothardus*, aep. olim mogunt. auctores fuerunt, ab *annalista Saxone* (in quo p. 602 apud Eccardum suppleri debet illa lacuna, castellum quod vocatur *Norimberg* scil.) et chronicon Pantaleonis (ex Vrspergensi habet); in concilio, si placet 1) haeresis *simoniaca* condemnata; i. inuestiturae ius papae proprium esse, non vero ab *Henrico* imper. episcopos rite fieri; 2) *Nicolaitarum* haeresis; i. e. *vxoratos* clericos ob officio remouendos esse. 3. Ieiunium mensis (Martii, prima hebdomade quadragesimae, ieiunium vero mensis) Iunii in ipsa hebdomada Pentecostes *romano more* celebrandum. Omissa sunt ista per supinam negligentiam in ( ) inclusa, in *Harzhemii* editione. *Pax dei* etiam confirmata. Iam plura ad huius caussae omnem ordinem pertinent. *Rothardi* epistola ad clerum ecclesiae Halberstadensis, vt suum exemplum secutus ad ecclesiam redeat, tomo 1 amplissf. collectionis Martenii p. 604; narratur enim, in hac synodo epum *Halberstadensem Fridericum* ad partes papae concessisse. Alia *Rothardi* epistola de Halberstad. epo *Rainardo*, pag. 607. 608. aliae epistolae, quae ad papae partes pertinent, pag. 616 seqq.

De

De Reliquiis.

In conuentu *treuirensi* a. 1107 difficiles nugae actae, quia abbas *Helmwardeshusanus* hic quaerebat reliquias b. *Leontii;* et quia inueniri non poterant, impetrauit alium *patronum salutis* pro sua ecclesia, b. *Modoaldum*, et 2 corpora *thebaeorum* martyrum; insuper etiam superiorem testam capitis et 2 de maioribus membris gloriosissimi protectoris alicuius; itam b. *Abrunculi* mandibulas cum dentibus, sanctique *Bonosi* brachium, et alius confessoris dentem vnum cum costa. Hic, quia occurrit locus *de reliquiis*, pauca alia quasi in aceruum colligemus, quibus publica illa turpitudo sacra, quae inde porro continuauit, clarius perspiciatur; nec enim *Iulius Obsequens*, *de prodigiis*, atrociores res narrauit. Ex *Dlugosso* Longino, *Baronius* a. 1184. n. 7 grauiter repetit, precibus *Polonorum* assiduis tandem *Lucium* papam annuisse. Iam reliquias quaesiturum papam, ingressum in sacrarium, quod plura martyrum corpora consouebat; *inquisiuisse*, *quisnam Sanctorum* illic quiescentium *in Poloniam migrare vellet?* Ad hanc vocem, ioco an serio, non constat scriptori, a papa prolatam, *manus protensa* est e tumba, in qua corpus sacrum b. *Floriani* conditum fuerat, donarique se *Polonis* significauit — Sed ista, quae in *Anselmi* cantuar. vita, per *Edinerum* scripta, leguntur, ecquid putamus ioci ludique caussa, an ex immani barbarie prodi? descripsit idem *Baronius*, a. 1103. num. 13, nec nos describere piget, quia salubrem legentium indignationem non possunt non excitare. Interfuit *Anselmus* eleuationi reliquiarum S. *Priscae*, in oratorio illius, in quo Petrus, si placet, altare consecrauerat — Igitur cum loci cardinalis reliquias in suo iure haberet, *os istud*, quod videtis, (*Anselmus* loquitur,) de sacro corpore sumtum in signum mutui amoris mihi dedit. Iam *Edinerus* pergit: ego earumdem reliquiarum amore illectus, (nempe ex ipso primo seculo erant!) deprecari episcopum coepi, vt ex ipso osse mihi partem daret;

ret; ille, accipe, ait, quantum inde primo conatu frangere poteris, tuum sit. Accepi, et extra, quam sperabam, in principio mei conatus *vna mihi particula* in dextra remansit. Cumque *ob paruitatem* illius moerorem animi dissimulare nequirem, et vt semel adhuc frangere mihi liceret, magnopere gestirem, rupit desiderium meum *Anselmus*, et ait: noli, noli! quod habes, sufficiat tibi. In veritate dico tibi, quod pro toto auro, quod Cpoli et vltra citraue habetur, *non omitteret domina ipsa cuius est, quin illud sibi vendicaret in die resurrectionis mortuorum.* Si debitam reuerentiam illi exhibueris, aeque suscipiet, ac si toti corpori exhiberes — de quo osse post plures dies *Petrus* quidam, monachus *cluniac.* camerarius papae Vrbani atque Paschalis, ad nos veniens — vera omnino esse confessus est, quae epus dixerat — Iure igitur suo in Baronii indice exstat: reliquiarum minima pars, eamdem vim habet, ac totum corpus. Nondum tamen per hoc seculum reperi in Germania illum morem, de quo pluribus agit *Pagi*, ad a. 1020. n. 2, ad *Synodos*, ob maiorem populi deuotionem, afferri solitas reliquias, qui mos seculo isto XI succreuit, vt pluribus testimoniis Pagi ostendit. *Trium magorum corpora* e Mediolanensi obsidione *Coloniam* reportata fuerunt, vt multi scriptores narrant; sub dominio Tatarorum illi reges semper *tres* sunt, vt narrat chronic. S. *Bertini*, parte 7. p. 650. Tandem vero et illud addo: cum olim reliquiae aduersus Hunnorum et Normannorum incendia magnam vim exhiberent, accidisse tamen, *vt ipsae reliquiae igne perierint;* hoc certe seculo narrat non solum auctor *de gestis pontificum* mstus, (*Carnotum* subita exustione vastatur, et ecclesia dei genetricis cum monasterio, vbi *reliquiarum* congeries copiosa periit;) sed et chronica *Slauorum* tomo 3 Leibnitii p. 646, Halberstadii ecclesiam S. *Stephani* periisse incendio — *reliquiae* B. *Stephani*, quas forte *ad praesidium* episcopus secum habuerat, *de ignibus raptae quasi semiustae* abductae sunt — et pag. 647 reliquias b. Stephani *semiustas et squalore incen-*

incendii fuscatas quasi ad triumphi decorem, cum captiuo epo ad Henricum ducem adductas — Melius reliquiarum curam egit S. *Folcuinus*; capella penitus combusta, cum decanus reliquias quaereret inter prunas ardentes, aurum argentum et cetera phylacteria vastata reperit; sed reliquias et pannum sericum sine laesione; in chronico S. Bertini tomo 3 thesauri anecdotorum pag. 634. Sed ista de reliquiis sufficiant; iis facile alia non minus inepta quam turpia addentur.

A. 1110 in Synodo *colonienſi* prouinciali *Guibertus* conditor olim gemblacensis monasterii, Metropolitani, iussu, solemni ritu eleuatus, atque ex eo die *inter sanctos* relatus haberi coepit; scimus ius *canonizationis* sensim papae proprium cessisse, atque *Alexander* 3 cum S. *Eduardum* regem sanctorum canoni inscriberet, ipse docet, negotium canonisationis arduum et sublime non frequenter, *nisi in solemnibus conciliis* de more, concedi — tamen, pergit, iuxta votum et desiderium regis — *corpus* ipsius confessoris *ita glorificandum* censuimus, et debitis praeconiis *adorandum in terris*, sicut eum dominus glorificauit in caelis — vt ipsius interceſſionibus *apud districtum iudicem* mereamini *veniam* obtinere — Satis turpis et haec caerimonia, quae tamen solebat ista per tempora publicae religionis quasi arcem exstruere. Huic a. 1110 adscripsit *Martene* in collect. amplisſ. tomo 1. p. 625 *encyclicam* epistolam *Synodi* magdeburg. (episcoporum magdeburg. merseburg. naumburg. misnens. Hauelberg. brandeburg. et vniuersae *orientalis Saxoniae* maiores et minores), qua inuitantur alii epi et principes, ad repellendos *Slauos* paganos; multa narrantur de saeuitia paganorum in christianos; — *fanatici* illorum, i. Sacerdotes, quoties commessationibus vacare libet, *ferus indictis*, (lego, *feriis indictis*) capita, inquiunt, vult noster *Prigepala* (postea scribitur, *Pripegala*,) hoc est, vt aiunt, priapus et belphegor — igitur, *sicut Galli* ad liberationem Ierusalem, vos praeparate — ad hoc bellum deuotas offert manus cum populo

ſuo rex *Dacorum* — conuentus noſter erit in *Merſeborch* — Sanctiſſimi patres, monachi, Eremitae, recluſi, optimam partem cum Maria elegiſtis; *ſed, quia nunc tempus ita exigit, de contemplationis quiete* cum Martha *ſurgendum eſt vobis* — gentiles iſti peſſimi ſunt, ſed terra coram optima, carne, melle, farina, — auibus, et, ſi excolatur, omnium prouentuum, vt nulla ei poſſit comparari — hic poteritis *et animas veſtras ſaluas facere*, et optimam terram acquirere — Iſta epiſtola videtur fructu eximio caruiſſe, nihil enim de bello in Slauos ſub id tempus narratur: niſi quod in *chronica Slauorum* c. 38. fine habetur. Iam *Harzhemius* p. 260 *Paſchalis* 2 papae decretum exhibet, quo *Regalia*, niſi per gratiam regis, a nemine occupari poſſe iubet; additque *Du Montii* annotationem, non hoc edictum reapſe fuiſſe expeditum et vulgatum; eſſe ideam edicti, ab Henrico 5 ea die edendi, quo papa ipſi coronam imperii impoſiturus eſſet; res ipſa certe, papam de priſtino iure multum conceſſiſſe, vel *Baronii acta* et multorum ſcriptorum teſtimonia confirmant. Praeter *Goldaſtum* tomo 1. exſtat hoc decretum etiam in collectione conciliorum *regia*, *Labbei* et *Harduini*. Synodus *Coloniae* et *Fritislariae* a *Conone* praeneſtino, qui *Gelaſii iam mortui*, adhuc legationem gerebat, deſignant a. 1119 *Vrſpergenſis*, *annaliſta Saxo*; et acta SS. in vita *Norberti*, tomo 1. Iunii; in ea partim excommunicatio in imperatorem repetita, partim *Norbertus Fritislariae*, citatus, cauſam dixit, qui *praedicationis* officium ſibi ſumſerat, cum a nullo mitteretur; et vel epiſcopos verbis et conuiciis acriter inſequeretur; de anno hoc concilii vid. *Pagi* ad a. 1118. n. 21. quem *Harzhemius* falſo dicit rem in annum 1118 conferre; itaque inepte 2 concilia diuiſit. *Norbertus* de *praedicatione* reſpondit: datur nobis poteſtas praedicandi *in ſuſceptione ſacerdotii*, (ita fere Lutherus rem ſuam egit.) In ſynodo *Halberſtadienſi* a. 1120 per *Reinhardum* epum congregatio ſanctimonialium in *Schöningen* publice in monaſterium fratrum Regulae *Auguſtinianae* mutata, quia vir-

virgines illae *inutiliter et ſine fructu* ſanctae religionis *omnisque honeſtatis dies ſuos tranſigerent*; ſupereſt et confirmatio alia, anni 1121. Concilium *Wormatienſe* a. 1122 (narratio, quam *Harzhemius* exhibet p. 283, *ſpiritus Ieſu*, pro pretio ſanguinis *filii ſui*, debebat ex *vrspergerſi* chronico emendari.) poſtquam redierant legati, qui apud papam cauſſam *Henrici et inueſtiturarum* egerant; excommunicatione ſublata, imperatorem inter, *Henricum* 5, et papam Calixtum 2, *concordata*, in lucem eduntur, de *inueſtituris*; diploma exſtat in multis libris, non ſine variis lectionibus; paululum variat in *Bullario;* nouae tamen turbae ſtatim ob *wirceburgenſem* epiſcopatum ortae, hoc anno; vicit tamen *Gebehardus*, quem imperator deſtinauerat. Anno 1123 *concordata* Wormatienſia, in *lateranenſi* concilio, (quod in occidente *primum generale* quidam nominant,) confirmata fuerunt. Electiones epporum et abbatum *Teutonici regni*, quae ad regnum pertinent, papa concedit in praeſentia imperatoris fieri; — electus autem *regalia* per *ſceptrum* recipiat, exceptis omnibus, quae ad romanam eccleſiam pertinere noſcuntur — *Conuentus bambergenſis*, a. 1124, praeſente imperatore, praecipue ob ducis *Lotharii* inſolentiam; — *ſingulis neceſſarios ſumtus* miniſtrauit, vel ex toto vel ex parte, *Otto* epiſcopus bambergenſis, praeter publicum imperatori conſtitutum ſeruitium; (ſic debebat edi et diſtingui; *Harzhemius* p. 295 imperitiſſime excudit.) — hic idem *Otto*, (qui ſic fauorem ſuo conſilio parauerat,) *Henrico* et primoribus oſtendit litteras ducis Pomeraniae, quibus ad praedicationem euangelii vocabatur; copioſius exſtat in *Vrspergenſi*, et *Ottonis* vita, quae ſaepius excuſa eſt. Adiecit *Harzhemius* diploma huius epi, de *cella* in honore domini et b. *Fidis* virginis; ex *Bambergenſium* rerum corpore *Ludewigiano;* in quo legitur, a *Regni Botone* comite de *Giche*, cum legendum forte ſit, a *Rapotone* comite. Conuentus in *Vzedom* (Vzneym) ſub duce *Vratislao*, et S. *Ottone*, bamberg. apoſtolo pomeranorum, a. 1127

Ex

Ex descriptione vitae *Ottonis;* hic dicitur, quia tempus sic ferret, sub *Pentecosten*, sermonem habuisse, de aduentu Spiritus S. de remissione peccatorum, de variis charismatum donis, de bonitate et clementia diuina — et quosdam quidem, *iam dudum christianos, sed errore paganismi denuo inquinatos*, praesenti sermone, — ecclesiae reconciliauit; alios autem certatim se offerentes, *catechizatos* — baptizauit — *concilium* hoc non antea solutum est, quam principes ipsi et omnes, qui cum eis aduenerant, baptismatis *sacramenta* (in plurali) percepissent. Sermo, quem habuit *Otto* ad primitiuam suam ecclesiam, a. 1124. fundatam, et quidem *Pirissae* in Pomerania, cum prima vice bambergam rediret — trado vobis discessurus 7 ecclesia sacramenta; *baptismus* — eum *paruulis in Sabbato* s. Paschae et Pentecostes tradere debetis; *confirmatio*, vnctio chrismatis in fronte, victuris necessaria est; *vnctio infirmorum*, qua morituris remissio datur peccatorum, et armantur contra malos spiritus, in exitu vitae animabus insidiantes; *corpus et sanguis domini*, quo viatico semper est vtendum — saltim *per mediatorem* vestrum, sacerdotem, qui *pro vobis communicat*, missas audiendo communicate, si ipsi carnales estis. *Poenitentia*, qui post baptismum propter grauiores culpas ab ecclesia proiecti, ei reformantur. *Coniugium*, s. copula matrimonialis; ista 5 generalia sunt; sed hoc *particulare*, pro iis, qui se continere non possunt — partus *femineos* audio vos, mulieres, necare consueuistis — *ordinatio*, seu consecratio, et ipsum particulare est — adhortor vos, vt de liberis vestris ad clericatum tradatis, liberalibus studiis prius diligenter instructos, vt ipsi per vos de lingua vestra *latinitatis conscios* habere possitis clericos. Addit *Harzhemius:* ideo hanc doctrinam habitam in conuentu apud Pirizam, Dimin, seu Vzedom, adscripsi, vt pateat orbi honorato calumnia Dan. *Crameri*, in dem groſſen pommeriſchen Kirchen chronico: ab *Ottone* non Christum, sed *papisticas superstitiones Pomeranis* praedicatum — Nempe

istas

iſtas tam humiles et exiles caerimonias Chriſtum et Chriſti doctrinam nos putabimus! Deſunt autem adhuc quaedam capita publicae doctrinae; ſcilicet, *reliquiarum*, et *miraculorum* diſciplina. De iſtis iam quaedam admonuimus; eis addimus inſignem pompam inuento S. *Eligio* et eius matri, ſacram, *Martene* ampliſſ. collectio tom. I. p. 665. Inſunt enim quaedam, quibus religionis publicae ſtatus luculentius patet. Monachi non valentes per ſe aceruum lapidum remouere, *in feſtiuis diebus* per praecones *populum* ciuitatis et caſtri *conuocabant*, quatenus — ex conſultu capituli *per plateas* et *vicos ciuitatis* et *caſtri tubicines* tubicinantes deambulare fecerunt, cuiuscunque conditionis populum conuocantes, vt inuentioni b. Eligii intereſſent; talis namque conſuetudo eſt in partibus illis, *proceſſiones, infirmorum viſitationes* et mortuorum, ceterosque conuentus *per plateas et quadruuia* huiusmodi homines, (tibicines) declamare — homines autem inuidi (peritiores,) muſſitando dicere coeperunt, hanc conuocationem zelo *coaceruandae pecuniae* factam; itaque abbas non auſus eſt, rem perficere, ob corroſorum detractionem. Incidit immanis pluuia, vnde hominum animi vario metu agitabantur, cur talis pluuia caderet — itaque monachi eccleſiae B. *Martialis* populo promiſerunt, ſe habere in quodam feretro ſocium aliquem S. *Martialis*, *Hoſtriclinium*, cuius talis erat conſuetudo, quod, ſi quando *pro aliqua aeris intemperie foras portaretur*, ceſſaret intemperies. Itaque indicto ieiunio, difficilis caerimonia inſtituta et eius corpus, inter ſigna omnium eccleſiarum, cum ceroferariis, luminibus et hymnis, exportatum — Sed noluit deus facere per S. *Hoſtriclinium*, quod in reuelatione patris et matris *Eligii* reſeruabat. Auxit igitur pluuia. Iam *ſanctimoniales* ciuitatis, ſimiliter afferentes, ſe *reliquias dictae poteſtati aſſignatas habere*, iterum per praecones et tubicines aliam proceſſionem inſtituunt; ſed et porro continuauit tempeſtas. Iam abbas ille, cum monachis diuino ſpiritu inſpiratis, audent haec oſſa beatorum corporum tol-

lere;

lere; iam in ipsa remotionis apparatione — serenitas statim oritur &c. Tales nugas, tam scaeuas, perscribere solent hoc seculo, quia *doctrinae* partem praecipuam faciebant. Nec tamen alibi, in Germania, deerant, qui *de reliquiis* sententiam satis tenuem ferebant, vt hic de *corrosoribus* narratur; copiosius descripsit *Arnoldus* lib. 4. c. 23, canonisationem *Bernwardi* Hildeshemensis; cum sacra ossa noctu a paucis collecta essent, fratres maiores capituli dixerunt, non est nobis pars *in reliquiis* istis; *quis me certificabit*, *ne pro veris reliquiis*, caput vel scapulas vel tibias *alicuius potatoris* aut *cuiuslibet peccatoris* accipiam? Nihil nobis cum solennitate illa — quidam simpliciores fratres, clam sepulcrum aperuerant, reliquiasque abstulerant, psalmodiis, missis seu aliis cantiunculis venerantes, honorantes, adorantes. *Vbi vero talis veneratio percrebuit*, pluribus innotuit; cognita *displicuit*, nec iam deuotio, sed grauissima iudicatur praesumtio — De *miraculis* autem, vel istam insanam et foedam narrationem ex eodem *Arnoldo* c. 14 describo, quia Epistola aepi *moguntini*, *Conradi*, quam edidit *Martene* in eodem corpore *ampliss.* collectionis tomo 1. pag. 997 partim differt ab hac narratione, partim melius intelligitur. Aegrotantem puellam prope *Erpisfordiam* sacerdos visitabat; ei dedit viaticum, atque ablutionem digitorum fecit in *bicario* (Becher,) mundo, (satis immundum describit *Conradus*,) ipsam aquam ad bibendum ei tradens, sic discessit. Illa suae mentis bene compos, dixit his, qui astabant, (de hac re nihil in epistola, quae et de 2 puellis aegris loquitur): operite aquam, quia vidi de digitis sacerdotis *portiunculam* eucharistiae in eam decidere. — aqua tota mutata fuit in sanguinem, et portiuncula, *licet minimi formam acceperat digituli*, versa in cruentam carnem. (O insanias! o barbarica mysteria!) His visis terrentur omnes — archidiaconus scribit ad aepum Moguntinum, qui per legatos sacros Erfordiam iussit adferri; post sacram caerimoniam sigillo muniuit; sic finit epistola. Sed fama longe auxit rei miraculum, apud

Ar-

Arnoldum; pontifex enim voluit restitui nouo miraculo panem: diu oratum fuit, sed nihil mutabatur. Iam *de nouis lapidibus* aepus nouum altare construi praecepit — venit subito, qui diceret, dominum preces filiorum Israel audiisse, plenissime rediisse priorem substantiam, (aquae et panis,) — pontifex *aquam transsubstantiatam* in vasculo pretioso reposuit; *bicarium* vero Moguntiam secum retulit, vbi vsque hodie honore maximo veneratur; (nempe ignorauit scriptor difficilem disputationem theologicam, vtrum aqua, vino admista, etiam in Christi sanguinem transsubstantietur, aliter ausus non fuisset scribere, aquam digitis lauandis adhibitam, *transsubstantiatam* fuisse; aut certe, alii negare nec illud debuerant.) Addit scriptor ineptus: omnes autem in ista mogunt. dioeceси ita ad laudem Christi *incuruati* sunt, vt etiam *infantuli*, qui in cunabulis iacebant, *incuruati* gratias agerent. Eat nunc *Harzhemius* et dicat, calumniam esse, si *superstitiones papisticas*, aut petulantes nugas, istas doctrinas nostri nominant; Pomerani, et Slaui, quorum chronicam hic *Arnoldus* scribebat, his turpissimis rebus et scitis carere poterant.

Sed redimus ad *concilia Germaniae*, quibus mirum est *Harzhemium* non inseruisse tam lepidam Conradi *encyclicam*. Acta in caussa Epi *Halberstadiensis*, *Ottonis*, cuius electio *canonica* a quibusdam impetebatur, *Simonia* etiam, (in consecratione burnensis ecclesiae, XXX solidos pro consecratione requisisse dicitur in epistola *Honorii* papae) habentur apud *Harzhem.* p. 308 seqq. sed ex *Martenii* amplisſ. collect. tomo 1. p. 751 seqq. papae et imperatoris epistola adiungendae erant; imperator *Lotharius* scribit p. 754: quia vero in partibus Saxoniae, maxime *in praefata* ecclesia Halberstad. *imperialis dignitas consistit* — vt eligatur, qui ecclesiae et *imperio expediat* — obseruatu digna est haec sententia. Similis caussa fuit *Wurceburgensis* epi, quem ob prolata crimina aepus moguntinus excommunicauerat, Harzhemius p. 310 seqq. In synodo *Leodiensi* 1131 imperator a papa repetere ausus est *inuestituras epi-*

epiſcoporum; itaque *Petrus*, caſſin. diac. omnino perſcripſit, papam *Leodii* confirmaſſe Lothario virgam et annulum, antiquo ex more; atque narrantur plura exempla, licet *precibus Auguſti* id papa dediſſe dicatur. Sed, quod ad rei ſummam attinet, *Bernhardus* papae non defuit, nec epiſcopi videntur rem adiuuiſſe; reſtitutus fuit *Otto*, eccleſiae Halberſtadienſi, imperatoris precibus, poſtea denuo deiiciendus. Aduerſus *coniugatos* presbyteros; ne quis interſit illorum ſacrificiis. Ab Innocentio 2 a. 1133 *Bertholdo* epiſcopo paderbornenſi, ob ſtudium in beatum Petrum, *vſus Rationalis* conceditur: quia tamquam Aaron ad pontificale faſtigium euocatus es, et *loco Moyſi* ad regimen et principatum chriſtiani populi conſtitutus. Tranſimus fundationes et donationes ſacras multas. A. 1142 litem ad *Innocentium* detulerunt fratres eccleſiae *confluentinae*, aduerſus aep. treuirenſem, *Alberonem*, qui papae litteras, quibus iuri ipſius derogabatur, *in terram* abiecerat; Romam igitur vocatus fuit, cauſſam tamen ſuam defendit. Hic *Bernhardus* epiſtolam illam ſcripſit, ad papam, *aduerſus appellationes ad ſedem romanam* —: *flagitioſi quique* et contentioſi de populo ſiue clero *ad vos currunt*; redeuntes iactant, ſe obtinuiſſe tutores, quos magis vltores ſenſiſſe debuerant — epiſcopi in contemtum veniunt — inſania monachorum, apoſtolicis ſuſtentationibus confirmatur, quaſi non ſatis per ſe iam inſanirent — de *Treuerenſi* dico vobis, quod magnum locum tenet in regno illo — non deerit (in vos) inſultatio, ſi a vobis eum minus exaudiri contigerit — In eamdem ſententiam *Bernhardus* ſcribit libro 3 *conſiderat.* c. 2, ad Eugenium, aduerſus appellationes ad curiam romanam; rixas de monaſteriis et bonis eorum negligimus.

Synodus colonienſis a. 1146, in qua *haeretici* conuicti quidam ad eccleſiam redierunt. — duo ex eis, vnus, qui dicebatur illorum epiſcopus, et ſocius eius, reſtiterunt in conuentu clericorum et laicorum; haereſin ſuam defendentes ex verbis Chriſti et apoſtoli — cum per triduum ad-

mo-

moniti essent, *rapti sunt a populis*, *nimio zelo* (o zelum illum!) permotis, *nobis tamen* (sic auctor ille narrat) in concilio *sedentibus inuitis*, et in ignem positi et cremati, *et quod magis mirabile est*, *ipsi tormentum ignis* non solum *cum patientia sed et cum laetitia introierunt et sustinuerunt*. Haec est Haeresis illorum: 1. apud se tantum *ecclesiam* esse; et quod soli vestigiis Christi inhaereant, ea, quae mundi sunt, non quaerentes. 2. isti, qui in vobis, (catholicos alloquuntur) perfectissimi habentur; monachi et regulares canonici, possident, licet vt communia; nos vero pauperes Christi de ciuitate in ciuitatem fugimus, cum tamen sanctam vitam ducamus — in cibis suis vetant omne genus lactis, et quod inde conficitur, et quicquid ex coitu procreatur. In *sacramentis*, velo se tegunt; nobis tamen confessi sunt, quod in mensa sua quotidie, cum manducant, ad formam Christi et apostolorum, cibum suum et potum in corpus Christi et sanguinem, per dominicam orationem consecrant — se praeter aquam, *in igne et spiritu baptizare* et baptizatos esse — talem baptismum per impositionem manuum debere fieri, conati sunt ostendere testimonio Lucae, cum in Pauli baptismo non mentio fiat aquae — quemlibet *electum* habere potestatem, alios, qui digni sunt, baptizandi. Per manus impositionem de numero eorum, quos *auditores* vocant, recipit ad *credentes*, tandem fit aliquis electus, si probatus est satis. *nostrum* s. papist. baptismа nil curant; nuptias damnant, causam ignoro. Haec *Ewervin* ap. Mabillon. in analectis. *Conradus* rex roman. a. 1147 confirmat libertatem *Corbei.* et *Heruordensis* monasterii, vt maneant sub defensione imperatorum; episcopi *mansionaticum* statutum ne mutent; nemo *Burgbahn*, seu iustitiam sibi sumat, nisi cui abbas concesserit, abbas de infimo ordine, videlicet de *litis* aut *censuariis* potest facere *ministeriales*. adde diploma 1150 in collect. amplissf. tom. 2. pag. 609. quod omisit *Harzhem*; idem debebat emendatius exhibere Conradi diploma. In synodo *treuerensi*, a. 1148, Eugenio 3 praesente, de virgine

Hildegardi, apud *Bingios*, cuius magna fama celebrabatur, actum; missi ad eam 2 legati, *partem visionum* seu *reuelationum* ad Synodum attulerunt; *Bernhardus* et alius, abbas S. Matthiae treuirensis, omnium dubitationum nebulas dispersérunt; itaque *Eugenius* ad virginem, vt ei auctoritatem aduersus prauos homines adderet, scripsit epistolam, qua ei gratulatur, per quam deus noua miracula ostendat — gratiam hanc custodi, et, quae in spiritu proferenda sensseris, prudenter profer — Hic *Harzhemius* auctoritatem *Bernhardi*, paparumque plurium opponit *Oudino*, qui cerebri muliebris *inanes illusiones* dixerat; hodie nemo, qui epistolas eius legit, aliter iudicabit, licet isto tempore vel *reuelationum* talia ministeria non fuerint contenta a politicis sanctis. De restitutione trium episcopatuum in *Slauia*, per aepum bremensem *Hartuicum* iam p. ex *Helmoldo* narrauimus. A. 1151 Synodus *Salisburgensis*, sub aepo *Eberhardo*, in qua, praeter res alias, etiam de doctrina *Gerhohi*, praepositi Reicherspergensis, tractatum fuit; *is de gloria et honore filii hominis in deum assumti et in deum nati* ita scripserat, vt *Folmarus*, praepositus in Trieffenstein, wirceburg. dioeces. litem mouerit, ob *Eutychianissmum*; hic autem *Folmarus*, *praesentiam corporis Christi in eucharistia* negasse dicitur. Ab a. 1152 longa controuersia de *Wichmanno*; narrat rem omnem *Otto* Friling. lib. 2 (falso, lib. 1 exstat in Harzhem.) c. 6 seqq. nempe alii praepositum, alii decanum elegerant; itaque *Fridericum* adeunt, qui cizensem epum, Wichmannum iis persuasit, atque regalia ei contulit; sed praepositus papam adiit *Eugenium*, is ad aepos Salzburg. bremens. treuir. epos bamberg. constant. ratispon. Friling. patau. pragens. Hauelberg. et aichstadensem satis arroganter scripsit, quod *temporalis aurae* flatibus agitentur, nec steterint quasi murus pro domo Israel. Supersunt plures pontificis epistolae; tamen *Wichmannus* tandem ab Hadriano 4 pallium impetranit. *Constantiae* a. 1152 inter *Fridericum* et *Eugenium* forma *concordiae et conuentionis* perscripta; cuius

ius exemplar apud *Baronium* in phrasibus non parum differt ab alio, quod *Schannat* descripsit et *Harzhemius* edidit; e. c. Baronius: vt inter *sacerdotium et regnum* indissolubili caritate bonum ipsum perpetuo perseueret; sed ista absunt ab altero exemplo. — vterque promittit: *regi Graecorum* ex ista parte maris *nullam terram* concedam. A. 1153 in conuentu *wormatiensi*, praesentibus 2 legatis romanis, *Henricum*, aepum moguntin. Fridericus sede illa iussit eiici, quia inutilis esset et corrigi nollet; legati auro corrupti dicebantur per canonicos, qui aepi admonitionibus nollent obsequi. Eius in locum, *Arnoldus* suffectus fuit, quem *Henricus* sui defendendi caussa romam miserat; sed hic tam feliciter pecuniae copia rem suam propriam egit, et 2 legatos, qui caussam cognoscerent, a papa impetrauit. *Henricus* ipse in synodo dixit: si ad sedem apostolicam appellarem; contra iniquum processum, nihil mihi accresceret, quam labor corporis — appello ergo ad dominum Iesum Christum — ista *Dodechinus; Baronius* autem ex *Conradi* chronico moguntino narrat — insignem calamitatem, quae 2 legatos, ex dei iusta vltione, oppresserit; fabulam tamen reputat Baronius. Iidem legati etiam *Henricum mindensem*, et aichstadensem Burchardum deiecerunt; de *mindensi* nihil narrat chronicon ap. *Leibnitium* tomo 2. pag. 176; alii scriptores aliquot annis serius designant istam *synodum*; pro *mindensi* habetur *apologetica*, abbatis celeber. Wibaldi, ad istum *Arnoldum* moguntinum; e qua discimus, *appellationes* ad papam a *Waldero* diacono, cui *decaniam* abstulerat Henricus, et a *Vortleue*, subdiacono, qui *exoculatus fuit, effractis foribus* epi, non absque sanguinis effusione, in pauimento proiectas fuisse; add. *collect. ampliss.* tom. 2. p. 535. Ista documenta porro confirmant miserum statum ecclesiarum *Germanicarum*, sub papae nouo iure. *Fridericus* imperator, reiecta priore coniuge, iam graecam *Mariam*, *Isaaci* constantinopolitani filiam per *Anselmum*, Hauelberg. epum, et *Alexandrum* de Apulia, expetebat; quae res facile declarat, ecclesiasticas controuersias a regibus

non magni momenti habitas fuiſſe; ſiquidem *graeca* coniux latino imperatori non diſplicebat. Sed negotium illud minus ſucceſſit. Memoria digna eſt ſolertia *Friderici* imper. qui Epiſcopos Germaniae ſuis litteris hortatus eſt, ne ex electis 2 papis ſuſciperent, niſi eum, quem ipſe, rex *Francorum*, *Anglorumque* praetulerint: nam *ad cathedram* tanti regiminis aliam perſonam *nullatenus recipere intendimus*, niſi quam ad honorem imperii, quietem et vnitatem eccleſiae — fideles elegerint — Vix ad *Synodos Germaniae* pertinet, quod *Harzhemius* narrat, a. 1163, ſub aepo *colonienſi*, Raynaldo: plures *haereticos* comprehenſos, et cum *fidem catholicam recipere nollent*, iuxta coemeterium iudaicum, *igne crematos eſſe*; propoſiti ſui tam tenaces, vt vel virgo quaedam reiecerit, ſatis blandas aliorum promiſſiones, et magiſtri *Arnoldi*, iam combuſti, in corpus ipſa ruerit. Is eſt aepus col., qui anno poſt *trium regum corpora* Coloniam ex Italia aduexit, (etiam martyres *Felicem* et *Nabor*, vt in annalibus *Godofredi* monachi exſtat; qui idem narrat, hos *Catharos* de *Flandriae* partibus veniſſe, et in quodam horreo, prope Coloniam, manſitaſſe. Sed, quia *neque die dominico* in eccleſiam intrarent, tandem, diu examinati de ſua ſecta, laicam in poteſtatem traditi fuerunt.) De *Haereticis* huius ſeculi poſtea agemus paulo diligentius. *Fridericus* imperator, aſſentiente papa *Paſchali* 3, quem alii antipapam dicunt, *Caroli* M. corpus a. 1166, Aquisgrani, in ſolemni ſacra pompa eleuauit; de *canoniſatione* eius, (alii beatificationem tantum dicunt,) vid. doctiſſ. *Walchi* ſcriptio ſingularis 1750. 8.

Eminuit praecipue per haec tempora *Chriſtiani* aepi Moguntini in imperatorem fides, atque firma mentis conſtantia aduerſus *Alexandri* 3 ſtudia; *Friderieus* imp. nouos epiſcopos *Germaniae*, niſi recipere ab illo ordinationem vellent, reiecit; vid. appendix ad *Radeuicum* tomo 1 *Vrſtiſii* pag. 560; itaque et *Arnoldus* lubec. 1. c. 16 ſcribit, hunc aepum *Longobardiam* ſubiecciſſe imperio; plus enim pla-

placere ſtuduiſſe imperatori terreno, quam caeleſti, et neglectis ouibus ſibi commiſſis, magis tributa Caeſaris quam lucra Chriſti collegiſſe; quae oratio eſt hominis rerum minus periti. Iſtas turbas multas, quibus moguntina eccleſia non parum labefactata fuit, deſcribit breue *chronicon*, tomo 1 *Vrſtiſii* pag. 567 e cuius initio non ſine ſtupore quodam perſpicimus, quanta diuitiarum moles vel in eccleſia vnica *Moguntinenſi*, inde a ſeculi huius initio, adfuerit; his theſauris, ſi quis iam alias eccleſias epiſcopales et abbatiales vel in mente adiungat, per omnem Germaniam et latinam Europam, tum demum fatebitur, incredibiles diuitias a clericis collectas fuiſſe. *Purpurarum* precioſarum tantae copiae, vt diebus feſtiuis totum monaſterium, longum et latum, intrinſecus tegeretur; et tamen adhuc ſuperfuerunt. Tapetia et dorſalia mirae picturae varietate diſtincta; pallae altarium quaedam C. alia LX, aliae non pauciorum Marcarum auri. — cappae pretioſae — eas inter vna ad LX marcas, (ſic enim et obligari poterat.) quaedam nimis vetuſta data eſt igni, et reddebat tres marcas auri cum dimidia. — caſulae de *ſamito* varii coloris — infulae vel tiarae 18 auriphrygiatae, 16 annuli pontificales magni, de rubino vnus, aliis gemmis impoſitis minutis — Erat pertica argentea concaua, deaurata, quae tantum praecipuis in feſtis ante altare dependebat, in qua vaſcula ſuſpendebantur — ſmaragdus catenis 2 aureis ſuſpenſus, quantitate dimidii peponis magni, cauus; huic *ſolebat aqua infundi cum* 2 *aut* 3 *piſciculis paruis*; et repoſito deſuper operculo, cum mouebantur piſciculi, *ſimplices et vetulae* lapidem viuere affirmabant; (nempe, cur, aut quo conſilio ſic fiebat?) turibula X argentea deaurata; vnum aureum habens auri marcas 3; acerrae XI, inter quas vna de lapide onychino integro concauo, habens ſimilitudinem bufonis; in dorſo patebat, vbi et circulus argenteus *cum litteris graecis*, ambiebat, (haud dubie ex partibus orientalibus huc allata;) in fronte erat lapis topazius magnitudine dimidii vitelli oui; oculi autem 2 robini, quos car-

bunculos vocant. item 2 grues argenteae concauae, quae solebant ad latera altaris poni, dorso patebant; impositis carbonibus et thure vel thymiamate fumum per guttura et rostra emittebant. Libri, qui pro ornatu super altare ponebantur — X cruces argenteae portatiles; in alia cruce erat imago aurea domini crucifixi, quae cuiuslibet hominis magnitudinem excedebat, concaua, sed multum spissa, cuius venter plenus erat *reliquiis* et gemmis pretiosissimis; dicebatur autem nec *romanum imperium* (an corona imperatoria?) meliores habere; poterat membratim dissolui in iuncturis, in talo, genubus, femore, humeris, cubito, manibus, collo, vt commodius in arca ad hoc deputata reseruarētur. Loco oculorum inerant 2 gemmae, carbunculi, tantae magnitudinis, vt 2 vitelli ouorum, qui in tenebris coruscabant; inscriptus fuit cruci versus: Auri *sexcentas* habet haec crux aurea *libras;* nota, vna libra habet 2 marcas auri; haec crux, pro speciali huius auri probatissimi valore proprio nomine censebatur, *Benna* — calices — vnus digiti crassitie, gemmis pretiosissimis adornatus; habebat 2 ansas, vt solent habere mortarii — ab omni homine non poterat de terra leuari commode — addit scriptor: nullus me in hoc scripto arguat falsitatis. — O Moguntia felix, tot bonis inclyta, si tu mutares gentem rationis ac honoris egentem. Haec ille *Conradus*, de thesauris ecclesiasticis.

A. 1172 episcopus traiectensis, ob diluuium et secutum incendium, in *synodo* generali (dioecesana,) indixit ieiunium generale, et *processionem* (vt antea iam descripsimus, cum reliquiis gestatis.) A. 1174 maxima *curia* fuit in ciuitate Ratispona, qualem vix vnquam memoria est in *Bauaria* celebratam fuisse iussu imperatoris, — vt tractaretur de *ordinatione* aepiscopatus Salzburg. erat tertia curia pro hac caussa determinanda; nempe *Adalbertus* aepus, *Ladislai*, regis bohem. filius, a sede ista deiiciebatur, quia *Alexandri* 3 partes sequeretur; eius in locum *Henricus*, praepositus Perthesgadensis suffectus. *Ludus tornea-*

cramentorum adeo hoc ſeculo ſolebat frequenter exerceri, vt infra annum vnum XVI milites periiſſe narrentur; itaque archiepiſcopus *Wichmannus* 1175 excommunicationis metu amatores compeſcere decreuerat; atque *in conuentu in Hallenſi* eccleſia, occiſo nuper comiti, *Conrado*, vix ſepulturam conceſſit, licet multis nobilibus deprecantibus. Papae etiam prohibitionem pag. iam annotauimus. *Radulfi*, leodienſis epi, decreta aduerſus *incendiarios* et rerum eccleſiaſticarum depraedatores, a. 1180. In ſynodo *colonienſi* aepus *Philippus* a. 1183 S. *Annonem* in facie totius eccleſiae iterato canonizans, eum in catalogum ſanctorum recipi et vt confeſſorem ſanctiſſimum celebrem eſſe mandauit. Nempe decreto huic, quod iam *Lucii* 3 legati praciuerunt, alii annuerant; alii vero, ſicut pro fideli defuncto, pſallere, vt pridem contenti erant. Schiſma hoc ſublatum per hanc ſynodum. Bullam papae *cruciatam* aduerſus Fridericum, qua crux in *Alamanniam*, *Daciam* et *Poloniam* iubetur praedicari, e vaticano codice deſcripſit *Schannatus* et *Harzheimius*, p. 436. Acta translationis et canonizationis *Ottonis*, bamberg. apoſtoli Pomeranorum, ſub Clemente 3, pag. 451 ſeqq. In ſynodali conventu 1192 *Odo*, tullenſ. epus, variis terriculamentis vtitur aduerſus eos, qui bona eccleſiaſtica — boues vel animalia, rapiant; can. X. de Haereticis autem, qui vocantur *Wadoiis*, omnibus fidelibus *in remiſſionem peccatorum ſuorum*, praecipimus, vt quicunque eos inuenerint, vinculis adſtrictos teneant et puniendos adducant. Illud nomen, etſi videtur falſo ſcriptum, tamen *Waldenſes* deſignare poteſt, qui variis ſolent nominibus inſigniri. Ex iis capitulis, quae *Philippus*, rom. rex, a. 1198 dicitur papae promiſiſſe, memoria dignum eſt 7: ſi deus *regnum Graecorum* mihi, vel Leuiro meo ſubdiderit, eccleſiam Cpolitanam *romanae eccleſiae* faciam fore ſubiectam — 9. generalem legem ſtatuam, *per totum imperium*, vt, quicunque excommunicatus fuerit a domino apoſtolico, *in bannо ſtatim ſit imperii*; Harzhem. p. 468 e codice cardin.

din. Ottoboni, si quidem satis bonae fidei sint ista capitula. Synodum sub *Halberstad.* epo *Gardulfo*, a. 1200 recenset Harzhemius, e codice moguntino, quae habita fuerit, in *Oskersdeue.* Fas non est Germaniae rerum tam imperitum se praebere; legendum enim Ofchersleben, vel potius Aschersleben.

Harzhemius in digressione ad hoc sec. XII. de *paucitate canonum* admonuit; in synodis non canones, sed transactiones, pacta &c. reperiri; admirandam esse, dicit, Christi prouidentiam, qui ecclesiam superiorum XI seculorum canonibus abunde munitam, gubernare numquam desinat. Satis frigida atque inuenusta est haec obseruatio; debebat potius notasse, rebellionem fere continuam multorum eporum, aduersus imperatores et reges, pro augenda papae et sua ipsorum potestate. Nec paparum habentur decreta aut epistolae, ad Germaniae ecclesias, vel alicuius momenti. Quod *Harzhemius* istas synodos in classes 8 diuisit, vix fecit operae pretium; nec *haereticis* huius seculi describendis bene meruit.

Antequam ad colligendas res ecclesiasticas aliarum prouinciarum pergimus, videtur a nostro consilio non esse alienum, excerpere quaedam e *Prouinciali romano*, de ecclesiis hoc tempore episcopalibus, per Germaniam. *Europae* flamines et archiflamines et ciuitatum nomina habentur, inter emendationes *Geruasianas* tomo 2 Leibnitii; *Polonia*, *Bulgaria*, Slauonia, Hungaria, Istria, Dalmatia, *Alemannia* &c. recensentur et hic epi cum suffraganeis; sed nos ex MSto prouinciali domini papae et ecclesiae romanae, (e bibliotheca Nic. Iosephi *Foucault*, postea Ludouigii,) cuius ordo et modus non parum discrepat ab aliis recensionibus, pauca describemus; quae cum isto *Geruasii* catalogo fere conueniunt. In Alamannia 1) aep. *moguntinus*; habet suffraganeos, Pragensem, Morauiensem vel holomucensem; Ehistetensem, Herbipol. s. Wirceburgensem, constantiensem; curiensem, argentinensem, Spirensem, Warmaciensem, Verdensem, Ildeshemensem, Alber-

berstadens. Padelburnenſem (adſcriptum eſt, moramenſem.) Bambergenſem, (in Geruaſio: *qui eſt domini papae*;) Auguſtenſem, (deeſt in Geruaſio.) 2) *Colonienſis*; hos habet ſuffrag. leodienſem, traiectenſ. monaſterienſem, mindenſem, (additur alia manu, *aquenſem*) Oſemburgenſem. 3) *Bremenſis*, hos habet ſuffrag. Barduicenſem, Sclesuicenſem, Raſcheburgenſem; (add. alia manus, *Suerinenſem*; atque ſic in Geruaſio Leibnitiano debebat excudi: *alias* Suerinenſ. loco iſtius monſtri) Michilinburgenſem, (eadem manus addit et hic, aliter zerenſem,) Lubicenſem, Rigenſem, ſiue Liuonienſem; add. *Aepiſcopatus rigenſis* per dominum Alexandrum papam IV, primo anno pontificatus ſui de nouo creatus, hos habet ſuffraganeos — 4) Aep. *Magdeburgenſis* hos habet ſuffrag. Hauelbergenſem, Bragdeburgenſem, (ſic.) Miſenum, vel Miſnenſem, Merſeburgenſem — 5) Aep. *Salzburg.* hos habet, Patauienſem, Ratispon. Friſingenſ. Gurcenſ. Brixinenſem; (Sebonenſem; Riemenſem, Lauendinenſ. [Kemenſ. Seckonenſ. de nouo creati] iſti non ſcribuntur in Geruaſio.) 6) Aep. *treuirenſis*, hos habet ſuffrag. Metenſem, Tullenſem, Virdunenſem.

Extra Germaniam; de vario papae honore et iure.

In ipſo ſeculi initio offert ſe in *Polonia* noui eccleſiaſtici iuris illud caput, quod papa *Paſchalis* 2 negauit ſe *pallium*, quod rogauerat aliquis aepiſcopus (*Gneſenſis* ſcil.) conceſſurum, niſi aep. antea *iuris iurandi formulam*, a papa miſſam, recitaret. Perſpicimus *regem et regni maiores admiratione permotos fuiſſe*, ex papae iſta epiſtola, apud *Harduinum*, tomo 6. parte 2. p. 1768 ſeqq. obiecerunt, prohibita eſſe a Chriſto ſacramenta; *nec in conciliis* id ſtatutum reperiri. Reſpondet papa: quaſi *romanae eccleſiae legem concilia vlla* praefixerint, cum omnia concilia per eius auctoritatem facta ſint et robur accipiant — Facile autem ex monumentis huius ſeculi colligi-

tur, hoc papae ius ſummum per omnes prouincias non raro vellicatum reiectumque fuiſſe. Non repetimus, quae ſatis ſolent nota eſſe, de fortiſſima defenſione iuris Regii anglicani aduerſus *Thomae* cantuar. et papae inſtituta; vel epiſcopi alicuius, *Hugonis*, couentrienſis, libellus, aduerſus *Wilhelmum*, Elienſem ep. papae legatum, quam *Rogerius* atque ex eo *Baronius* habet, a. 1191 ſatis oſtendit, quaenam fuerit publica vox: omnes eccleſias Angliae *crux illa*, (Legati decus et inſigne) *redemit*, i. e. ad redemtionem coegit; nec fuit aliquis immunis, qui crucis illius ſtigmata non ſentiret; et, ſi forte epiſcopi alicuius domum intrauit, ab eo ſcire poteritis, *quod centum* vel CC *marcarum pretio* ſua *conſtiterit procuratio.* — prouideat romana eccleſia, vt tantus exceſſus taliter puniatur, ne ſacerdotalis auctoritas vileſcat. Rex Angliae nihilominus *proſpiciat*, vt talem regno perſonam praeficiat, per quam regalis honoris dignitas ſeruetur — Fatetur ipſe *Baronius*, a. 1117 8, ad propulſandam legatorum rom. *rapacitatem*, regem Angliae poſtulaſſe, vt aep. cantuar. perpetua legatione fungeretur. Ipſe *Bernhardus* in libris de *conſideratione*, vel de auaritia Legatorum, non queri non potuit; — quid boni, legati veſtri, cum Hiſpanis egerint, (ad quos ſaepe mittebantur legati,) nec dum audiuimus; et forſitan audiſſemus, *niſi prae auro Hiſpaniae*, ſalus populi viluiſſet. In *Scotia*, quantae auctoritas fuerit papa, vel iſto documento conſtat. A. 1180 ſchiſma ortum fuit, ob nouum metropolitanum, ſeu epum S. Andreae; rex Scotorum, *Wilhelmus*, elegit capellanum ſuum, et conſecrari fecit ab epis regni ſui, *contra appellationem*, a Ioanne, quem canonici elegerant, *ad* dominum *papam factam.* Miſit *Alexander* legatum, qui iſtum alium conſecrauit; ſed rex ſtatim legato praecepit, *ne in regno ſuo moram faceret;* atque iſte Hugo non minus epum ſe geſſit, quam antea. Fatetur papa in bulla, qua ſententiam Legati ſui confirmat: propter metum regis, nullum legato ſuo in manifeſto obedire auſum; porro papa iuſſit eborac.

aepum,

aepum, cui legatiam (sic solet *Rogerius* scribere,) concessit in *Scotia*, cum epo dunelmensi, excommunicare Regem — regi autem mandat: vt intra XX dies nouo epo pacem largiatur — Sed rex, *expulit* istum Iohannem, eiusque aununculum, epum de Aberden, *e regno suo* — nouus papa *Lucius* 3 facile regi sacrum honorem omnem restituit; nec Iohannes locum istum potuit obtinere. *Caelestinus* 3 a. 1192 *Scoticanam* ecclesiam (liberam postea a Metropoli anglicana) immediate sedi apostolicae subiecit: in qua hae sedes sunt episcopales, S. *Andreae*, *Glascuensis*, *Dunkeldensis*, *Dublinensis*, *Brechinensis*, *Aberdonensis*, *Morauiensis*, *Rossenensis*, *Cathinensis* — nec vili de cetero, qui de regno Scotiae non fuerit, licitum sit, *legationis* officium in regno exercere — Ex *Germania* non opus est recensere documenta libertatis ecclesiasticae, saltim a multis, grauiter defensae. Regis *Galliae* sententiam aduersus cardinalem Anagninum iam descripsimus, (*Sterlingos* eum olfacere.) Nec magni fecit Rex Gallaeciae, *Adelfonsus*, paparum prohibitionem, cum regis Portugalliae filiam, ipse nepos, duxisset; excommunicatio et interdictum, *quinque per annos* regem non mouerunt; tandem Rex *Castellae* eum coegit, ista vxore relicta, filiam suam accipere in vxorem. His exemplis facile plura addi ex hoc seculo possunt. Sed iam pergimus *in recensione Harduini*. Pag. 1769 seqq. edidit Epistolam *Leodiensium aduersus Paschalem* 2, *schismaticam*, vt *Binius* et alii iam monuerint; sed in *Martenii* ampliss. collect. tomo 1. pag. 587 seqq. eadem exstat, accuratius inscripta: Epistola (anni fere 1102, certe non 1107, vt alii,) *Sigeberti* monachi, ad *leodienses*; addunt editores, auctorem tamen non esse schismaticum, licet imper. *Henricum* a papa deponi non posse, exsistimarit; nec eam a *centuriatoribus* magdeburg. confictam fuisse, quod aliquis *Ioh. Robertus* scribere ausus fuerat. — *Petrus* in epistola sua prophetico spiritu *Romam* hodiernam vocauit *Babylonem*, ob confusionem dissensionis; papa *Paschalis* excitauit aduersus

nos

nos comitem *Flandriae* — porrigit comiti gladium, vt occidamur; Dauid orabat, ne angelus gladio populum trucidaret — Multa eximie dicit aduersus gladium istum papae — papa videtur dormisse — non debet deuiare ab apostolo — pacem Iesus et apostoli attulerunt, peccantes arguunt, obsecrant — Martinus aliique epi olim *Ithacium* communione ecclesiae priuarunt, quod Maximum imperatorem eo adduxerit, vt *Priscillianum*, haereticum et eius socios, occideret — Maledictum *excommunicationis*, *quod ex nouella traditione Hildebrandus*, Odoardus (Vrban. 2) et iste tertius indiscrete protulerunt, *omnino abiicimus*, et *priores patres tenemus*, — si quis V. et N. T. reuoluerit, *inueniet patenter*, *quod aut minime aut difficulter reges possunt excommunicari* — illos vero *legatos*, *a latere* romani epi exeuntes, et *ad ditanda marsupia discurrentes* omnino refutamus, sicut concilia africana probauerunt — cur de grauibus et manifestis non reprehendantur romani episcopi? — *Hildebrandus*, *auctor huius nouelli schismatis*, primus leuauit sacerdotalem lanceam contra diadema regni — apostolicus, qui orare debebat pro rege, quamuis peccatore, vt tranquillam et quietam vitam agamus: agit bellando, ne tranquillam vitam viuamus &c. Sed dignissima erat epistola, quam totam hic scriberemus; praecipue cum *Harzhemius* fuerit adeo partium romanarum turpiter studiosus, vt silentio plane transierit in *conciliis* Germaniae, hoc aureum libertatis et virtutis germanicae ecclesiasticae monumentum. Sed et *Martenii* nescio vtrum fraudem improbam, publicam, an vero immanem et insanam negligentiam accusem? Nec enim solum omisit voculas, hic ibi insignes; (e. g. quod transgrediamur eorum, scil. romanorum, *nouas* traditiones; omisit, *nouas*,) sed etiam *vix dimidiam* epistolae partem excudit, resecta meliori, fortiori et dignissima. Operae itaque pretium fuit, haec studiosius nos annotasse.

Ex Epistola *Paschalis* ad *Didacum*, compostellanum epum clare patet, sacerdotibus matrimonia tantum *nouo*

roma-

romano iure interdici; ſic enim: ſi qui, *ante romanae legis ſuſceptionem*, ſecundum *communem patriae conſuetudinem*, coniugia contraxerunt, eorum filios — incongruum eſt, quod per regionem veſtram *monachos cum ſanctimonialibus habitare* audimus. Epiſtola 15, ad clerum et plebem Arelatenſem: *pro negotiis et ſcandalis*, quae in *Hieroſolymitana* eccleſia fuerant, Gibelinum, veſtrum antiſtitem, ad partes illas, cum noſtra legatione, direximus; eum clerus ibi et populus in patrem et paſtorem elegerunt — vid. *Wilhelmus* Tyrius lib. XI, 4. Meminerimus, in iſtis rebus Hieroſolymitanis, praecipuas partes, ſemper fuiſſe *Gallorum*, et per Gallos, adminiſtratas; iuuerit forte id poſtea in memoriam reuocaſſe, cum *Templariorum* fatum deſcribetur. Idem papa *Balduino* regi ſcribit: vt omnes vrbes, quas ſubegerit, ſubiaceant Hieroſolymitanae eccleſiae, tamquam *metropolitanae*; ad *Bernardum*, tamen, *antiochenum* patriarcham alia epiſtola cauet, ne iſto priuilegio antiochenae eccleſiae dignitas imminuta videatur. De hac cauſſa plures ſcripſit epiſtolas. De *Herimanno*, epo *Auguſtano*, adulterii accuſato; de *euchariſtia*: *panis* per ſe, *vinum* per ſe ſumi debet, *praeter in paruulis ac omnino infirmis*, qui *panem* (niſi intinctum) *abſorbere non poſſunt*. Diuiſio epiſcopatus *Lincolnienſis*, qui nimis amplus erat, *in duo*. *Elienſis* enim nouus inſtitutus.

Concil. *londinenſe* a. 1102; c. 2 ne archidiaconatus dentur *ad firmam*; (iſta conſuetudo ſatis late vagabatur; ſic *Alexander* 3, ep. 288 ad aepum rhemenſem, Tomo 2 collect. ampliſſ. p. 855: in epiſcopatu *tornacenſi* adeo regnat effrenata cupiditas, vt abbates exactiones exerceant et niſi presbyteri *eccleſias ad firmam* vel ad cenſum recipiant, eos expellant, aliosque inſtituant, *qui maiora offerant* &c.) c. 17 ne abbates faciant *milites*; 20, ne monachi teneant villas *ad firmam*. c. 27, ne homines deinceps ſicut bruta vendantur. 28, Sodomiticum flagitium facientes, — ſi fuerit perſona *religioſa* — *Anſelmi* cantuar. epi, epiſto-

lae

lae aliquot canonicae. 2. de nuptiis consanguineorum: apud Israelitas *vix tertium* gradum consanguinitatis transibat lex illa naturalis affectus; apud *christianos* vero, in quos tempus *correctionis*, perfectionis, deuenit, *creuit* pietas, superabundauit honestas, et *ad designandam euangelii perfectionem* ternarius ille numerus *porrexit se in senarium*, qui est perfectus — Conuentus *lexouiensis* a. 1106, — ei, qui virginem violauerit, effodiantur oculi et genitalia praecidantur — amputetur dextra ei, qui monetam adulterauerit — *Londinense* concil. a. 1108, ne clerici cum feminis aut coniugibus habitent — omittimus multas synodos, in caussa *inuestiturarum* et contra *Henricum* imperatorem. Papa *Calliſtus* 2 canonicos regulares *Bernriedenses* confirmat, a. 1122, — ad iudicium *perceptae a romana ecclesia libertatis*, *album cum cingulo* et amictu b. Petro in lateranensis palatii capella singulis *trienniis* persoluetis. Idem canonicos *Pergtestadenses* approbat — ad iudicium libertatis, *aureum vnum* quotannis lateranensi palatio soluetis — Concil. *tolosanum* a Calliſto celebratum a. 1119. c. 3. eos, qui religionis speciem simulantes, dominici corporis et sanguinis sacramentum, *puerorum baptisma*, *sacerdotium* et ceteros eccles. ordines, et legitimarum damnant foedera nuptiarum: tamquam haereticos damnamus — 8. ecclesiasticas dignitates nemo alteri *quasi iure haereditario* derelinquat; (can. 8 et 9 facit canonem 4 concilii remensis eiusdem anni et papae.) in concil. remensi appendix, *de treuga dei seruanda*; huius concilii acta tam *Ordericus Vitalis*, quam *Hesso*, scholasticus, scripsit copiosius. *Concil. lateranense* 1 sub Calliſto 2, a. 1123; ordo canonum non est in mitis idem; pleraque satis nota; ne quis *Romipetas* aut in sacro itinere pergentes, capere aut spoliare audeat. *Honorii* 2 epistolae; 2. ad *Tyrios*; *Wilhelmum* tyrium pallio donasse se scribit. 4, ad Regem *Daniae*, (iuxta precum tuarum instantiam) mittit Legatum — Capitula *concilii londinensis*, (quod romanus Legatus *ordinatione* et *commuentia* cantuar. aepi

habuit

habuit a. 1125.) pleraque iam in aliis conciliis exstant. c. 8 nemo ordinetur *nisi ad certum titulum* —; similiter canones concilii *londinensis* a. 1127 non sunt noui. — c. 10, decimas, sicut dei summi *dominicas*, ex integro reddi — 12. abbatissa aut sanctimonialis non vtatur carioribus *indumentis*, quam *agninis* vel *cattinis*. (de meliori vestitu earum, quae cum S. *Hildigardi* viuebant, leg. Epistola 55 et 56, tomo 2 amplissf. collectionis Martenii p. 1079 seqq.)

Concilium *Trecense* a. 1128, quo *Templariis* militibus, anno institutae religionis nono, *vna cum Regula* assignatus est habitus albus. Edidit *Harduin.* p. 1132 ex bibliotheca s. *Victoris*, parisiensis. Satis grauiter describuntur hi milites: horum vnitati, quos dominus *ex massa perditionis elegit*, et ad defensionem s. ecclesiae, (quae amplas ditiones et regna, vt facile credimus, possidere et armis acquirere iussa est;) composuit; vos sociandos perenniter festinetis. — misit saluator noster Iesus amicos suos (titulus; regula pauperum *commilitonum* Christi, templique Salomonici,) a ciuitate sancta in continuum Franciae et Burgundiae, — qui non cessant animas suas hostiam deo placentem offerre — nos igitur — precibus *magistri Hugonis*, in quo praedicta militia sumsit exordium, ex diuersis vltramarinae (sic lego) prouinciae mansionibus in solennitate S. Hilarii a. 1128 conuenientes, *modum et obseruantiam equestris ordinis* per singula capita, ex ore Hugonis, audire meruimus — ego Ioannes Michaelensis, praesentis paginae humilis scriba, iussu concilii ac venerabilis *abbatis* claraeuallensis, *(Bernhardi) cui creditum ac debitum* hoc erat. Praesens fuit legatus rom. eccles. — illiterati autem, comes — intentissima cura, quod erat optimum, scrutantes, *quod* eis videbatur *absurdum*, *temperantes* — placuit itaque, vt consilium diligenter examinatum, tamen cum prouidentia *papae romanorum* ac patriarchae Hierosol. nec non assensu capituli *pauperum commilitonum templi*, quod est in Ierusalem, scripto commendaretur. 1. qualiter diuinum officium audiant. 2. quot oratio-

nes.

nes dominicas dicant, si dei seruitium audire nequiuerint, si quis frater *negotio orientalis christianitatis* (postea et ad *Saracenos* in Hispaniam ibant,) — pro *matutinis*, 13, pro singulis horis, 7. pro *vesperis*, nouem — 3. pro fratribus defunctis iubemus missam offerre; astantes autem et pernoctantes, 100 orationes dominicas vsque ad septimum diem. 7. ne porro immoderata statione officium audiant — omnes tunc sedeant. — nullus immoderatam abstinentiam amplectatur — vestimentum album, (signo castitatis) nec longum nec curtum nimis. Famuli et armigeri non habeant *alba* vestimenta; surrexerunt namque in *vltramontanis partibus* quidam pseudofratres, coniugati, et alii, dicentes, se esse de templo, cum sint de mundo; hi tantas contumelias et tot damna ordini acquisiuerunt — habeant igitur assidue *nigra*, aut qualia inueniri possunt: milites pellibus tantum agnorum vel arietum vtantur; *capillos* ita tonsos habere oportet, vt regulariter ante et retro considerare possint; *de rostris et laqueis* manifestum est, esse gentilitium; igitur prohibemus. Vnicuique militum 3 equos licet habere; nec enim paupertas templi eximia amplius permittit augere; ex eadem causa *vnum armigerum* militibus singulis damus; milites, qui *ad terminum* manent, et repatriare volunt, medietatem pretii pro equo &c. tantum recipiunt. Magistro, quasi diuinitus imperetur, obsequendum; nolumus aurum vel argentum in *frenis*, *pectoralibus*, calcaribus, aut streuis. Tegimen in clypeis, hastis, et furelli in lanceis, non habeatur. Nemo epistolas a parentibus accipiat, aut ad eos scribat, sine venia magistri; nullus frater praesumat facere manducaria equorum linea vel lanea. c. 51. diuina, vt credimus, prouidentia a vobis in sanctis locis sumsit exordium *hoc genus nouum religionis, vt religioni militiam admisceretis, et sic religio per militiam armata procedat* — Iure igitur iudicamus, vos ipsos domum, terram et homines habere, et agricolas possidere. 55. *fratres coniugatos* hoc modo habere vobis permittimus, vt, si fraternitatis vestrae beneficium petunt,

vter-

vterque ſuae ſubſtantiae portionem — *vnitati communis capituli* poſt mortem concedant — veſte tamen *candida* et chlamyde *alba* non incedant. *Sorores* amplius non habeantur. 58, qualiter *milites ſeculares* recipiantur. 61. agnouimus *complures ex diuerſis prouinciis*, tam clientes, quam armigeros, *pro animarum ſalute* animo feruente, *ad terminum* (aliquem) cupientes ſe in domo noſtra mancipare; hos igitur recipiatis — pueri, quamdiu ſunt parui, non accipiantur inter fratres templi. — vt decimas habeant milites templi — vt omnium mulierum fugiant oſcula — De *templariis* ſuo loco plura colligentur vid. et p. 112; hic id obſeruamus, diligentiſſime per romanos pontifices hanc nouam ipſorum militiam per prouincias Europae omnes commendatam fuiſſe; *noui* enim, ſub gratia, ſeu N. T. *Maccabaei*, (vt *Alexander* eos collaudat, in *Regiſtro* epiſtolarum apud *Martenium*, in collectione Ampliſſima tomo 1 epiſtola 16) non poterant inſigni commendatione carere. Atque, vt ceteros ordines monachorum, ita et hunc militarem ex vna parte, auctorum promotorumque ſollertia et *aſtutia*, ex altera parte ciuium partim cupiditas partim ſuperſtitio ſacra eximia, ſic adiuuit, vt paulo poſt etiam *Epiſcoporum* per *Germaniam* et omnem Europam p. 112 fraternitatem et contubernia feliciter amberint, quae res non parum contulit ad augendas ſacrae militiae opes atque diuitias.

Calliſti epiſtola 8 ad *Ottonem* bambergenſem: de vnoquoque manſorum *denarius vnus* annis ſingulis, bambergenſi eccleſiae conferatur, *pro anima* Henrici imper. ad concinnanda luminaria. Concil. *toloſanum* a. 1129, (*inquiſitionis* iam initia,) a legato apoſtolico celebratum. c. 1. in ſingulis parochiis *ſacerdos vnus*, *et duo vel tres* bonae opinionis *laici*, vel plures, conſtringantur ſacramento, qui diligenter inquirant *haereticos;* domos ſingulas et *cameras ſubterraneas* aliqua ſuſpicione notabiles perſcrutando, ſeu quaecunque latibula. 2. de poena eius, qui in terra ſua permiſerit morari haereticum; ſiue propter pecuniam, ſiue aliam cauſſam. 4. *domus*, in qua inuen-

tus fuerit haereticus, *diruatur*, et fundus confiscetur. c. 7. vt quilibet *in terra alterius* possit inquirere haereticos; baiulus regis in terra comitis tolosani, et contra. 8. haeretici, qui sponte ad fidem reuertuntur, in alia villa catholica collocentur; duas cruces altius praeeminentes portent, alterius coloris, quam sint vestes eorum, vnam a dextris, alteram a sinistris, in detestatione veteris erroris. 9. alii, qui timore vel alia ex causa conuersi sunt, in muro ad poenitentiam includantur — 10. vniuersi catholici, mares a 14 anno, feminae a 12 abiurent omnem *haeresin* extollentem se aduersus *sanctam et catholicam romanam* ecclesiam; iurent, quod fidem, quam romana tenet ecclesia et praecipit, seruabunt, et haereticos persequentur. Hoc iuramentum singulis bienniis renouetur. 11. singuli ter in anno proprio sacerdoti confessionem peccatorum faciant; confessio communionem praecedat. Si quis abstinuerit a confessione, suspectus de haeresi habeatur. 12. *prohibemus etiam, ne laici libros veteris testam.* aut noui *permittantur habere*, nisi forte psalterium, vel breuiarium — sed ne hos libros habeant *in vulgari translatos*, arctissime prohibemus. 13. de haeresi suspecti, *officio medici de cetero non vtantur.* 16. vt parochiani, dominus et domina cuiuslibet domus, dominicis et festis diebus ad ecclesiam veniant; aliter 12 denarios turonenses soluere quilibet tenetur. 17. *dies festiuos* dicimus, sicut in *canone* continentur — *Innocentii* 2 epistolae plures ad orientales episcopos quosdam, de variis litibus inter eos agitatis. 13. ad *Adalberonem* Hamburg. acpum, vt omnes episcopi *Daniae, Suediae, Norwegiae, Farriae, Gronlandiae, Halfingaldiae, Islandiae, Scridefingiae* et *Slauorum*, huic sedi subiecti sint, a. 1133. 31 ad cluniac. abbatem, confirmat donationem C Marcarum, a rege Henrico in Anglia cluniaco adsignatarum; LX in telonio londinensi, 40 in telonio *lincolnienſi;* postea *manerium* aliquod, loco C marcarum, adsignatnm fuit. Ad Conradum aep. Salzburg. de *ratisbonenſi* epo Henrico, qui litteras papae per

abba-

abbatem S. Emmerammi miſſas parui pendit, accipere noluit, et latorem contumeliis affecit; — concil. *remenſe* a. 1131. c. 6. praua conſuetudo et deteſtabilis inualuit, quod *monachi* et regulares *canonici*, poſt acceptum habitum *leges temporales* et *medicinam*, gratia lucri temporalis addiſcunt. c. XI quibus diebus *treuga dei* cuſtodienda 12. deteſtabiles illas *nundinas* vel ferias, in quibus *milites* ex condicto conuenire ſolent, et *ad oſtentationem virium ſuarum congrediuntur* — ſi quis ſic moriatur, careat eccleſ. ſepultura. Concil. *Londinenſe* a. 1138. c. 15 prohibemus ſanctimoniales vti variis, griſiis, ſabellinis, marterinis, hereminis, beuerinis pellibus, et annulis aureis, ſeu torturam et compoſitionem capillorum facere. 17 ne magiſtri *ſcholas ſuas* aliis locent legendas pro pretio. *Lateranenſe* generale 2. a. 1139. pleraque iam nota, vt in concilio *remenſi* a. 1131. c. 7. clerici et monachi, qui vxores ſibi copulare praeſumſerint, dirimantur. canon 23, qui religioſitatis ſpeciem ſimulantes &c. iam adfuit in toloſano concilio a. 1119. c. 3. (antea p. 94.) In actis autem huius lateran. concilii, in chronico Mauriniacenſi, apud Harduinum pag. 1213 Innocentius ille 2 ſic loquitur: noſtis, quia *Roma* caput eſt mundi, et quod *a romani* pontificis licentia eccleſiaſtici honoris celſitudo, *quaſi feodalis iuris conſuetudine* ſuſcipitur &c. (intelligimus ſane, papas imitari ſolitos imperatorem et regem, quaſi papa ſanctus et eccleſiaſticus ſit rex) — *Auguſtini* verba: quisquis a catholica eccleſia fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe viuere exiſtimet, *hoc ſolo ſcelere*, non habet vitam in ſe, ſed ira dei manet ſuper eum. — quicunque igitur per antipapam ad altaris officium acceſſerunt, eis interdicimus apoſtolica auctoritate — his dictis, omnes reos nominibus exprimens, *paſtorales baculos violenter* de manu arripuit, et pontificalia pallia de humeris verecundoſe abſtraxit — ipſos quoque annulos — ſine reſpectu miſericordiae abſtulit — Legatus autem papae omnem Galliam et Aquitaniam circumiens omnia *altaria*, quae Girardus ille, vel

Gilo, aut eorum complices chrismalis vnctionis benedictione in illius odioſi ſchiſmatis tempore conſecrauerant, *propriis manibus diſſipauit*, *non relinquens lapidem ſuper lapidem* — In hoc eodem concilio *Arnoldo*, brixienſi, qui *Petri Abaelardi* fuit diſcipulus, papa ſilentium impoſuit; is in clerum et monachos vehementer inuehi ſolebat; ex Italia igitur *Turegum* conceſſit; multis verſibus *Guntherus* huius temporis poeta *Arnoldum* proſcindit. In Anglia concilium *Wintonienſe*, poſtquam rex *Stephanus* epiſcopis noua caſtella ademerat; quod alii laudabant, epiſcopos enim Euangeliſtas pacis eſſe debere, non architectos domorum, quae auctoribus forent refugium maleficii. Concilium, regis frater, *Henricus* Wintonienſis coegit, regis cum venia; nec rex epiſcopis ceſſit, adiutus etiam epi rothomagenſis ſapientia; copioſe deſcribit *Wilhelmus* malmesbur. Inter *Eugenii* 3 epiſtolas multae ſunt, ad abbatem S. *Dionyſii Sugerium*, ex quibus patet, quanti hominem papa fecerit; e. c. ep. 32 de *orientali eccleſia*. *Monachis* augendis hic papa praecipue ſtuduit; ep. 33, *compendienſes* canonici eiecti (adde Alexand. 3. ep. 7 in Regiſtro, *collect.* ampliſſ. tomo 2. p. 642) monachi etiam in *Heidenheim* reſtituti, in dioeceſi Eyſtettenſi, contra aepum Moguntinum; ep. 61. Ex epiſtola 68 patet, *appellationem* ad papam a remenſi aepo nihili factam, nec *interdictum* obſeruatum. Ep. 71 continetur confirmatio *Ciſtertienſium;* de iis lubet rem ſingularem hic deſcribere ex *Helmoldi* chronica cap. 90. (91.) de ſchiſmate inter *Alexandrum* et Victorem: Alexandrum recepit — inſuper *ciſtertienſis ordo* eidem vniuerſus acceſſerat, in quo ſunt Aepi, et eppi quam plures, et *abbates amplius quam ſeptingenti*, et monachorum inaeſtimabilis numerus. *Hi ſingulis annis celebrant* concilium apud *Ciſtertium*, et decernunt ea, quae vtilia ſunt. Horum inuincibilis ſententia maximas vires addidit Alexandro. Quamobrem iratus Caeſar, propoſuit *edictum:* vt omnes monachi ciſtercienſis ordinis, qui conſiſtebant in regno ſuo, aut Victori

ſub-

subscriberent, aut regno pellerentur. Itaque difficile relatu est, quot patres, quanti greges monachorum, relictis sedibus suis transfugerint in *Franciam*. Huc pertinet epistola *Alexandri* 75 in Registro, in *amplissima* collect. tomo 2. Sequuntur *Eugenii* plures epistolae pro *toletano* primatu. In *remensi concilio* a. 1148 per Eugenium 3, damnatae fuerunt assertiones *Gilberti Porretani; canones* noui nulli, sed plerique iam alibi editi. c. 18 nemo haeresiarchas aut eorum sequaces, qui in partibus *Guasconiae* aut *Prouinciae* vel alibi commorantur, defendat — In hoc concilio et *stolidus* ille *Eudo* examini subiectus fuit; homo haud dubie fanaticus et mentis minus compos, *haeretici nomine non dignus*, vt recte iudicauit iam *Otto* Frising. in *Friderico* lib. 1. c. 55. itaque et ipse sine poena perpetuo carceri addictus. Sed mirari vix satis licet, hominum aliorum tam atroces opiniones locum inuenisse, ac describit *Wilhelmus*, neubrigensis; fuisse circa hunc *Eum* speciem multae gloriae et continuarum epularum; sed istos *cibos non solidos*, sed *aerios* fuisse; ex hac mensa daemoniaca si quis semel comedisset, eum statim sectae adhaesisse. Illud facile credimus, quod scribit Wilhelmus: *Eum* eiusque socios *ecclesiae*, *maxime monasteriis* infestum fuisse; itaque et discipuli hominis *igni traditi* fuerunt, quia sanam doctrinam recipere noluissent. Aepus Eboracensis *Wilhelmus* a. 1153 constituit: ne *quis laicus arbores vel herbas* in coemeterio crescentes, absque rectoris licentia prosternere seu falcare praesumat; ea enim, quae religiosis adhaerent, religiosa esse penitus censentur. *Canonicorum lateranensium instituta* confirmat papa Anastasius 4 (etiam reditum, qui *Glandaticum* dicitur, seu *herbaticum*, ex nostris porcis et pecoribus —) *missa*, non celebretur nisi 4 fratribus adsistentibus, etiam in priuatis diebus — Idem papa *Raymundum*, magistrum Xenodochii, et fratres S. Iohannis, Hierosolymitani, in tutelam recipit et priuilegiis ornat; — ad exemplar *Innocentii*, *Caelestini*, *Lucii*, *Eugenii* — receptores vestrarum *fraternitatum* seu *col-*

lectarum in Petri et noſtra protectione ſunt — licet vobis, *clericos et ſacerdotes*, habito tamen prius teſtimonio de eorum honeſtate et ordinatione — honores omnes ſeu *poſſeſſiones*, quas idem *Xenodochium* vltra ſeu citra mare, *in Aſia vel in Europa* habet aut habebit — confirmamus, a. 1154. Ob hoc priuilegium magna diſcordia orta eſt inter patriarcham Hieroſ. et Hoſpitalarios; is enim noluit eis iſtam libertatem a decimis &c. concedere; locum *Wilhelmi* Tyrii e libro 18 iam antea deſcripſimus. *Hadriani* 4 Epiſtolae; concedit *Henrico* 2, regi Angliae, vt *Hiberniam* occupet; promiſerat hic *de ſingulis domibus* annuam penſionem vnius *denarii*; pro S. Petro; a. 1155. Ad *Fridericum* imperatorem: queritur: quod diſſimulet et negligat, iniuriam *Lundonienſi aepo* factam, qui in *teutonicis* partibus per vim captus fuerat. vid. *Otto* de S. Blaſio c. 8. Paucis addimus, cum cardinalis adhuc hic eſſet, *Nicolaus*, anglicus, eum ab *Eugenio* a. 1148 in *Daniam* legatum miſſum, in *Norwegia* aepiſcopalem ſedem inſtituiſſe; atque in *Sueciam* profectum in concilio prouinciali *Lincopiae* idem egiſſe, vt *Gothos* et *Sueones* ſub vno aepo coniungeret; etſi enim iam ſub rege *Amundo*, filio Olai *Skotkonung*, ex *Polonia* aepum Suecia acceperat, tamen ob lites cum *bremenſi* aepo, cui *Gothi* maluerunt ſubeſſe, quam vpſalenſi aepo, iſta dignitas in Suecia per aliquod tempus defuit. Reliquit igitur hic Nicolaus *pallium* aepiſcopale apud Aeſchillum lundenſem, vt ei daretur, in quem Gothi et Sueci conuenirent. Iam plures epiſtolae ſequuntur, quae ad publicam litem, inter papam et imper. pertinent. ep. 28 ad abbatem Vizeliacenſem: peruenit ad nos, te *tabulam nummulariorum* (bancum) Simoni de Siluiniaco conceſſiſſe; iubet eam reſtituere monaſterio, quia ſit contra priuilegiorum tenorem. 36 ſeqq. de patriarchatu *Gradenſi*, cui competit primatus ſuper *Iadertinum* aepum. Eidem Henrico patriarchae ep. 39 concedit, vt in *Cpolitana vrbe*, et aliis ciuitatibus ſub iſto imperio, in quibus *Veneti* habent plures eccleſias, liceat epum ordi-

nare;

nare; hoc addendum iis, quae de *Venetorum* ecclesia leguntur lib. 4 Cpoleos christianae pag. 119 ed. paris. Sequuntur *Alexandri* 3 Epistolae; (Registrum Epistolarum, quae ad metropolin remensem, sub aepo Henrico pertinent, edidit *Martene* collect. amplissi. tomo 2) multae ad *Thomam*, cantuar. aepum et alios eppos, ne regi aliquid concedatur contra libertatem eccles. Epistola 21 est ad *Soldanum Iconii*, quem papa in fide instruit, quippe baptizari cupientem: *Ex litteris tuis* cognouimus, quod in votis habeas, ad Christum conuerti; cumque iam receperis *Pentateuchum*, prophetiam *Iesaiae* et *Ieremiae*, *Pauli* etiam epistolas, Ioannis et Matthaei euangelium, postulas mitti virum aliquem orthodoxum — tanto elegantius habet fides meritum, *quanto difficilior est ad credendum*, (haec sententia est *Tertulliani*, satis inepta, et vel *talmudicis* narrationibus conueniens;) *Trinitas* — vide mentem hominis, est intelligentia, memoria, voluntas; in corpore solis radius, calor, splendor, *tria* vnius essentiae — *pluralitas:* Genes. 1, *faciamus* hominem, imaginem *nostram;* pater ad filium et spiritum s. loquitur. — *figura incarnationis*, vellus Gideon; ignis in rubo, virga Aaron — Fons olei de terra fluxit in Tiberim; templum Romae concidit; *probatica piscina* sanitates tunc conferre coepit — cum homo captus a diabolo teneretur, *postulabat iustitia*, vt non eriperetur per violentiam — iustorum animae — omnes ad inferos descendebant; decebat, vt deus memor suae imaginis — de animabus electis *iacturam casus angelici repararet* — diabolus *iuste ac iudicialiter* dominium in homines amisit, quia in dominum suum per ministros suos manus iniecit violentas — *Maria* — hinc *migrauit sine corruptione* — Memoria digna est haec papae institutio ad christianismum, quae retinet pleraque satis tenuia opinandi rudimenta. Epistola 49 ad Hugonem (scil. *Etherianum*, qui Cpoli viuebat, *Emmanueli* imperatori satis carus, qui librum scripserat aduersus Graecos pro Latinis de processione Spiritus s.) gratias agit,

pro libro isto, et hortatur eum, vt Imperatorem adducat ad deuotionem romanae ecclesiae exhibendam, et vnitatem, vt fiat (papa) vnus pastor. Sequitur *appendix* 1. continens 56 epistolas ad abbatem S. Remigii et alios, editus a *Sirmondo* post *Petri* cellensis epistolas; potestas papae magna inde cognoscitur. Epistola 9 ad epum upsalensem et suffraganeos eius tam in *Suetia* quam in *Gothia* constitutos, vt abusus varii tollantur. Initium: constituti a domino *super gentes et regna* &c. Discimus autem ex hac epistola, *laicos*, i. terrae dominos, ecclesias contuliſſe; clericos subiisse iudicia laicorum, etiam eppos ipsos, qui *vel ad ferri igniti examen* prouocabantur, vel ad aliquod aeque prohibitum; affert *Stephani* 5 et Nicolai prohibitionem. Ep. 20, ad vniuersos fideles per *Daciam*, vt adiuuent *Fulconem*, epum *Estonum*, qui ad *conuertendam illam gentem* sui episcopatus, multum laborat; qui adiuuerint eius inopiam, per haec et alia bona *peccatorum veniam* consequentur. De hoc *Fulcone* plura in *Sirmondi* editione epistolarum *Petri* cellensis. Ep. 21, ad reges, principes et fideles, per regna *Danorum*, *Norwegensium*, *Guetomorum* et *Gothorum*, vt aduersus *Estones* paganos fortiter et potenter dimicent; iis indulgentiae eaedem dantur, ac his, qui sepulcrum domini visitant. Ep. 22. Ad *Vpsalensem* aepum et suffraganeos; mulieres, quae prolis suae interitum procurant; incestuosos — *ad sedem apostolicam* compellatis venire; qui liberos suos dormiendo, casu, suffocant. — Quidam sacerdotes cum *ficca faece vini* vel *cum micis panis vino intinctis*, missam celebrant; laici, *sine sacerdotali benedictione* et Missa matrimonia contrahunt. Epistolae, ad *Lincopensem* epum; ad *Stranensem*; 25 ad *Vpsalensem* aepum et ducem *Guthermum: Finni* semper, imminente exercitu inimicorum, *Christiani fieri* promittunt, et praedicatores requirunt; sed recedente exercitu, fidem abnegant. Itaque iis nulla auxilia praestanda, *nisi munitiones* vobis assignent, aut aliam securitatem, vt iam cogantur fidem tenere christianam. 26. ad *Trundensem* aepisco-

piſcopum, et A. *Stauengarenſem* epum: vt *Nicolaum* monachum, qui eſt de gente illa, *Fulconi* adiungant, qui ad *conuertendam Eſtonum* gentem miniſterium praedicationis aſſumit. Iſtae Epiſtolae capiti ſecundo addendae, de *propagatione* religionis publicae; *Alexandri* has litteras pauci recentiorum ſcriptorum in conſilium adhibuerunt. *Appendix altera* eſt e Tomo IV corporis Francici *Ducheſniani*. Ep. 109 ad *Ludouicum* 7, regem Francorum, (huic maxime placere papa ſtudebat, vt eum imperatori opponere poſſet,) cui *roſam auream* mittit, addita explicatione huius doni. *Roſam auream* etiam regi Hiſpaniae miſerat *Eugenius* 3, epiſtola 74, indicium bonae voluntatis et gratiae papalis. *Appendix tertia;* pleraeque epiſtolae agunt de ſchiſmatica cauſſa. Ep. 20, ad Magiſtrum *militiae ſancti Iacobi* in Hiſpania; approbat fratrum inſtitutum. — nobiles quidam viri, peccatorum vinculis irretiti — ſuper transgreſſionibus ſuis dolentes, non ſolum poſſeſſiones terrenas ſed et corpora ſua ſtare pro domino decreuerunt, et *ad exemplum Chriſti*, qui ait, *non veni facere voluntatem meam* &c. ſub vnius magiſtri obedientia commorari — vt habeantur in *ipſorum ordine*, qui caelibem ducunt vitam — ſint etiam, qui coniugibus ſuis vtantur — Tu igitur, fratrum magiſter, (*Petrus Ferdinandus*) ad nos accedens, petiiſti, vt vos, tamquam peculiares filios in defenſionem noſtram, et locum, in quo caput ordinis factum ſit, in ius et proprietatem rom. eccleſiae reciperemus. — in die omnium ſanctorum *generale capitulum tenetur*, et eſt ibi clericorum conuentus, et prior, qui clericorum, qui de ordine veſtro fuerint, curam poſſit habere, ac fratrum prouideat animabus. Sint autem 13 in ordine fratres, qui magiſtro in conſilio et diſpoſitione domus aſſiſtant; per eosdem fit electio magiſtri, cum *Prioris* conſilio — eligantur et viſitatores, qui domos fratrum viſitent quotannis; clerici veſtri ordinis per villas et oppida ſimul maneant, *Priori* obediant, et filios fratrum inſtruant ſcientia litterarum — ad indicium autem huius a ſede no-

ſtra acceptae liberalitatis, *decem malachinos* nobis quotannis perſoluetis; a. 1175. Concil. *oxonienſe* a. 1160. narrat *Guil. Neubrigenſis*, lib. 2. c. 13, aduerſus *publicanos*, ſeu *Waldenſes*, quorum dogma per *Gerardum* et alios *Teutones* in Angliam fuit illatum. Erant tam viri quam feminae paulo amplius, quam XXX, idiotae, nationis et linguae teutonicae; duce quodam *Gerardo*, qui fuit aliquantulum litteratus; — *ſacrum baptiſma, euchariſtiam*, coniugium deteſtantes, atque vnitati catholicae derogantes; minas deriſerunt, abuſi eo, beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam &c. itaque epiſcopi eos, publice pronuntiatos haereticos, catholico principi tradiderunt, qui praecepit, *haereticae infamiae* characterem frontibus inuri, et ſpectante populo virgis coercitos vrbe expelli — laeti ad poenam ducebantur, cantantes, beati eritis, cum vos oderint homines. *Gerardus* inuſtionem geminam ſuſtinuit, *in fronte et circa mentum* — algoris intolerantia, (hiems erat, et publice vetitum, ne quis eos hoſpitio exciperet) miſere interierunt, *nemine vel exiguum miſericordiae impendente.* Haec *Guillelmus*; ſatis turpiter et atrociter! Concil. *turonenſe* a. 1163. c. 4 in partibus *Toloſae* damnanda haereſis dudum emerſit, more cancri ſe diffundens, per *Guaſconiam* et alias prouincias, *quam plurimos iam infecit.* — cum eis nullum commercium habeatur, nec in venditione nec emtione, vt *ſolatio humanitatis amiſſo* ab errore reſipiſcere compellantur. 8. vt religioſi *ſecularia ſtudia* vitent. — diabolus regulares quosdam *ad legendas leges* et *confectiones phyſicas* ponderandas e clauſtris educit — In Miſto alio adduntur canones nouem alii; e quibus tertius: ſi qui clerici fratribus *hoſpitalibus* ſeruire decreuerint, non impediantur, nec interim ſua beneficia amittant — 5. nec monachi nec laici eccleſiam *ad firmam* (*annuam* vt alibi additur,) teneant. Sequuntur plura concilia *contra papam* et eccleſiaſticam nimiam poteſtatem, in Anglia, Germania &c. quae ſolent a romanis *conciliabula* vocari. *Concilium caſſilienſe* in Hibernia,

per

per legatum romanum; recenſentur hic 4 aepiſcopi et 28 epiſcopi per Hiberniam; nominantur 5 reges et alii potentes de Hibernia. *Sub metu mortis* infantes baptizentur etiam ab aliis, non clericis; infantes *ante fores* eccleſiae *catechizentur* — vt omnes fideles faciant *teſtamentum*; res ſuas in 3 partes diuidant; 1. liberis. 2. vxori legitimae. 3. propriis exſequiis relinquentes. Omnia diuina ad *ritum anglicanum fiant.* In concilio abrincatenſi a. 1172 decreta 2 cardinalium; 13, de nouis libris excommunicatorum, de rebus morientium, quas auferunt ſacerdotes, benedictionibus ſponſarum, baptiſmo, et 48 libris, *quae pro abſolutione excommunicatorum exiguntur*, nihil perfectum eſt; quia epiſcopi Northmanniae illud decretum recipere noluerunt. Concil. *londinenſe* a. 1175, canones 19. c. 13 vt decimae ex integro ſoluantur; quia *multi inueniuntur*, *decimas dare nolentes*, admoneantur ſemel, bis, ter, de grano, vino, fructibus arborum, fetibus animalium, lana, agnis, butyro, et caſeo, de lino, canabe et reliquis, quae annuatim renouantur; aliter anathemati ſubiicientur. 17 ne euchariſtia conſecretur, niſi in calice aureo, argenteo; *ſtanneum* calicem epiſcopus ne a modo benedicat. In concilio northamptonenſi a. 1176, negarunt Epi *Scotiae* ſe ſubeſſe anglicanae eccleſiae. Concil. *lumbarienſe* in Gallia a. 1175 aduerſus *haereticos*, qui *boni homines* dicebantur, ex Mſto *Sirmondi.* Rogauit *bonos* homines epus, an recipiant *Moſen*, prophetas, pſalmos, vetus teſtam. et noui teſtamenti doctores? Negarunt; tantum *euangelia*, epiſtolas *Pauli*, *Actus*, *Apocalypſin.* *Corpus et Sanguinem* domini, qui indigne ſumunt, acquirit ſibi damnationem; poteſt ab omni bono clerico et laico conſecrari. De fide ſua; et de baptiſmo paruulorum? reſpondebant, quod non debebant cogi reſpondere de fide ſua — Infirmis ſufficere, ſi *confiterentur* cui vellent; Iacobum non loqui, niſi de infirmantibus; nec *ſatisfactionem* apoſtolus requiſiuit, (in ieiuniis, eleemoſynis,) et quod non volebant meliores eſſe apoſtolo, vt aliquid adiungerent, ſicut epiſcopi.

ſcopi. — Si tales non *ordinantur*, quales Paulus deſcribit, ſunt lupi rapaces, hypocritae, volentes vocari rabbi, geſtantes annulos aureos gemmatos, quod non praecipit magiſter eorum Ieſus; epiſcopi et presbyteri ſunt tales, quales fuerunt presbyteri, qui tradiderunt Ieſum; — receperunt igitur ſententiam diffinitiuam: iudico iſtos haereticos eſſe; et damno ſectam *Oliuerii* et ſociorum eius, et qui tenent ſectam haereticorum de Lumbers, vbicunque ſint. Qui legem non recipit, nec dominum Ieſum Chriſtum credit; (affert, Ioh. 5, ſi Moyſi crederetis &c. quae Chriſtus *ad Iudaeos* dicit, quod iſti homines diſtinguebant;) confeſſi ſunt iſti haeretici, ſe recipere Moſen, prophetas et Pſalmos, in his tantum teſtimoniis, quae inducuntur a Ieſu et Apoſtolis; et non in aliis. — Eſt fraus, (quod nolunt de fide ſua rationem reddere) in tacendo et in dicendo; vnde *Paulus confidenter in faciem reſtitit Petro*, quia circumcidebat. In tertio capitulo damnamus eos; aliter Chriſtus non eſſet pro omnibus crucifixus, ſi tantum ſaluarentur (nempe hoc ſtato ordine) maiores, infantes vero non ſaluarentur, qui nullum peccatum forte fecerunt, ſed tantum originale contraxerunt. — ſi autem quaeratur, *cuius fide* ſaluantur infantes, cum ipſi fidem non habeant: dicimus, quia fide eccleſiae vel patrinorum. 4 eos conuincimus: quia corpus Chriſti non conſecratur niſi per ſacerdotes, ſiue bonos ſiue malos; — vt ſolis radius tranſiens per cloacas maculam non contrahit, vel aqua pura per canales luteos — 5. nolunt confiteri quod vir et mulier poſſint ſaluari, ſi carnaliter miſceantur — laudant fecunditatem pecudum, et damnant fecunditatem hominum — vt innumerabilis ſubſtantiae *rarus inueniatur dominus* (hoc ad clericorum caelibatum melius refertur,) 6 — *ſtare* debet quis, cum euangelium adnuntiat; — ſi tunc *ſtamus*, cum legitur, multo magis, cum exponitur — Reſponderunt haeretici, quod epus hic ipſe erat haereticus, lupus, et quod parati eſſent, oſtendere per euangelia et epiſtolas, quod et ipſe et ceteri epi vel presbyteri erant *mercena-*

cenarii — respondet epus, quod paratus sit suam sententiam probare in curia domini Alexandri, et in curia *Ludouici* regis, et in curia *Raymundi*, comitis tolosani, vel *vxoris* eius, *quae erat praesens.* Concil. *lateranense*, *tertium* generale, a. 1179. can. 27. c. 4. nimii sumtus qui in visitationibus solebant perire, circumscribuntur; aepiscopi, 40, 50 euectionis numerum non excedant; cardinales, 25, episcopi, 20, 30, archidiaconi 5, 7, si sunt ecclesiae ampliores reditus. 8, nulla ecclesiastica beneficia *promittantur*, antequam vacent. 9. *fratres templi et hospitales* — indulta priuilegia excedunt, contra episcoporum auctoritatem — munire cunctos intendunt, qui *ad eorum fraternitatem* volunt accedere — 11. ne clerici focarias habeant; — qui incontinentia illa deprehenduntur laborare, *quae contra naturam est* — 14 in tantum processit quorumdam ambitio, vt non duas, vel tres, *sed sex aut plures ecclesias* perhibeantur habere — 18 per omnem cathedralem ecclesiam, magistro, qui clericos et scholares pauperes gratis doceat, aliquod competens beneficium adsignetur. 20. Vestigiis *Innocentii* 2 et Eugenii inhaerentes, detestabiles illas *nundinas* siue *ferias*, quas *torneamenta* vocant — prohibemus. 23. *leprosi* habeant priuatam ecclesiam et suum coemiterium. 24. ne christiani *Saracenis* arma, ferrum, lignamina galearum deferant — nec in galeis et piraticis illorum nauibus regimen exerceant — nec christianos naufragia patientes spoliare praesumant. 25. in omnibus fere locis tantum *vsurarum* ita exoleuit, vt multi aliis negotiis praetermissis — 26 Iudaei et Saraceni ex nulla caussa permittantur habere christiana mancipia in suis domibus. — si qui ad fidem se *conuerterint* christianam, a possessionibus suis nequaquam excludantur — 27. de *Haereticis* — vt saepe quaerant homines salutare remedium, dum super se metuunt venire supplicium. Ea propter, quia in *Gasconia*, *Albigesio* et partibus *tolosanis* ita haereticorum, quos vocant *catharos*, *paterinos*, *publicanos*, inualuit peruersitas, vt suum errorem publice ma-

manifeſtent; prohibemus, ne quis eos in terra ſua aut domibus fouere vel negotiationem cum eis exercere praeſumat — De *Brabantionibus*, *Aragonenſibus*, *Nauariis* Baſcolis (Baſchis, alii,) *Coterellis* et *Triauerdinis*, qui more paganorum omnia perdunt, ſtatuimus: vt qui eos conduxerint, vel tenuerint, publice excommunicentur, eadem ſententia et poena cum praedictis *haereticis* adſtricti — ipſis autem cunctisque fidelibus, *in remiſſionem peccatorum* iniungimus, vt contra eos populum chriſtianum armis tueantur — Papa hic *cruciatam* iubet aduerſus hoc hominum genus, qui *Aſſaſſinorum* more arma venalia gerebant; notat *Baronius* iam in *Petri* cluniac. lib. 6 ep. 27 occurrere de his peſtibus, qua rogat Eberhardum, Magiſtrum Templariorum, vt per *Templarios* iſtos latrones coerceat; *Rogerius* autem a *Baronio* ad a. 1196 allatus ſcribit: regem Anglorum ſubnixum *apoſtaticis* (i. qui deſierint chriſtiani eſſe) *Brabancenorum* cohortibus in Franciam irruiſſe. In hoc eodem concilio *Nectarius* abbas, legatus graecus, fortiter Graecorum ſententiam defendit, quem ideo collaudat *Georgius*, corcyrae metropolita. De *Petri* Lombardi etiam, pariſini epi, ſententia: Chriſtus ſecundum quod eſt homo, non eſt aliquid, hic tractatum fuit; quam ſententiam *Alexander* epiſtola ad aepum Senonenſem (etiam ad remenſem, Harduin. p. 1851.) damnari iuſſit. *Binius* in notis, quas et *Harduin* repetiit, congeſſit, quae potuit de *Waldenſibus*, quorum originem quidam non inepti auctores ab a. 1170 repetunt; atque ad hoc fere tempus pertinere videntur, quae habet *Conradus* Vrspergenſis ad a. 1212: ex pauperibus de *Lugduno* quidam a papa ſuum inſtitutum volebant confirmari; ſed ob quaedam ſuperſtitioſa, papa illorum loco *pauperes minores* confirmauit — apoſtolicae ſedi in omnibus obedientes — *Praedicatores* vero, in locum *Humiliatorum* ſucceſſiſſe creduntur, quia *Humiliati*, ſine licentia praelatorum populis praedicabant, et miniſteriis ſacerdotum derogabant. — *Appendix* ad lateran. concilium, quia in codice ipſius con-

concilii, praetereà multa alia, eodem prope charactere, scripta fuerunt; *pars quasi secunda* concilii; de *simonia*, capita 18. De Dolo et contumacia et calumnia, alterius partium punienda, c. 5. de decimis praestandis, c. 4. de coniugatis et sponsis, monasterium ingredientibus, c. 10. de sponsalibus et matrimoniis, contracto, siue contrahendo c. 33. de potestate iudicum delegatorum &c. Facile enim hinc intelligitur, ista in hoc seculum non praecipue pertinere. Quaedam ex iis excerpimus. Pag. 1866 *Lucius* 3 ad Magistrum et fratres *Militiae S. Iacobi:* sumite intrepide Christi mysteria etiam ab iis, qui concubinas habere creduntur. Ex Alexandri 3 registro; pag. 1859, quemdam presbyterum cum alterius coniuge in ecclesia frequenter dormiuisse — ecclesiam *per adsperſionem aquae sanctificandae* reconciliabis. Pag. 1855, puer quidam, nondum incipiens esse 14 annorum, *timore magistri*, qui eum litteris erudiebat, habitum religionis susceptit; respondet papa — p. 1854 — dissimulare poteris, quod vxori suae cohabitet, (qui antea etiam cum eius sorore rem habuerat;) — clericus aliquis adeo deliquit, vt si publicum esset delictum eius, non posset ad superiores ordines promoueri — si promoueri desiderat, quia occultum est, non debes prohibere. Pag. 1836 eiusdem papae, vt episcopi populum moneant *collectas facere*, pro *templariis*, qui peregrinos ad sancta loca proficiscentes in eundo et redeundo a paganorum incursibus defendunt. — cum autem fratres templarii ad *collectam suscipiendam*, aduenerint in ciuitatem, villam, vicum, et locus forte interdictus sit: *pro templi honore* atque §. *militum reuerentia* semel in anno aperiantur ecclesiae. Aliae litterae, ad omnes episcopos: dilecti filii nostri *fratres Hospitalis* Hierosol. conquesti sunt, quod eos *eleemosynas quaerere* in vestris parochiis, aut confratres eorum sepelire, non permittatis — aliter et vestra priuilegia decurtabimus, cum nostris et ecclesiae romanae authenticis obuiare non timeatis. Ceterum non raro idem capitulum sub 2 titulis repetitum est, e. p. 1823 et

1851 de permutatione votorum; vnde in primo loco legendum est, *commutationis*, non vero *commigrationis*. Constat autem *titulis* L haec compilatio. Pag. 1790 nemo *Iudaeos* nolentes ad baptismum compellat; — nec eos in festiuitatibus suis perturbet fustibus aut lapidibus; nemo eorum *coemiterium* mutilare vel inuadere audeat, siue obtentu pecuniae corpora humana effodere p. 1791 non sine multa admiratione auditur, *quod Iudaei* parochias ecclesiarum *emtionis*, *conductionis* aut etiam *pignoris* titulo detinent occupatas — p. 1792 ad audientiam nostram peruenit, quod *Eremitae* de monte filiano quosdam *pueros infra* XIV annum seduxerint, quod ad ecclesiam illorum accesserunt; quos statim religionis habitum induerunt. Parte 18 titulo de clericis, *matrimonio* copulatis, aut *fornicarias* habentibus, multa notatu digna occurrunt — quia est barbarica gens, et sine effusione sanguinis non possunt a coniugio priuari, eos *sub dissimulatione* sustineas possidere beneficia ecclesiastica — (*Alexander* in Registro apud *Martene* ampliss. collectio tomo 2. pag. 794. *Canonici* S. Vrsmari et Antonienses — fornicarias in propriis domiciliis tenere praesumunt, et quidam eorum, sicut audiuimus, *matrimonia contraxerunt*; hi igitur cogendi sunt, vt eas dimittant —) Ista sufficiant de responsis paparum, in variis *casibus*, vt vocant; plura eius generis facile multa possent congeri, ex ampliss*i*ma *collectione* tomo 1. p. 834, quod simplex iuramentum de futuro non facit matrimonium; 840, abbatem et abbatissa, post monasticam professionem, non posse coniugium contrahere seqq. Ex hoc corpore liceat et ista hic notare; pag. 706, *Raymundi*, comitis barchin. et Prouinciae, votum, *quo se consecrat militiae templi*, in manu Hugonis *Rigaldi*; nempe miles militem poterat adsciscere in hanc fraternitatem. — offero me deo redemtori nostro, et S. *Mariae Templi Salomonis*, et trado me fratribus ibidem militantibus, — dono etiam castrum munitissimum in mea Marca, contra *Saracenos* — haec facio, vt deus, qui cum diues esset in omnibus,

nibus, pro me pauper factus eſt, *peccata et offenſiones meas dimittat;* p. 762 exſtant litterae abbatis S. Vedaſti, *de ſocietate cum militibus Templi*, ſimilia pacta occurrunt cum *Halberſtad.* aliisque *Germaniae* epiſcopis; vt per Germanorum liberalitatem diuitiae multae eis acceſſerint. *Arnoldus* lubec. in ſupplemento Helmoldi, pag. 634 in *Leibnitii* corpore rerum brunſuicenſium, narrat: ducem *Henricum templariis* et *Hoſpitalariis* dona et arma plurima dediſſe; *mille Marcas argenti*, ad comparanda *praedia*, quibus tirones teneantur tempore belli. Videtur et illud memoria dignum ex iſta *Martenii* collectione, pag. 881, quod comes *Bolonienſis* monaſterio *Branenſi* dedit decem millia *Haleciorum* ſingulis annis ad feſtum S. *Andreae* perſoluenda, a. 1171; quemadmodum tomo 3 theſauri anecdot. pag. 665: abbas S. Bertini roma rediens, praeſentauit litteras papae comiti *Flandriae;* itaque comes omnes *maritimos* conuocat, vt mandato papae pareant. Sed turba hoc audiens reſpondit, numquam auditum, quod *halecum decimae* ſoluerentur, et plus velle mori, et quod monachos prius trucidarent, quam eis decimas darent. Itaque hoc iam ſeculo oportet halecum maximam copiam per naues in varias prouincias illatam fuiſſe; antea p. de annua halecum piſcatione iam narratum fuit. Ex concilio *rotomagenſi* a. 1189 can. 25: ſunt quidam tam clerici quam laici, huiusmodi *ſocietatem ineuntes*, vt de cetero in quibuslibet negotiis mutuum ſibi praeſtent auxilium — quoniam *huiusmodi fraterias* circa perſonas vtriusque ordinis, canonica deteſtatur ſcriptura, eo quod earum obſeruantia quosdam vsque ad periurium perducat, prohibemus. Concil. *eboracenſe*, a. 1195. c. 2. (alibi 3.) *ſecretum Miſſae* frequenter inuenitur *ſcriptorum* falſitate, aut librorum vetuſtate corruptum, ita vt legi diſtincte non poſſit: archidiaconi prouideant, vt canon Miſſae ad verum et probatum exemplar corrigatur. — non niſi ſumma neceſſitate *diaconus corpus Chriſti* cuiquam eroget. Synod. *monspelienſis*: omnes haereticos, Aragonenſes, familias, quae *mai-*

natae dicuntur, piratas — excommunicamus. — omnes, qui *mainatas* receperint, defenderint, seu eis vendiderint, seu equos eorum ferrauerint. Constitutiones *synodicae*, Odonis, paris. epi; c. 1. describitur *modus habendae synodi* satis verbose. 3. de baptismo — in distinctione et prolatione verborum, *tota consistit* virtus sacramenti *et salus* puerorum; et in *romano* (latina lingua) doceant laicos baptizare, in necessitate; vt formam debitam *in romano* integro proferant; 4. de *sacramento confirmationis;* 5. de sacramento altaris. 6. capitula de confessione. 7. capitula circa matrimonium (omisso, *sacramenti* nomine.) 8. de sacramento extremae vnctionis. — Hic incipiunt communia praecepta synodalia; — 6. mortuae *in partu*, *scindantur*, si infans credatur viuere. 23. si quid ceciderit de sanguine domini super corporale, rescindendum est ipsum *corporale*, et in loco reliquiarum asseruandum — 37. prohibeant sacerdotes per excommunicationem, ne quis christianus retineat apud se *marchum vindemiarum*, quem *Iudaei* calcant aliquo modo; propter horribilem immunditiam, quam in contemtum sacramenti altaris faciunt; si quid remanserit, detur porcis. 38 ne *carnifices* (i. lanii, macellarii.) permittant Iudaeos laniare carnes suas, nisi totum detineant — 41. ne *permittant praedicare* aliquos ignotos siue illiteratos; 59. in crastino S. Trinitatis anniuersarium *omnium confratrum b. Mariae*, per totam parisiensem dioecesin, celebretur. 60, moneantur, *non Iudaeis praestare rotas*, secundum quod praeceptum est. Liceat admonere, mirum omnino esse, quod editores *thesauri noui anecdotorum*, qui Tomo 3 pag. 148 et 157 ediderunt *concilia incerti loci*, e MS. *corbeiensi*, ignorauerint, plerosque canones esse hos nostros *parisinos*; accesserunt quidam alii canones. c. g. c. 31. p. 161, extremam vnctionem *posse iterari* et saepe recipi; presbyteri habeant *manuale*, in quo continetur ordo extremae vnctionis, *catechismi* (fuit enim et hic pro clericis) et baptismi — 53, chrismalia baptizatorum et fasciae *confirma-*

firmatorum, crementur &c. Concil. *Senonense* a. 1198, aduersus *Haeresin populicanam.* Ex litteris *Innocentii* 3: ad villam, quae *Caritas* appellatur, plurimi dicebantur *professores haereseos* delitescere; de haeresi infamatus fuit, *decanus* niuernensis, *abbas* S. Martini niuernensis, hic etiam de adulterio. Concil. in regnis *Dalmatiae* et *Diocliae*, per legatos sedis apostolicae, a. 1199. c. 4 de *sigillo confessionis;* ne cui reueletur. 9. excommunicantur, qui *Latinos detinent in seruitute*, nisi restituant eos libertati, post receptam pecuniam suam. Concil. *Londinense* a. 1200. 1. vt verba diuii officii aperte et distincte dicantur, non ex festinatione syncopentur; pleraque cetera sunt e concil. lateranensi.

De Iudaeis.

Ex narrationibus, quae *Iudaeos* tangunt, non minus de statu publicae religionis licet colligere quaedam frugifera; itaque, praeter ea, quae paulo ante ex litteris paparum adfuerunt, pauca ista adiimus. In historia *treuirensi* tom. 2 *Dacherii* edit. fol. pag. 222, narratur de aepo *Brunone*, qui habuit inter medicos *Iudaeum* quemdam, physicae artis peritissimum, hebraicarum litterarum et totius *Iudaismi* scientia perfectissimum, quem circumdabat *militaris habitus.* — cum hoc Bruno saepissime disputabat, ad conuersionem eum exhortans; tandem consiliis eius acquieuit, et ab ipso baptizatus est, cui Bruno nomen suum imposuit, et in cunctis bonis eum adiuuit, cunctis fidelibus suis eum commendans, et petens, quia *genus illud hominum multum est in fide instabile semperque desiderat in vitae necessariis abundare:* quatenus ille, vbicunque ipsis manentibus superueniret, prouiderent ei necessaria cum caritate. (Intelligimus transitum istum ad noua sacra; sed eadem scribit *Alexander* in *registro* ap. Martene pag. 787 tom. 1 ampliss. collectio: iudaei conuersi benigne sunt tractandi, quia facile desperant; itaque reddenda est illi Petro praebenda, quam abbatissa remensis ei adsignauit.) Nec

magis placet hiſtoria illa, ap. *Arnoldum* lubec. lib. 4 c. 15. *Coloniae*, ſub aepo *Philippo*, quidam Iudaeus, in *ſabbato ſancto Paſchae*, cum baptizarentur paruuli, quaſi per curioſitatem interfuit. Cum ſacrum chriſma capiti cuiusdam infantuli imponeretur, vidit *ſpiritum ſanctum*, in *ſpecie columbae* ſuper infantulum deſcendentem. — nec perfecte credidit, nec perfecte dubitauit. Annus reuoluitur, cum iterum in paraſceue, ante Sabbatum, in Synagoga conſtitutus, viſitationem piiſſimi ſenſit ſaluatoris. Eſt Iudaeis *deteſtabilis quaedam conſuetudo*, vt *quouis anno*, ad *contumeliam ſaluatoris*, *imaginem ceream crucifigant;* (Notemus vetuſtatem talium mendaciorum ſacrorum) hanc dum more ſuo contumelia afficerent, et caetera, quae in paſſione leguntur, *flagellando*, colaphizando, conſpuendo impleſſent, et clauis manus et pedes perforaſſent, lancea latus eius perfoderunt; *et continuo exiuit ſanguis et aqua;* et qui vidit, teſtimonium perhibuit, et ſcimus, quod verum eſt teſtimonium eius; (hic turpiſſime Iohannis verba huc transfert;) Iudaeus ſtatim ad aepum cucurrit, nunciauit, et in ſabbato ſancto lauacrum regenerationis accepit. Nempe intelligimus, hoſtes chriſtianae religionis Iudaeos, poſtquam tam inſana mendacia, (cuius generis etiam eſt, quod apud *Noruicum* Iudaei crucifixerint puerum *Wilhelmum;* vt quidam a. 1146 ſcribunt;) nempe, vt ſpecies iuris non deceſſet, locum habuerant, velut pecorā trucidatos; vt narrat *Otto* friſing. libro 1. Frider. c. 37. ſub tempus cruciatae illius, quam *Bernardus* praecipue coegit, monachum *Radulphum*, litterarum notitia ſobrie (i. minus) imbutum, per Coloniam, Moguntiam, Wormaciam, Spiram, Argentinam &c. iuſſiſſe *Iudaeos* trucidari, qui paſſim in ciuitatibus oppidisque manebant; itaque Iudaei ad imperatorem confugerunt; non pauci, in *oppido principis* (Friderici,) *Norenberg*, aliisque municipiis *eius*, ad vitam conſeruandam ſe receperunt. Succreuerunt ex iſto tempore Iudaei *Norimbergae*, vt ſatis notum eſt. *Bernhardus* aduerſus iſtum prae-

praedonem sacrum scripsit ad aepum moguntinum, ep. 323, quam *Baronius* excitauit a. 1146; qui et *Petri cluniac.* epistolam 33, libri 5 ad regem Galliae Ludouicum nominat; qua auctor est, vt rebus suis *Iudaei spolientur*, atque ex hoc sacro latrocinio *milites* in Palaestinam mittendos. Dubium non est, hanc auctoritatem per hoc tempus magni fuisse ad tales milites momenti.

De rebus Graecorum.

Pauca tantum de rebus Graecorum, hic colligimus; (de *haeresibus* cap. sequenti). *Eruditionem* inter eos non omnino neglectam fuisse, facile vel ex huius seculi rebus perspicimus. Itaque Anna *Comnena* lib. X inde ab initio scribit, *Nilum ἀμυητον πατης ἑλληνικης παιδειας*, et *λογικης παιδειας* fuisse; quasi soleret contrarium obtinere apud alios Graecos doctores. Libro 15 describit *Alexii* multa studia, quae impendit, vt adolescentibus, etiam e captiuis, Magistri in *orphanotropheio*, quod non parum amplificauit, *την ἐγκυκλιον παιδειαν* traderent; eius generis diligentiam et monasteria adhibuerunt; monachorum ex Iberia coenobium idem fundauit in orphanotrophio, et *παιδευτηριον των γραμματικων*. Hic videre licebat et *Latinum παιδοτριβεμενον*, et Scytham *ἑλληνιζοντα*, et *Romanum τα των ἑλληνων συγγραμματα μεταχειριζομενον*. De *Schedographia* vide *Notas* pag. 113 edit. Venetae. Eadem vero *Anna* iam de suo tempore queritur, *δια την παντελη της ἐγκυκλιε παιδευσεως ἀμελειαν*. *Alexii* huius eximias virtutes eruditissima filia, suo iure, saepe et multum commendat; eius certe insignem fuisse prudentiam facile ex rebus studiosissime gestis, inter *Latinorum*, *Gallorum* praecipue, sacras inuasiones, colligitur. Eo autem minus credimus *Baronio*, qui a. 1118 efficere vult, *Alexium* ecclesiae romanae communione coniunctum fuisse. Nam, quod ad *cassinense coenobium* misit aliquoties munera, atque etiam *Cluniacum*, non tam id comprobat, quam hoc, *Alexium* callide dedisse papae et

abbati *cassinensi*, et *cluniacensi* operam, quorum consiliis perspiciebat cruciatorum impetus huc illuc posse regi. Eius autem iussu cum scripserit *Euthymius* panopliam: facile patet, sacrorum auctoritatem Alexium non a Latinis repetiisse. *Paschali* 2 papa *Grossolanus*, qui mediol. aep. alii tandem locum fecit, *Cpolin* missus, praesente *Alexio* disputauit cum *Graecis* de *processione Spiritus sancti*, quam disputationem ex *Federici Metii* translatione *Baronius* edidit a. 1116; nempe ista legatio fuit de rebus politicis maxime, vt postea ex similibus legationibus luculenter constabit. Hic enim pauca tantum attingimus. Est certe lectu iucunda descriptio *Latini sacerdotis*, fortissimi bellatoris, in Alexiade lib. X. pag. 231. edit. Venet. *Graecorum* sacerdotum grauitatem et honestatem sic describit, vt Latinis contrarium tribuat; post sacrificium ille clypeum et lanceam arripuit — ὁ γαρ κατα τα αὐτα ἡμιν τε και τοις Λατινοις δεδοκται de sacerdotibus. *Nicetas* Choniates in *Ioh. Comneno*, pag. 20. 21 narrat: hic imperator lubentissime, si potuisset, *Latinis Antiochiam* et Hierosolymam eripuisset; legatos etiam ex istis regionibus accepit; nempe *Italorum* quorumdam studia non deerant aduersus *Gallos*; sed cum ipse iter susciperet, inuenit *Italorum* animos mutatos, ἀλλοιως ἐυρατο τας γνωμας τες Ιταλες. Inde rex Siciliae *Rogerius Corcyram* occupauit; secutae vtrimque deuastationes; *Venetorum* ope tandem Corcyra recepta fuit; quas res hic recensere loci nostri non est; ineptissimam vero sententiam de communione Graecorum cum Latinis ecclesiastica, satis refellunt; nisi cum *Venetis* eam locum habuisse dicamus, belli per tempus sociis; aut cum *Alamannis*, quod coniugem eius gentis *Manuel* duxerat. Nempe pro consiliis politicis ista omnia procurabantur, vt *Anacletus*, Innocentii aemulus, ad *Ioh. Comnenum* miserat; ita *Pisani* miserant legatum *Cpolin* ad *Manuelem*, vt discimus ex *Burgundii* praefatione in translationem commentarii S. Chrysostomi in *Iohannem*, amplis. collect. tomo 1. p. 828. Sub *Luca* patriarch, qui Chrysoberges

dictus

dictus eſt, in ſynodo quadam *Agareni* comparuerunt, qui dicebant, ſuis in regionibus ſe *baptizatos* fuiſſe; eſſe enim conſuetudinem, vt *Agarenorum* infantes omnes ab orthodoxis ſacerdotibus baptizarentur; ſed non admiſſi fuerunt. Audierat enim patriarcha, quod baptiſmum *propter corporalem* medicinam petere ſolerent; perſuaſum enim eſt Agarenis, fore, vt liberi a daemone vexentur, et tamquam canes male oleant, niſi baptiſmum chriſtianum aſſequantur. Quidam dicebant, ſe matres habere orthodoxas, earumque ſe cura baptizatos; ſed nec hi auditi, quia teſtes non habebant. Hoc anno, quo id commemorat *Baronius*, a. 1148 addidit etiam *Theodori balſamonis* locum, in canonem 15 concilii carthaginienſis: clericum non trahendum ad laicorum tribunal. *Theodorus* multa queritur de ſuo tempore: hodie non ſolum laici ſed et ſacrati, epos, clericos et monachos ad ciuilia iudicia trahunt, ne imperatoris quidem mandatum de ea re habentes — nempe eius generis diſciplina Baronio placebat; ſed non defuerunt prudentiores Graeci magiſtratus, qui ſcirent, penes imperatorem eſſe, dare iudicem, quem cauſſa maxime poſtulat. Fuerunt autem et alii *chriſtiani*, Graecorum infenſi hoſtes, incolae Paludis *Puſguſae*, qui cum Turcis familiariter viuebant. (Nicetas Choniates in Ioh. Comneno) Sed quod ad communionem attinet, poterat *Baronius* eius id aliud argumentum laudare, quod *Manuel* imperator papae *Hadriano* pecuniae multam vim obtulit, vt aliquot Apuliae vrbes ei concederet — tum ſe *Wilhelmum*, Siciliae regem, papae tunc aduerſum, expulſurum; poſtulauit iam papa inter pacis cum *Wilhelmo* conditiones, vt *tantum pecuniae* romanae ſanctae eccleſiae daret, quantum *Graecus* abtulerat. Illa autem epiſtola *Adriani* ad aepum *theſſalonic.* luculentiſſime dicit: per hoſtem antiquum iam diu eccleſiam graecam a latina ſeparatam; itaque iam eos, *qui praeceſſerant* hunc papam, dediſſe operam, vt ſchiſma tolleretur &c. Baron. a. 1155. n. 31. *Fridericus* imperator ſaepe Cpolin legatos miſit; de re publica, non de ſacra,

litteras a. 1159 exhibet *Baronius* latine translatas, quibus ob schisma paparum queritur. *Wibaldum*, celeberrimum abbatem stabulens. et corbej. *Fridericus* legatum ad Graecum imperatorem misit; ipse papa *Hadrianus* (epistola inter *Wibaldi* 439. p. 597. tomo 2 ampliss. collectionis) scribit ad *Wibaldum:* licet plurimi astruere moliantur, quod multa in *Graecia contra nos et matrem* tuam, sacro sanctam eccles. romanam, *fueris machinatus* — Eius generis legationes iam sub *Conrado* fuerunt; politicae omnes, quicquid soleat species alia superaddi. Sed ne nimis multa congeramus; ista ex annalibus *Godofredi* monachi, excerpimus. a. 1172 Imperator in curia *Wormatiae* conquestus de Italicis, et illis, qui partibus fauebant *Rulandi* (Alexandri 3) qui *coronam romani imperii Graeco imponere vellent.* a. 1173 Illis diebus legati regis Babyloniae ad imperatorem venerunt; rex ille petebat, vt filio suo filia imperatoris iungeretur matrimonio, ea conditione, vt ipse *rex cum filio et omni regno suo christianitatem* suscipere nt; et omnes captiuos christianos relaxarent. a. 1174 in natiuitate Ioh. baptistae Ratisponam venit, ibi *nuncii regis graecorum* eum iterum adierunt, pro coniunctione filiae eius filio imperatoris. Legatos regis babyloniae, (per dimidium fere annum retentos,) cum magno honore remittit. a. 1180, nuncii *Soltani* regis *Persarum* aderant, sed cuius rei gratia venerit, latet; nempe foederis caussa. a. 1185, imperator regno *Graecorum* infestus filiam *Rogerii*, regis Siciliae, filio suo copulare procurat. a. 1187, rex *Siciliae* Graeco bellum inferre parans, naues, per quas peregrini Hierosolymam ituri erant, vi occupauit. a. 1188 comes de *Deitce* (Dietz) Henricus profectus est, quem misit imperator ad *Saladinum* regem, vt foederi, *quod mutuo nuper pepigerat*, renunciaret, et quod amicus eius esse non posset — imperator mittit militem probum Godefr. de *Wisenbach* ad *Soldanum* de *Iconio*, confoederatum suum ab antiquo, pro negotio sancti itineris — scripsit etiam imperatori *Graeco*, qui solito more legatos nec bene

tenuit

tenuit nec bene dimisit. a. 1189 *Conradus* de Sur i.e. Tyro, litteras imperatori misit, rogans vt festinet venire — conquerens — etiam de Philippo Flandrensi, *templario*, quod hi inuidia ducti grauarent eum in multis plus quam pagani. *Conradus* iste est Marchio *Montisferrati* qui *Tyrum* tenuit, non *Syriam*, vt falso in margine *Freheri* legitur; vid. *Iacob.* de *Vitriaco* pag. 1119 in corpore *Bongarsii*. Pergit Godefredus in annalibus: in natali domini legati *Soltani* de Iconio cum 500 equis imperatorem adeunt, et Soltanum parasse omnia nunciant; (vid. Otto de S. Blasio c. 31.) aderant etiam legati *Seruianensis* regni, (quod est inter *Ruteniam* et *Vngariam* positum;) regem laeto animo exspectare imperatoris aduentum. Iam describitur *Friderici* sacrum iter &c. de quo etiam narrat Epistola anonymi apud *Vrstisium* (p. 560. edit. 1585 fol.) quae narratio comparanda est cum annalibus Godefridi; vterque auctor narrat, S. *Georgium* ipsum cum *albatorum equitum* copiis pugnae interfuisse, et Soltani filium de equo deiecisse. Huius generis sacra mendacia, non inutilia isto tempore, satis frequentia occurrunt. Narrant etiam de captiuitate epi *monasterienſis*, de quo antea pag. 67 quaedam afferuntur. Alia vero descriptio itineris per *Gerardum*, legatum Friderici ad *Saladinum* exstat tomo 2 *Leibnitii* pag. 731 superstitione plena. Sed ista iam sufficiunt, vt perspiciamus, graecum imperium haec per tempora non vno modo concussum fuisse, deque eo diuidendo varia consilia ab ipsis christianis agitata fuisse. De nouis episcopatibus *Latinorum* orientalium legenda *ordinatio* sub apostolica sede *Antiochiae*, catholicorum, metropol. aepporum, epporum, in fine libri 23 *Wilhelmi* Tyrii; multo autem accuratius egit de hac noua diuisione prouinciarum ecclesiasticarum *le Quien* in *oriente christiano*. Ex tam atrocibus fatis, quae *Graecis* fere continuam cladem afferebant, quidam tamen etiam iucundiores quasi fructus ad occidentales prouincias redundarunt. Multi enim *libros graecos*, translationes, atque aliquid eruditionis laetioris in nostras

Europae partes attulerunt, praedam quasi nobiliorem. Pauca notabimus, ab aliis nondum in hunc locum relata. In *chronica* breui S. *Dionysii*, tomo 2 *Dacherii* spicil. fol. 495, ad annum 1167 scribitur: hoc anno *Wilhelmus medicus* attulit *libros graecos* a *Constantinopoli*. *Eugenius* papa tertius scripsit ad patriarcham *antiochenum*, vt suppleret per interpretem e graecis exemplaribus, quod commentario Chrysostomi in *Matthaeum*, (duae expositiones apud latinos exstabant, sed nulla debito fine integra:) deesset. Sed ille misit *graecis litteris* scriptum commentarium ipsum; cum haec expositio discreparet ab istis 2 aliis, iussit papa *Burgundium*, Iudicem, pisanum, in latinum transferre sermonem; praefatio exstat in ampliss. collectione tomo 1. pag. 817 seqq. in fine legitur: — peccator *Burgundius* Iudex transtulit per 90 Homilias a. 1151. Eiusdem *Burgundionis* epistola p. 827 *in translatum* ab ipso in latinum sermonem S. *Gregorii Nysseni* librum de natura hominis, ad *Fridericum* imperatorem. Prologus eiusdem in translationem *Chrysostomi super Iohannem*: cum Cpoli pro negotiis publicis patriae meae a ciuibus (pisanis) meis ad imperatorem *Manuelem* missus — filium meum ibi morbo amiserim, *pro redemtione animae eius* explanationem hanc de graeco in latinum vertere statui sermonem — quia eius penuria apud Latinos maxima erat — duobus exemplariis a 2 monasteriis in commodatum acceptis, duobus scriptoribus vno a capite, altero a medietate incipiente, librum tradidi transferendum vel describendum — redux autem *Messanam* veniens meis manibus scribens librum transferre coepi et sic per totam viam — vacationem mihi extorquens faciebam, per 2 continuos annos — totum librum de verbo ad verbum de graeco in latinum transferens integre consummaui. Euangelista hic — in miraculis enuntiandis non multum studuit; pertransiit enim *annum* a Pascha in Pascha *integrum*, in quo non fere tria miracula scribit, cum in vna quaque die plura, et, vt credo (nempe ille credebat,) innumerabilia fecerit. In Italiae par-

partibus graecae linguae vsum satis floruisse facile credimus; *Iacobus*, clericus, de *Venecia*, transtulit *de graeco* in latinum libros quosdam *Aristotelis* et commentatus est &c. vid. *Rob. de Monte* appendix ad Sigebertum Gemblac. a. 1128. Notatu dignum est, non solum *Romae* (iam a tempore *Paschalis* 1. in ecclesia S. *Praxedis* graecorum monachorum fuit congregatio) atque alibi in vicinis prouinciis, *Graecos* monachos non raros vixisse, sed etiam iam a superiori seculo, in territorio *Auriol*, in comitatu *Massilienſi*, *graecos monachos* sub obedientia et regimine abbatis S. *Victoris* vixisse; carta exstat in *ampliſſ. collectione* tomo 1. p. 408.

Excerpta ex Natali Alexandro.

Dissertatio 2 de dissidio *Henrici* et *Gregorii* 7. articulus 9: hic papa *primus* sibi reges exauctorandi tribuit potestatem *contra patrum doctrinam*, *contra verbum dei*; non est apostolicae sedis definitio. Historicae huic et graui tractationi addendus est ille a nobis p. excitatus *Sigeberti* locus, in epistola contra *Paschalem* papam. Artic. 10. nullius ponderis sunt argumenta, quibus nouam suam opinionem *Gregorius* probare nititur in Epistola ad *Herimannum*, epum metensem. *Facultas* theol. *parisiensis* semper obstitit tali doctrinae; nec possunt subditi vllo praetextu a fide regi suo debita dispensari. Dissertatio 3: Gregorio 7 suppositum esse *dictatum*, ostenditur contra Christianum *Lupum*. Dissertio 4, de *inuestituris episcopatum* et abbatiarum; de synodo oecumenica *Lateranensi* prima; *Carolus* M. (est iudicium *Wilhelmi* malmesbur. lib. 5.) omnes pene terras ecclesiis (episcopis) contulerat, consilioſissime perpendens, sacri ordinis homines non tam facile fidelitatem domini reiicere quam *Laicos*; et istos, si hi rebellarent, posse excommunicatione eos compescere. (De hac re non est dubium; atque ea causa isto nomine recte habet, quod *ecclesiastici* ministri in societate tantum afferre commodi debeant ad rem communem et publicam ciuium et

regni,

regni, quantum princeps putat per illos opportune fieri posse; sed tempora mutantur, et principes aliter etiam consulere suis rebus publicisque possunt, si tempus patitur, vt non opus sit ecclesiasticis tam potentibus ministeriis. Hoc adhuc seculo episcopi et abbates militiam praestabant imperatori.) Artic. 3. Inuestituras (laicorum) primus prohibuit *Gregorius* 7; (quia sibi dominium supra reges tribuere audebat.) Artic. 14; repererunt quidam quasi mediam viam, vt nec domini ius nec ecclesiae libertas laedi videretur: nempe *baculus* et annulus a domino Laico ponebatur *in altari;* tum idem epum vel abbatem duxit ad altare, atque sic ex altari sumebat baculum, non ex manu domini. Artic. 18 seqq. de concil. *lateranensi* 1. in quo haec controuersia finita est: vt *electio* fieret praesente imperatore; electus vero *regalia per sceptrum* ab imperatore reciperet. Dissertatio 5. de *Goffredi*, vindocinensis abbatis, et *Marbodi*, redonensis epi, epistolis, *Roberto* de *Arbrisello* inscriptis. Fuerat hic auctor *noui ordinis*, ad quem et mulieribus cum viris patuit aditus; ista societas vtriusque sexus praebuit occasionem iniquarum suspicionum: — cum feminis et inter ipsas etiam noctu frequenter cubare non erubescis, scribit *Goffridus*; itaque *Bollandus*, qui vitam *Roberti* d. 25 Februario exhibet, negat esse *Goffridi*; negauit et ille Ioannes a *manu firma*, monachus ipse *Fontebraldensis*, in 2 dissertt. de *epistola* contra Robertum de Arbrisello conficta; sed contrarium defendit *Natalis* et simul vindicat editorem epistolae *Sirmondum* a calumnia; et vix licet virum harum rerum peritum aliter sentire. Artic. 2 Epistola *Marbodi* ad Robertum, expenditur et confutatur; hic *Natalis* praecipue opponit *Baldricum*, dolensem epum, qui alteram vitam *Roberti* laudibus plenam scripsit. — obiicit illa epistola, praeter mulierum societatem, et sordes vestium: quod cuiuslibet conditionis aut aetatis homines, qui te praedicante ad horam compunguntur, ad religionem adigis improbatos — prudentiam Roberti opponit *Natalis*, eximie ab aliis eius aetatis laudatam, itaque

que falsum esse. Sed hac ratione nec credere liceret, *Bernhardum* crucem statim dedisse omnibus, qui declamationi eius vel semel interfuerant — Prudentiam istam hoc non euertit. *Epistola:* taceo de iuuenculis, quas statim inclusisti; quarum aliae, *vrgente partu* fractis ergastulis elapsae sunt; aliae *in ipsis cellulis peperverunt.* Natalis dicit: horrenda calumnia est. — testimonia alia non desunt, de laude virginum. Praecipue dubitare licet, an sit *Marbodi*; cum exstet in Msto codice S. *Victoris* paris. inter Epistolas *Hildeberti*, cenom. epi; praefert autem *Natalis* eam coniecturam: epistolam a *secularibus clericis*, qui incontinentes plerique erant, confictam esse; auctorem enim queri, de imminuta presbyterorum parochialium auctoritate et de oblationibus imminutis. *Dissertatio 6*, de concilio *lateranensi 2. Arnulfus*, sagiensis archidiaconus, qui contra *Anacletum*, seu *Petrum Leonis* scripsit, (*de schismate*, contra *Gerardum*, epum Engolismensem, huius antipapae legatum,) narrat, auum huius *Petri* fuisse *Iudaeum*, qui baptizatus per pecunias, quas in Iudaismo corrogarat, ius romani ciuis et illustres vrbis affinitates mercatus sit. Nempe hoc consilio, maiorum honorum, aut beneficiorum, plures Iudaei nomen christianum sibi imposuerunt, sine omine meliori, ac vulgo illi nati christiani prae se ferre solebant. Quis enim dicat *Iudaeis* tales christianos ratione alia praestitisse, quam externo in ciuitate publica iure? Ad canonem 13 de *foenere* multa collegit Natalis e scriptoribus ecclesiasticis — Dissert. 7, de varia *Petri Abaelardi fortuna*, erroribus, damnatione et poenitentia; de eius amoribus; de eius et *Heloisae* conuersione. *Sandionysiani* monachi praecipui eius aduersarii fuerunt; quia et mores eorum prauos reprehenderat, et cum *Beda* statuebat, *Dionysium* areopagitam non fuisse istum monachorum patronum, sed athenienscm epum. Artic. 5 *de eius erroribus*, ex *Bernhardi* epistola 190; *Guillelmi* abbatis *Theodorici* disputatione; *anonymi* disputatione libris 3, aduersus *Abaelardum*; (tomo 3 bibliothecae cisterc.

ſtertienſis,) et *Ottone Friſingenſi* lib. 1 Frider. c. 47 plura petenda; (vid. obſeruationes *praeuiae* in Abelardum, tomo 5 theſauri noui anecdotorum; quem librum cum aliis excitauit iam D'*Argentré*, in iudiciis de nouis erroribus pag. 20.) Erit iis locus in ſequenti capite. Artic. 7 *Abaelardus* damnatus fuit in concilio Sueſſionenſi, quod anno 1121 deſignari debet. *Innocentius* 2 poſtea ei, ceu Haeretico, ſilentium impoſuit. Artic. 9. Apologeticum pro *Abaelardo* ſcripſit *Berengarius*, pictauienſis, eius diſcipulus; ſed contumelioſo in S. *Bernardum* et concil. ſenonenſe libello, nulla fides. Atqui hic auctor veram ſententiam de *Bernhardi* proteruitate et nugandi ſacra conſuetudine, tulit. De concilio *ſenonenſi* ſcribit Berengarius: poſt prandium allatus eſt liber Petri, et cuidam praeceptum, vt praelegeret. At ille *vitis germine irrigatus*, non eius, qui dixit, *ego ſum vitis vera*, ſed illius, qui patriarcham nudum ſtrauit in area, ſonorius clamauit; poſt aliqua, *pontifices inſultare*, *pedem pedi applodere*, *videre*, *nugari*; vt facile videres, eos non Chriſto vota exſoluere, *ſed Baccho*. Inter haec *ſalutantur ſcyphi*, *pocula celebrantur*, *laudantur vina*, *pontificum guttura irrigantur*; denique, cum aliquid ſubtile et auribus eorum inſolitum audirent, ſtridebant dentibus, et *oculos talpae* habentes, in Philoſophum: (imperitiſſimi ſcilicet) *hoc*, inquiunt, *monſtrum ſinemus viuere*! Sic virum ſobrium damnant ebrii; ſic contra organum trinitatis differunt calices facundi; ſic contra ſimplicem diſputant cornuti; ſic ſal terrae infatuatur — biberat eporum ſobrietas ſanguinem vuae meraciſſimum; cuius calor ita inceſſerat cerebris, vt in ſomni lethargiam omnium oculi ſoluerentur. Inter haec ſonat lector; ſtertit auditor; alius cubito innititur; alius ſuper molle ceruical; alius ſuper genua caput reclinans — cum itaque *lector* aliquod reperiret in Petri ſatis ſpinetum, *ſurdis exclamabat auribus* pontificum, *damnatis*? tunc quidam vix ad extremam ſyllabam expergefacti, ſomnolenta voce, capite pendulo, *damnamus*, dicebant; alii damnantium tumultu

exci-

excitati, *decapitata syllaba* prima, *namus*, inquiunt; (a verbo, no, nare, natare) vere *natis*! sed natatio vestra, procella, mersio; sic *milites dormientes* testimonium perhibuerunt: dormientibus nobis venerunt &c. Qui vigilauerat in lege domini die ac nocte, nunc damnatur *a sacerdotibus Bacchi.* Dubium vix est, Natalem Alexandrum et ipsum non sine consilio haec descripsisse, vt pungeret similes sacerdotes imperitos et sedulo graues; nos certe negligere non potuimus descriptionem quaestionis de haeresi habitae; vt statum religionis publicae internum adhuc accuratius informare liceat. Artic. XI. Petrum Abaelardum post fidei suae expositionem haereticis immerito quis accenseret. Differt. 8 de contentione inter rom. cardinales et gallicanos praesules, orta in concilio *rhemensi* a. 1148, occasione Symboli contra *Gilberti* porretani errores, ab illis editi. Dissertat. 9, de concilo lateranensi 3, oecumenico XI. Differt. 10, de causa S. *Thomae* cantuar. aepi et martyris. Habentur vero etiam quaedam vtiles obseruationes, de statu ecclesiastico huius seculi, in *ampliss. collectione* in praefatione tom. 1. de *conciliis*, pag. XXI, de concilio, antea ignoto, *Gerundensi*, a. 1101. *Moguntino*, a. 1105. *Trecensi*, a. 1107. *capuano* a. 1111, hic *praulegium* illud *Paschalis* rescidit. Conuentu eporum *Saxoniae* orientalis, ad *Slauos* reprimendos; *leodiensi*, a. 1130, (eporum fuit 36.) Obseruationes de *romanis pontificibus* pag. 30, de *Eugenii* 3 studiis contra Graecos. *De Episcopis* quibusdam, epistola *Adalberti* aepi moguntini, antea inedita, fol. XXXIV; de *Reinhardo*, Halberstad. &c. Obseruationes *monasticae* fol. 46 seqq. De S. *Bernardo*, cuius hic quaedam epistolae antea ignotae eduntur; fol. 65. *De disciplina ecclesiastica* fol. 69. *Browerus* in annalibus treuirens. *diplomata* quaedam edidit minus integra, mutato stilo. Praefatio in tomum II habet, obseruationes *sacra expeditione Ludouici 7 et Conradi* imperatoris. De celebratis a papa Eugenio conciliis *Treueris*, et *Remis*; de turbis *polonicis* post ducis *Boleslai* 3 mortem. *Remensibus* 18 canonibus,

quos

quos *Baronius* edidit, tomo 4 Anecdotorum 17 alii additi fuerunt. De *Henrico*, Ludouici iunioris fratre, aepo rhemensi, fol. 36-52 multa memorabilia. *Obseruationes monasticae.* Epistolis autem *Wibaldi* abbatis obseruationes praemissae sunt, quaedam eximii momenti; in bellum in *Slauos* sacra *gaza* impensa &c. Similia in *praefationibus* thesauri noui anecdotorum, non rara colligi possunt; quae a nobis exscribi non debent; eorum vero adiumentis carere non possumus, si quidem seculi huius res memorabiles nosse vtilius et accuratius velimus. Nos specimînis loco satis multa excerpsimus.

CAP. IV.

De Dogmatibus, et haeresibus huius seculi, deque melioris cognitionis documentis.

Poterant in hoc caput copiosissime sententiae illae referri, quae aut haereseos nomine solent ab istis scriptoribus recensêri, aut opinandi inuenustam consuetudinem declarant, aut melioris mentis ingeniique dant documenta. Sed nobis non licet ingentem copiam congerere; id igitur dabimus operam, vt ne tenuis atque ieiuna recensio lectorum iudicio exercitioque sanioris mentis obstet. Attigimus iam superiora per capita non raro *hunc dogmaticum locum*, quia res sic ferebant; ea iam non repetimus.

1. Inter Latinae linguae homines.

Hic primum ex magno corpore, *collectio iudiciorum de notis erroribus*, vtiliora breuiter notabimus; vsus enim est *D'Argentrê Bulaei* historia vniuersit. parisiensis, et aliis libris commodis; postea ex aliis scriptoribus nos quaedam addemus. Lites *nominalium* et *realium* transimus; de quibus hoc tempore *Ioh. Sarisberiensis* lib. 2 *Metalogici* satis luculenter egit. Haeresis *Manichaeorum*, quod nomen

nomen ſolet eſſe ſuperiori et hoc ſeculo apud Latinos frequentiſſimum, deriuatur ab auctoribus *orientalibus*; baptiſmum puerorum, et poenitentiam (iſtam) nil prodeſſe, non eſſe panem in ſacra coena corpus Chriſti &c. Tales deſcribuntur can. 3 toloſano (vid. pag.) Locum ex annalibus *Godefridi* iam deſcripſimus; ſcripſit *Eberhardus* e Bethunia oriundus *antihaereſin*, aduerſus tales homines, quem libellum edidit *Gretſerus*, exſtat etiam in bibliotheca patrum; ſed auctor non titulum fecerat, *contra Waldenſes*; a capite 25 contra *Sabbatatos* ſcribit, Waldenſes, quaſi minoris haereſeos fautores diſtinguens ab iſtis Manichaeis. Sic et auctor *Ermengaudus*, non contra *Waldenſes* inſcripſit ſuum libellum, licet *Gretſerus* ſic ſcribat.

Tanchelini, *Tanquelmum* alii ſcribunt, haereſis ſub a. 1110 ſolet deſignari; *Antwerpiae* primum ille auctor populi magnam partem facile ad ſe traxit; inimicus epporum et ſacerdotum; itaque *Norbertus Antwerpiam* euocatus fuit; vid. vita S. *Norberti* in actis SS. tomo 1. *Iunii* die 6. Supereſt epiſtola eccleſiae *traiectenſis* ad *Fridericum* aepum colonienſem, de haereticis *Tanchelmi* ſequacibus; quam *Gretſerus*, *Tengnagel*, Bollandiſtae, et *Harzheimius* edid. in ſupplementis ad tomum 3 concil. German. pag. 763; exſtat etiam apud d'*Argentré*. Ille igitur *Tanchelmus* ſtatuit: nihil eſſe papam, epiſcopos, presbyteros, clericos; penes ſe et ſuos tantum *eccleſiam* eſſe; (nempe iam diu *eccleſiae* nomen ſolebat diuidi;) — in maritimis primum locis per mulierculas venenum ſparſit; iam publice in patentibus campis ſermocinabatur, ſtipatus ſatellitibus, vexillum et gladium praeferentibus; eccleſias eſſe lupanaria; pollutiones eſſe, non ſacramenta; ex meritis et ſanctitate miniſtrorum, virtutem ſacramentis accedere; cum tamen, vt Auguſtinus dixit, Chriſtus etiam Iudam miſerit; (hac ſatis inepta auctoritate romani ſacrorum praeſides omnino infandum in modum abuſi ſunt; licet et iſtud falſum ſit, vim ſacramentorum accedere ex ſacerdotum ſanctitate;) prohibuit et *decimas* dari — aſſeruit: ſi Chriſtus deus eſt,

qui Spiritum ſ. habuit, ſe igitur non diſſimilius deum eſſ
— balnei ſui aquam ſtulto populo pro benedictione diuiſit
velut ſacratius ſacramentum — quamdam *imaginem S*
Mariae iuſſit afferri, et manum imaginis manu tangens
ſollemnia *deſponſationis* verba, vt vulgo fieri ſolet, pro
tulit; en, inquit, Mariam mihi deſponſaui, *vos ſumtu*
ad nuptias exhibete. Expoſitis 2 loculis, vno pro mari
bus, altero pro feminis, dixit: iam videro, vtrius ſexu
maior circa me et ſponſam meam ferueat caritas. (Huiu
generis adiumenta monachi multi ſatis frequenter adhibue
runt; et facile credimus, imperitos homines facile ſic poſſ
decipi; itaque et publicam religionem legibus, ſed libera
libus, ſubiectam eſſe.) — Faber ferrarius exemplo nequit
ſimi magiſtri *fraternitatem* quandam, *Gildam* appellant
inſtituit, in qua 12 viros, in figura Apoſtolorum, et vnam
feminam, Mariae loco, inſtituit, cui ſinguli miſcebantur
Presbyter quidam, nomine *Ebermacher*, hominis magiſte
rio adhaeſit, qui et illum *Romam* proſecutus, quartam par
tem ornatus noſtri, *Teruanenſi* epo, regni Franciae, au
ctoritate domini papae, atterminare conatus eſt — res di
uinae in tantum venerunt contemtum, vt reputetur ſan
ctior, cuicunque fuerit eccleſia (publica illa clericorum ſo
cietas,) deſpectior. — Rogant, ne Fridericus hos captos
e carcere elabi ſinat; afferunt Auguſtinum tractatu 2 in Io
hannem: quando *deus vult concitare* poteſtates aduerſus
haereticos, ſchiſmaticos, *non miremur:* quia *deus con*
citat, vt a Sara verberetur Agar (Optime! ſi placet iſta
Auguſtini diſciplina, politico-ſacra.) Petrus *Abaelardus*
lib. 2 introduct. in Theologiam, meminit *Tanquelmi*, eum
laicum dicit, qui ſe *dei filium* vocitari ſiuerit. Eum mul-
tis *etiam diſertis clericis*, in ſermone, acutiorem fuiſſe,
ſcribit *Robertus* de monte, in appendice ad Sigebertum.
a. 1124; incedebat in pretioſo apparatu, veſtibus deauratis,
crinibus triplici funiculo intortis; eum circiter 3000 ſeque
bantur — filias in matrum praeſentia, et ſponſas maritis
intuentibus, corrupit, hoc opus ſpirituale eſſe aſſerens —

poſt

poſt multas caedes a *quodam presbytero* percuſſus in cerebro, occubuit. Sed nec poſt eius mortem error ille tam facile extirpari potuit. Videtur hominis nomen melius *Dankhelmus* ſcribi, quam Tanquelmus; ei callida aſtutia non defuit, licet intelligendi facultate alios vicerit; magiſtratuum vero fauore non caruit, aliter tam longi temporis fabulam non egiſſet. A. 1110 ſeqq. *Petri de Bruis* ſecta innotuit in prouincia arelatenſi; in bibliotheca *cluniac.* exſtat epiſtola *Petri Mauritii*, abbatis cluniac aduerſus *Petrobruiſianos* haereticos; epiſtola inſcripta eſt epis *arelatenſi*, *ebrodunenſi*, *dienſi*, *wapicenſi*. — in *nouempopulania*, ſeu *Gaſconia* et partibus adiacentibus illa haereſis foueas ſibi praeparauit, poſtquam a vobis repreſſa fuit. — veſtrum eſt, praedicatione, et ſi opus fuerit, *vi armata* per laicos, eam exturbare. — erronei dogmatis ſemina a *Petro* de *Bruis per viginti* fere annos ſata et aucta, *quinque* venenata virgulta produxerunt — illa capitula breuiter replico. 1. negant *paruulos*, infra intelligibilem aetatem, poſſe ſaluari *baptiſmate*, alienam fidem eis non prodeſſe poſſe. 2. templorum fabricam fieri non oportere, (nempe ob ſumtus et expenſas) deus aeque in taberna, in foro, ante altare vel ante ſtabulum, inuocatus audit. 3. cruces ſacras confringendas; ſpecies enim illa vel inſtrumentum, quo Chriſtus tam crudeliter occiſus eſt. non adoratione digna eſt, ſed omni dedecore dehoneſtanda. — 4. veritatem corporis et ſanguinis domini *quotidie* (in miſſis) per ſacramentum oblatum negant; illud nihil eſſe nec deo offerri debere. 5. ſacrificia, eleemoſynas, orationes et reliqua bona *pro defunctis* fidelibus, a viuis fidelibus facta, rident; iſta nec vel in modico iuuare poſſe aliquem mortuorum; (etiam *rebaptizatos* fuiſſe alios per Petrum hunc ſcribit *Abaelardus* lib. 2 introd. in theol.) Scriptae ſunt iſtae litterae a. 1140. Poſtquam ille presbyter, *Petrus Bruis* rogo impoſitus fuit, ſuperfuerunt haud dubie ſcriptiones quaedam; librum certe de *Antichriſto*, lingua veteri *Prouinciaca* ſcriptum, *Paul Perrin* edidit libro 3 hiſto-

riae Waldenſium, et huic Petro attribuit. Praeter eum *Henricus*, eius diſcipulus, meliorem doctrinam porro ac alios commendauit, et plura clarius expoſuit. Hic iam ante a. 1112 apud *Cenomanenſes* dogmata ſaniora defendit vt patet ex *actis* pontific. *Cenomanenſium* (inter *analecta Mabillonii* tomo 3 analector. edit. prioris, pag. 312.) Ei vero auctor horum actuum atrox et impudens declamator — matronae etiam et impubes pueri exceſſus ſuos profi tentur, ſed augmentant, plantas eius (*Henrici*) clunes inguina, tenera manu demulcendo — publice teſtabantur numquam ſe virum tantae rigiditatis et humanitatis attre ctaſſe, cuius affatu cor etiam lapideum facile ad compun ctionem poſſit prouocari; eius vitam monachos et regulares debere imitari — populus quotidie illius confabulationibus illudi ſuſpirabat — Epiſcopo miſit duos ex diſcipulis; gere bant ex doctoris conſuetudine baculos, vexillumque cruci in eis; eos plebs vniuerſa quaſi angelos domini recepit; etiam epiſcopus, qui quamuis romanum iter aſſumſiſſet, tamen in ter cetera iniunxit ſuis archidiaconis, vt illi pſeuderemitae Hainrico, pacificum ingreſſum et *licentiam ſermocinandi ad populum*, permitterent. — dum orationem haberet ad populum, *clericis* (eos *plerosque* ſcribit excaecatos fuiſſe et *tribunal* ei praeparaſſe —) ad pedes eius reſidentibus et flentibus, tali reſonabat oraculo, ac ſi daemonum legiones vno hiatu eius ore murmur exprimerent — hac haeret plebs in clerum verſa eſt in furorem, adeo, quod famulis eorum minarentur cruciatus; nec eis aliquid vendere vel ab eis emere voluiſſent; immo habebant eos ſicut ethnicos praeterea non tantum aedes eorum obruere, et bona diſſi pare, ſed eos lapidare aut affigere patibulo decreuerant — quidam ex clericis cum ad eum diſceptandi gratia veniſſent grauiter verberati et in buccis in luto et coeno contumelio ſe ſordidati, vix ſine mortis diſcrimine euaſerunt, comitis et Optimatum patrocinio. Miſerunt iſti clerici epiſtolam ad eum cum anathemate; quam cum quidam praelegeret, Hen ricus ſingulis diſtinctionibus, caput nutando, *mentiris* ite-

iterabat — idem apud S. *Germanum* et S. *Vincentium* ſacrilegos agebat conuentus, vbi dogmatizabat nouum dogma: quod feminae, quae minus caſte vixerant, coram omnibus veſtes ſuas cum crinibus nudae comburerent; nec quilibet amplius aurum, poſſeſſiones, ſponſalia cum vxore ſumeret, ſed nudus nudam, debilis aegrotam — Ex iuſſu illius plebis actio pendebat vniuerſa et affectus; tanta auri et argenti affluentia, ſi vellet, redundaret, vt opes omnium ſolus videretur poſſidere; parcebat tamen cupiditati, ne nimis ambitioſus videretur; verum plura ſibi retinens, pauca tantum ad reſtaurationem *pannorum*, *qui*, ſicut dictum eſt, *incenſi fuerant*, conferebat — Reduce iam epiſcopo, ille ſecedit in caſtrum S. *Carilefi* — ciues reſpuebant epiſcopi ſignaculum et benedictionem; dicebant, coenum benedic, coenum ſanctifica; habemus patrem et pontificem, qui te excedit ſcientia et honeſtate. Huic clerici iniqui aduerſantur, verentes, quod eorum ſcelera denudaret, et haereſin ſuam et corporis incontinentiam priuilegio condemnet litterarum; ſed redundabit in caput eorum, qui ſancto dei vocem caeleſtis praedicationis interdicere praeſumſerunt. — adiit epiſcopus ſeductorem, ſciſcitatur, cuius meriti ſortitus eſſet profeſſionem? non intelligentem iterum rogauit, cuius ordinis fungeretur officio? ait, *diaconus* ſum. Profer igitur, ſi hodiernis interfuiſti myſteriis; resp. non. Igitur pangamus deo *matutinales* hymnos. Quibus inceptis profitetur *Heinricus*, ſe *diaetam* ignorare. Epiſcopus iam *dei genitricis ſolitos pſalmos* canere coepit; ſed nec horum verſus nouerat nec ſeriem. Sic rubore perfuſus — lixa erat, nullam adeptus ſcientiam — *Hildebertus*, epiſcopus eum exire iuſſit e ſuo epiſcopatu. Duos tamen diſcipulos Henrici, *Cyprianum* et *Petrum*, ad eccleſiae fidem reuocauit *Hildebertus*. *Henricus* ad *Pictauos* ſe iam contulit, inde *Toloſam;* itaque in *toloſana* regione creſcebat haereticorum numerus, vt papa *Eugenius* epum *oſtienſem* legatum eo miſerit, qui *Bernhardum* ſibi laboris ſocium adſciuit; cuius epiſtola ad *Ilde-*

fonſum, comitem S. Aegidii, (num. 241) eſt aduerſus hunc Henricum; nempe comitem eo vult adducere, vt eiiciat haereticum hominem: inquire, quomodo de *Lauſana* ciuitate exierit; quomodo de *Cenomannis*, de *Pictaui*, de *Burdegali* — tu de tali arbore tandem bonos ſperabis fructus? Captus tandem fuit *Henricus*, et in manus legati traditus, vt narratur in vita *Bernhardi* lib. 3 c. 6. Ex *Hildeberti* epiſtola 22 (alias 52) libri 2, ſcimus, iſto tempore fuiſſe ibi aliquem, qui negauit *animas ſanctorum* res noſtras ſcire; eſſe igitur *litanias*, quibus oramus, vt ſancti pro nobis orent, otioſas — ſcribit epus: fortaſſe tibi reuelatum eſt deſuper, eccleſiam Chriſti vsque ad tua tempora deſipuiſſe — Nempe hoc genere argumenti et poſtea plerique clerici imperitiores et improbiores ſolebant vti; quod eſt omnino phariſaicum et iudaicum. — Ex Petri *Abaelardi* introductione in theologiam lib. 2. pag. 1066 diſcimus, fuiſſe circa a. 1120 plures in Galliae partibus, qui nouas ſententias defendere audebant; vnus in *Francia*, alter in *Burgundia*, tertius in pago *Andegauenſi*, quartus in *bituricenſi*; multa non ſolum tenent, ſed etiam docent, catholicae fidei (i. vſitatae doctrinae et opinioni) aduerſa. Primus aſſeruit: *ſine fide* venturi, multos, qui ante incarnationem Chriſti vixerint, ſaluandos eſſe; (idem et hodie credere fas eſt;) dominum noſtrum *in aperto vtero*, ſicut alios homines, fuiſſe natum, licet ſine virili ſemine. Deum profitetur genuiſſe ſe ipſum, quia deus pater generauit filium. *Alter:* tres in deo proprietates, ſecundum quas diſtinguuntur tres perſonae, tres *eſſentias* diuerſas ab ipſis perſonis et ab ipſa diuinitatis natura conſtituit; vt *paternitas*, filiatio, proceſſio, ſint res quaedam tam a perſonis, quam ab ipſo deo diuerſae — *monachos et moniales*, poſt publicum etiam votum et conſecrationis vinculum, *poſſe matrimonium* contrahere; de transgreſſione voti poenitentiam agendam eſſe. *Tertius:* non ſolum proprietates, res diuerſas a deo conſtituit, ſed etiam potentiam dei, iuſtitiam, miſericordiam &c. vt quot fere vocabula de deo dicuntur, tot

tot in deo res diuersas faciat. *Quartus:* quia res aliter euenire possunt, quam deus *praeuiderat*, deum posse falli concedit. Hoc illi attendant, qui de fide amplius minime scribendum autumant; (nempe tales quaestiones non attingunt *fidem* seu doctrinam, qua quis ipse christianus fit et vtitur; sed varium opinandi modum etiam apud eos comprobant locum inuenire, qui lubentissime volunt optimum reperire; itaque doctoribus et peritis magistris semper opus est.) Adduntur hic obseruationes; 2. fuisse non solum *parisiis* sed etiam in multis *cathedralibus* ecclesiis, sub auctoritate episcopi et capituli *scholas*, in quibus *quadruuium*, (grammat. rhetor. dialect. et *metaphysica*) tradebatur, aut *triuium*, (grammat. rhetor. dial.) *diuinam scripturam* interpretabatur ille, qui in metaphysica de deo differebat. 3. ille tertius videtur esse *Gilbertus* porretanus.

Petri Abaelardi errores, e libro *theologiae*, et libro *sententiarum*, et libro, *scito te ipsum*, a *Bernhardo* ad papam *Innoc.* 2. delati. 1. pater plena potentia; filius quaedam potentia; spiritus s. nulla potentia (scil. βροβλητικη.) 2. quod Spiritus s. non sit de substantia patris et filii, (isto respectu.) 3. quod Spiritus sanctus sit anima mundi. 4. Christus non adsumsit carnem, vt nos a iugo diaboli liberaret; (potest recte dici, quia satis inuenuste solebat describi, consilium Christi.) 5. nec deus et homo, nec haec persona, quae Christus est, est tertia persona in trinitate. 6. liberum arbitrium per se sufficit ad aliquod bonum. 7. ea solum potest deus facere, vel dimittere, vel eo modo tantum: quo facit. 8. nec potest nec debet deus mala impedire, (alio modo, quam impedit.) 9. non contraximus *culpam* ex Adam, sed *poenam* tantum. 10. quod non peccauerunt, qui Christum ignorantes crucifixerunt; culpae non adscribendum, quod fit per ignorantiam. 11. in Christo non fuit spiritus timoris domini; (sicut in nobis, vt succedat hic timor dei peccato.) 12. potestas ligandi et soluendi data tantum est apostolis, non successoribus; (contra abusus absolutionum.) 13. *propter* opera nec

melior nec peior efficitur homo; (contra opera monachica.) 14. quod ad patrem proprie vel specialiter attineat operatio, non etiam *sapientia* et *benignitas*, (ista *filio* et *spiritui* S. tribuit libro : introductionis pag. 1045. 1086. et apud Natal. Alexandr.) 15. etiam castus timor excluditur a futura vita. 16 diabolus immittit suggestiones per operationem lapidum, herbarum. 17. aduentus in fine seculi potest attribui patri. 18. anima Christi non per se, sed per potentiam tantum *descendit ad inferos*. 19. nec opus, nec concupiscentia, nec delectatio, cum mouet eam, peccatum est; et quod non debemus velle eam exstinguere. Ad istas propositiones addit d'*Argentre* aliquas obseruationes; quibus alia supplet. 1. definiuit fidem, *aestimatio* rerum non apparentium; hoc ambiguum dicit esse, itaque recte reprehendisse id Bernhardum, (absit, vt putemus in fide nostra aliquid *dubia* aestimatione pendulum &c.) nempe ἔλεγχος οὐ βλεπομένων sic reddidit. 2 Petrus statuit, (in *Theologiae* christianae libris 5. tomo 5 thesauri noui anecdorum;) quod fidem trinitatis omnes homines *naturaliter* habeant, (ita plures graeci patres statuerunt,) — non diffidendum est de salute talium gentilium, qui ante aduentum Christi, facientes quae legis sunt &c. nec post legem etiam datam — de salute gentilium quis desperet, si sine perceptione sacramentorum sobrie et iuste viuant; (ita et nos statuere fas est.) Eruditionem hominum tamquam praecipuum finem incarnationis adsignat — vt nos vera erudiret sapientia, quae ad salutem sufficeret — (quidni recte? idem Graeci multi scripserunt, haud paulo melius, quam de *iure* diaboli in homines &c.) 4. deo necessitatem imponit, vt faciat optimum — deus pater tam bonum genuerat filium, quantum potuit, aliter reus esset inuidiae; itaque omnia facit, vt optime potest. (nempe iam tum mundum *optimum*, legem *optimi*, alii non patiebantur.) 5. Immerito Abaelardus questus est, quod in concil. *senonensi*, sine vllo discussionis examine me compulerunt, mea manu meum librum in ignem coniicere. Esse enim 2 genera examinis·

aliud

aliud in accurata consideratione omnium rationum — aliud in legitimo praeiudicio, a communi ecclesiae doctrina — (sed hoc genere vel Christus damnatus fuit.) 6. Irridet legatum Cononem, quod dixerit: a nemine vel paruulo, ignorari, *tres esse omnipotentes*; posse intelligi, *personas*, licet non, deos. 7. *Apologia*, vt inscribitur in editione operum Abaelardi, est potius confessio et retractatio — numquam importuna defensio me effecit haereticum, paratus sum ad corrigendum — (hoc ad laudem *Abaelardi* facit.) 8. Bernhardus e *libro sententiarum* excerpta esse dicit; sed negat Abaelardus se talem librum scripsisse; Bernhardus designat librum, *sic et non*. 9. Petrus *Berengagarius*, Abaelardi defensionem tandem deseruit, et sua scripta iniuriosa in Bernhardum improbat; 10. qui Abaelardi scripta ab omni errore vindicare conantur, vt *Amboesius* in praefatione operum, et *Laubineau*, in historia minoris Britanniae gallica, parum religionis et obseruantiae exhibent legitimis iudiciis ecclesiae; (alii vero nimium honorem et metum exhibent.) 12. *Trithemius* scribit: ab hoc tempore *philosophia secularis* sacram theologiam sua curiositate inutili foedare coepit. (*Romani* tam papae quam doctores multi solent hanc sententiam studiosius praeire; sed eam non licet a nobis amari, licet species bona facile accedat. Non *est sacra theologia*, ista tam hiulca et inuenusta doctrinae opinionumque farrago, quae insanis et foedis mysteriis christianam rem omnem corrupit, vt vi et potentia opus sit, ad eam defendendam!) Plura et meliora obseruauit *Natalis Alexander* dissertatione 7 in sec. 11. et 12 articulo 5: plerosque in errores vere impegit Abaelardus — quamuis in quibusdam capitibus potius *in modo loquendi*, quam reipsa, ab ecclesiae doctrina aberrasse videatur. ad 1. propositionem; *Bernhardus*, abbas S. *Theodorici* et *Anonymus*, mentem *Abaelardi* non assecuti videntur, qui ipsi tribuunt — de *anima mundi* recitat tantum *Abaelardus*, introduct. lib. 1. c. 5, sententiam philosophorum —: facile est et ista rationabiliter accipi, sicut anima cor-

pori noſtro vitam confert, ſic Spiritus ſanctus noſtrae animae dat vitam — in expoſitione epiſtolae ad romanos: in quo omnes peccarunt, i. peccati poenam incurrerunt, (ſine *imputatione*;) hoc in apologia retractauit: ex Adam nos *tam culpam* quam poenam contraxiſſe aſſero — A. 1125 quidam *Haeretici* in dioeceſi *treuirenſi*, ex hiſtoria *treuirenſi*, in Spicilegio d'Acheriano tomo 2 pag. 221 edit. fol. *Iudii*, quod eſt appenditium treuiricae dioeceſeos quidam haeretici (inter eos 2 presbyteri,) negarunt ſubſtantiam panis et vini, quae in altari benedicitur, in corpus et ſanguinem Chriſti veraciter transmutari; nec paruulis *baptiſmum* proficere ad ſalutem — alter presbyter conſtanter dixit, ſe ſic recte credere — fuga ſe ſubduxit; alter igitur comprehenſus, poſtquam miſſam dicere iuſſus erat, et ſacramentum e manu epiſcopi cum imprecatione ſumſerat: tamen poſtea haereſin eamdem repetiit; tandem in adulterio morte peremtus eſt. A. 1125, aetate *Hugonis* de S. Victore, quidam dicebant, charitatem ſemel habitam amitti non poſſe; vid. eius librum 2 eruditionis theolog. parte 13 c. 11. A. 1139 *Arnoldus*, Arnulfus, de *Brixia*, in clericos et monachos inſurgit. Habuerat *Abaelardum* praeceptorem; naturae fuit non hebetis, ſingularitatis amator. A *ſtudio* Galliis reuertens in Italiam, religioſum habitum induit, omnia lacerans et rodens, nemini parcens. Sic *Otto* Friſingenſ. deſcripſit; tandem ſuſpendio ei vita erepta eſt, corpus in puluerem redactum et in Tiberim miſſum, ne a plebe in veneratione haberetur. Aduerſus hunc *Arnaldum* ſcripſit *Bernhardus*, ille parum ingenuus cauſae arbiter, epiſtolam ad epum *Conſtantienſem*, n. 195. et ad *Guidonem*, cardin. 196. *Innoc.* 2 epiſtola ad aepos remenſem, Senonenſem, et Bernhardum: mandamus, vt *Abaelardum* et *Arnaldum* de *Brixia*, in religioſis locis faciatis includi, et libros eorum comburi. *Gerhohus* ei tantum tribuit eam ſatis grauem et iuſtam ſententiam: ſacerdotes improbos non eſſe veros ſacerdotes. In ſcripto iſto, manifeſtatio haereſis Catharorum, quam fecit *Bonacurſus*,

qui

qui fuit quondam illorum magister Mediolani (in *spicilegio dacheriano,*) dicitur statuisse illos, Catharos et *Arnoldistas* in Lombardia: quod pro malitia clericorum sacramenta ecclesiae vitanda sint. Eius post mortem, alii discipuli clarius contra *inuocationem sanctorum* et *contra purgatorium* sententiam tulerunt. A. 1140 Magister quidam parisiensis, *Andreas*, qui in *Esaiam* scripserat explanationem, a *Richardo* S. *Victoris*, (prologo in libros 2 de *Emmanuele,*) arguebatur, quod sententiae Iudaeorum nimis fauerit; *Ecce Virgo pariet*; posuit obiectiones Iudaeorum, sed non soluit, et videtur eis palmam dedisse — in tantum, vt vsque hodie ex eius discipulis exsistant, qui illam prophetiam *non de beata Maria* quam potius *de prophetissa* dictam contendunt. Circa idem tempus Parisiis fuit controuersia de propositione: assumtus homo est deus; alii negabant; quia homo hic est id, de quo dicitur, et pro persona sumitur; sed Christus naturam, non personam hominis, assumsit. Etiam *Richardus* de S. *Victore* in pluribus locis docet: *mysterium trinitatis* naturali ratione demonstrari posse, vt *Mamertus*, viennensis presbyter, de statu animae c. 7 *Abaelardus*, *Henricus*, gandauensis, *Raymundus Lull*, de articulis fidei et de demonstratione aequiparentiae; atque vel *Thomas Richardum* in bonam partem interpretatus est. (Si ad historiam doctrinae attendimus, dubitari minime potest de hac re; sed illa omnis disciplina est varia nec ad fundamenta christianae doctrinae tum pertinet.) Quaestio de *immaculata conceptione* Mariae, in ecclesia lugdunensi agitata, atque a *Bernhardo*. Nempe hoc a. 1140 *festus dies* conceptionis Mariae in lugdun. ecclesia celebrari coepit; epistola *Bernhardi* 174; illa celebritas iam antea apud *Toletanos* et *Anglos* viguit. Quaestio fuit: vtrum a peccato originali praeseruata fuerit Maria in eo temporis puncto, quo anima corpus informauit; sic statuebant *lugdunenses*; an vero, non sine peccato originali concepta fuerit, *sanctificata* vero in vtero matris; hoc *Bernhardus:* an forte inter amplexus

xus maritales ſanctitas ſe ipſi conceptioni immiſcuit, vt ſimul et ſanctificata fuerit et concepta? — peccatum quomodo non fuit, vbi libido non defuit? Alii iam conceptionem actiuam et paſſiuam diſtinxerunt; nempe magni momenti erat, de talibus rebus chriſtianos ſtudioſius quaerere! Sub hoc tempus *Ioh. Sarisberienſis* in 4 libris metalog. refellit aliquem nouum reprehenſorem, qui grammat. rhetor. dialect. et philoſophiam inutiles ſcientias eſſe dicebat. — eloquentiam enim natura aut negat aut miniſtrat — Idem *Sarisberienſis* copioſe agit, de controuerſia, *ob uniuerſalia*, de modo vario, vniuerſalia cogitandi; *Ariſtoteles* a *Platone* differt — *De virginitate Mariae perpetua;* eam defendit, etiam in partu et poſt partum, *Godofridus* Vindoc. ſermone 4. — inſanum eſt credere, in partu portam ventris apertam ſed poſt partum ſtatim clauſam fuiſſe; hoc contradicit Spiritui ſancto, qui per *Ezechielem* dicit: *eſt porta in domo domini clauſa* et non aperietur — nihil prodeſt iis, matrem Chriſti credere virginem, niſi et *in partu.* Addimus nos, nec prodeſſe hilum, ſi *Godofredus* abbas hoc credidit; de inepta quaeſtione iam volumine 2, (de *Ratramno* corbeienſi,) copioſius narratum fuit. *Franciſcus Mayronius* in 3 ſentent. diſtinct. 4. qu. 1. a. 6. nouam viam reperit: fuit Chriſti corpus in vtero matris ſine *ordine partium in loco:* habuit ordinem partium *in toto*, ſed non *in loco* &c. o puſos pueros per tot ſecula in Chriſto! aut improbos potius ſanae doctrinae ſtatores. Talibus myſteriis nempe opus eſt ad ornandam religionem, et felicitatem humani generis! *Everuinus*, Steinfeldenſis praepoſitus, in litteris ad Bernhardum, narrat, de hominibus in pago *colonienſi*, qui *Apoſtolico more* ſe viuere dictitarint, eam hiſtoriam iam attigimus; exſtat Epiſtola in noua *Bernhardi* editione per *Mabillonium* tomo 1. p. 1487. Similiter *Heribertus* monachus, in epiſtola, omnes chriſtianos monet, vt caueant ab Apoſtolicis, qui in *petragorienſi regione* ſurrexerunt; (in analectis Mabillonii). *Oxonii* a. 1144 diſputatum fuit per *Nicol.* Albanienſem, *Galfri-*

fridum, monumethensem, *Laurentium* dunelmens. de *auctoritate* papae; de dignitate *ordinis monastici*, de immaculata conceptione Mariae, de fermento et azymo; sed documenta scripta non habentur; (antiquitates *oxon.* vniuersit. pag. 51.) A. 1148 Errores *Eudonis*, seu *Eon*; (iam descripsimus;) A. 1148 Remensis concilii sententia in Haeresiarchas *Guasconiae* et *Prouinciae*. Eodem tempore *Gilberti Porretani* epi *pictauiensis*, sententiae de deo multas turbas excitarunt, quia homo inde ab adolescentia philosophiae et exercitiis ingenii multam dederat operam. In conuentu *dioecesano* sermonem habuit ad clericos suos, in quo de trinitate quaedam noue dixit, quae a 2 archidiaconis reprehendebantur; iidem *Bernhardum* in partes trahunt; 4 capitula recensēt *Otto* Frising. qui haec satis copiose describit, lib. 1 de *Frider.* c. 46 seqq. Pluribus in *Synodis* Galliae ea caussa agitata fuit. *Acta* synodalia desiderantur; *Vasquez* autem e manuscripto codice, quem *Iac. Amiot*, antissiodor. epus misit ad Gregorium 13 istas propositiones excerpsit: 1. diuinitas non est deus, sed *forma*, qua deus est; vt humanitas, non est homo. 2. cum tres *vnum esse* dicuntur, non nisi *vna diuinitate* esse dicuntur; non conuerti potest, vt vnus deus vel vna substantia, vel vnum aliquid, pater, fil. et Spir. s. esse dicantur. 3. tres personae, *tribus vnitatibus* sunt tria, et distinctae proprietates tribus, quae non sunt ipsae personae, sed sunt res aeternae, et ab inuicem a diuina substantia in numero differentes. 4. natura diuina non est incarnata. Clarius describitur sic: 1. relationes et proprietates personarum aliud esse, ac ipsas personas, 2. tres personas non omnino idem esse ac diuinam naturam. Quod ad 1. attinet, *Gilbertus* dixit relationes in diuinis *assistentes* et extrinsecus affixas, (ex comparatione cum altero;) itaque aliis non credendum, qui dicunt, eum relationes personarum, velut quasdam res aeternas, ab ipsa natura dei distinctas, designasse. Vulgatior autem sententia, ad relationes tam referunt, esse *in*, quam esse *ad*; ille igitur tantum hoc posuit. Ad 2. an diuini-

uinitas, essentia, sapientia; bonitas, sit deus, hoc est, persona diuinitatem habens, (ita sumsit *deus*,) dicit igitur, bonitas &c. non est deus, seu non est ille, qui diuinitatem, bonitatem, habet. Pater *alio* est deus, *alio* pater, non vero alia res atque alia; non realem distinctionem hic inducebat: sed restat igitur, *forma* multiplex, ratio formalis, modalis eiusdem rei; alia formalis ratio essentiae, alia patris, alia filii, alia spiritus, relate ad essentiam. Hanc distinctionem multiplicis formae, reiecit synodus *rhemensis*. Additur apud d'*Argentré* p. 40 quaestio, vtrum opinio *Scoti*, de *formali* distinctione, quae *cum* inter diuinam naturam et ipsius virtutes, *tum* inter ipsas virtutes dei, in re insita sit, cum illo decreto Remensis concilii pugnet? dicit, quod implicite. Cogitemus vero, cui vsui sit ista molesta sedulitas! A. 1160 nouorum *Catharorum* errores, ad sectam Manichaeorum pertinentes. (ex isto *Bonacursо*, pag. 138 antea;) — quidam dicunt deum creasse omnia elementa; alii vero, diabolum; omnes autem conueniunt, diabolum diuisisse elementa, Adamum de limo fecisse, et angelum aliquem lucis in eo summa vi inclusisse — coniunctio Adae et Euae fuit pomum vetitum. Diabolus *Noae* dixit, ingredere in arcam; et Enoc transtulit; omnia facta vel dicta Abrahae, Isaac et Iacobi, a daemone esse; idem in rubo apparuit Mosi — e dictis *prophetarum* quaedam esse a deo, alia a diabolo. — Christus *videbatur* tantum esse et agere sicut homo — *crucem* esse characterem *bestiae* in *Apocalypsi*, et abominationem in loco sancto. *Siluestrum* fuisse Antichristum; ab illo tempore ecclesiam perditam — stellas esse daemones — venerunt etiam in partes *Germaniae* et Flandriae; aduersus eos a. 1164 *Eckbertus*, monachus *Schönaugiensis*, scripsit *sermones*, e quibus ista sunt: *Cathari*, muniti sunt *verbis scripturae sacrae* — cum essem canonicus *bunnensis* ego et sodalis meus *Bertulfus* saepe altercati sumus cum illis — Eos Germania nostra *Catharos*, Flandria, *Piphles*, Gallia, *Texerant* appellat, ab vsu *texendi*. Diuisi sunt contra se ipsos;

ipsos; imitantur *Manetem*; ex electis suis habent duodecim, quos appellant *magistros*, et tertium decimum, principem ipsorum; epos 72 qui ordinantur a magistris; et presbyteros et diacõnos, qui ab episcopis ordinantur. Qui non ad tantam perfectionem venerunt, vt *electi* possint dici, *auditores* vocantur. Mittuntur ex omnibus, qui idonei videntur — in occultis angulis et clanculum suam doctrinam tradunt. Abhorrent a matrimonio, quia primum fructum, quem deus vetuit, mulierem esse statuunt. — alii id coniugium tantum probant, quod est virginum, in quo vnam tantum prolem gignunt, et inde a se discedunt. — pariter dormiunt 2 viri et 2 mulieres, vt se inuicem custodiant — carnes non comedunt; paruulorum baptismum inanem esse; etiam baptismum aquae, et purgatorium reiiciunt; — veros sacerdotes non inueniri, nisi apud ipsos — de Haeresi *Poplicanorum*, a Nouempopulania, nuncupatorum, ex Msto *Radulfi* Cogeshalensis monachi, qui *Philippi*, Augusti, tempore scripsit: Guilielmus, aep. remensis, regis auunculus cum clericis suis obequitabat; quidam e clericis eius, Magister *Geruasius Tilleberiensis*, videns puellam aliquam in vinea solam, ad eam diuertit; cum eius pulcritudinem diutius attendisset, eam de amore lasciuo curialiter affatur; illa simplici gestu grauiter respondet — Intellexit statim clericus eam esse *de impurissima secta Publicanorum;* (Nempe, si feciſſet corporis sui copiam clerico, haud dubie honore *catholicae* gaudebat.) qui illo tempore vbique perimebantur, maxime a Philippo, comite Flandriae, *qui iusta crudelitate eos immisericorditer* puniebat. Superuenit iam Aepus, et puellam secum iubet in vrbem duci; quam coram clericis (nempe tam catholicis, ac ille,) alloquens et pro errore confutando argumenta proponens — respondit illa, se nondum sic instructam esse, vt possit refutare omnia, sed non defuturam quaerentibus magistram ipsius. Haec igitur sistitur Aepo: sed omnes auctoritates facile peruertit, et memoriter, tamquam omnium scripturarum notitiam esset adepta — re-

cluſae-

cluſae ergo fuerunt ambae in ergaſtulum — communi conſilio decretum eſt, vt *flammis concremarentur*, (quia ſine ſcelere et flagitio viuebant, nec opus eſſe putarent, caerimoniis publicis aliorum.) Iam igne accenſo, illa magiſtra dixit, o inſenſati! putatisne, quod me concremabitis? ſtatim glomum fili extraxit et extra feneſtram magnam proiecit, et cunctis audientibus dixit ſonora voce: *recipe.* Ad hoc verbum ſtatim a terris eleuata glomum cunctis aſpicientibus *extra feneſtram ſubſecuta* eſt, vt credimus, ſpirituum malignorum miniſterio ſubuecta; nec ſciri potuit, ad quem locum transportata fuerit. (Scilicet! vt muliebria illa miracula in montem *Bructerum* celebrari ſolita;) puella vero illa, nec rationum nec diuitiarum perſuaſione reuocari potuit; itaque igne conſumta eſt, *ſine fletu*, *ſine ſuſpiriis;* ſed omne incendii tormentum conſtanter et alacriter pertulit, inſtar martyrum Chriſti. Hae magnae nugae exſtant *in notis* ad *Guilielmum Neubrigenſem;* qui ipſe narrat lib. 2. c. 13 de his hominibus in Anglia. Similes nugas, quae hominum conſilia et ingenia produnt, ſcribit *Albericus* in chronico, ad a. 1160: prodiit in *Alamanniae* haereſis antea inaudita; creditum eſt, fuiſſe *daemones* vel animas malorum hominum. Apparebat quidam exercitus, quaſi multorum, habentium papiliones, et vbique praedicatores ſuos dirigentium; nemini volebant loqui, niſi antea guſtaſſet de conuiuio eorum. Epiſcopi vero catholici praemittebant nuncios, mandantes aliis, praecauere. Princeps in cuius terra reſederant, conſilium ab Epo loci requiſiuit; is dedit ei *partem ligni* dominici, et dixit: caue ex prandio aliquid contingas, donec omnia videris ante te poſita; poſtea extracto ligno dominico, in nomine patris, fil. et ſpir. ſ. fac ſignaculum crucis; iam, ſi quid poſtea inuenis, ſecure comedes. Is ſic fecit; ferebantur fercula carnium, piſcium — ſed poſt ſignaculum crucis inuenta ſunt *ſtercora* porcorum, aſinorum, et vina verſa in vrinas foetentes. Cum ergo princeps fere omnes detruncaſſet, ita annihilati ſunt, quod ex tunc latuerunt &c. Notabi-

mus

mus infanda mendacia sacra, quibus haereticis inuidiam conflatum ibant sacrificuli. Idem ille *Bonacursus* describit Haereticos, quos *Passagios* nominat, (in *Spicilegio* tom. 13 p. 75. tom. 1. edit. fol.) *Mosaicam* legem, Sabbatum, circumcisionem adhuc obseruari debere; Christum, filium dei, non esse aequalem patri; tres personas non esse vnam substantiam; omnes ecclesiae doctores, praecipue *Romanam* ecclesiam, damnant. Nempe *Ariani* in *Italia* nec superiora per tempora defuerunt. Narrat autem et *Lucas* tudensis ep. lib. 3. c. 3, contra Albigenses: in Hispania reperiri, qui se circumciderent; atque sub finem sequentis seculi *Nicol.* 3 in bulla ad omnes episcopos data scribit 1288: *quamplurimos* christianos veritatem cathol. fidei abnegantes se damnabiliter ad *ritum Iudaeorum* transtulerunt. Facile credimus, ex scandalis tam turpiter viuentium christianorum, et quod fere plus securitatis esset inter Iudaeos viuentibus, qui solebant sacrorum libertate vti. In decreto *Lucii* 3, contra Haereticos, Cathari, *Paterini*, *Humiliati*, Pauperes de Lugduno, *Passagini*, *Iosepini*, *Arnaldistae* perpetuo anathemati subiiciuntur — omnes etiam, qui praeter auctoritatem legitimam, *praedicare* publice vel priuatim praesumserint; qui de sacramento altaris, de baptismo, de peccatorum remissione, matrimonio, vel reliquis ecclesiae sacramentis aliter sentire et docere audent — Iam copiosae narrationes sequuntur (pag. 72 d'Argentré), de *Albigensibus* per seculum 13; additae sunt obseruationes 5; vltima est: tractatum de *haeresi pauperum de lugduno*, quem sine nomine *Martene* edidit tomo 5 thesauri noui anecdotorum, esse *ipsam summam Vuoneti*, (ordin. praedic. sub Gregor. X.) de Waldensibus, cuius mentionem facit *Franciscus Pegna* in Directorio inquisitorum *Eymerici*. Ingens autem fuit multitudo eorum, qui a publica sacrarum rerum corruptione alieni fuerunt; ingens multitudo eorum, qui *cruciatarum* immisso turpi exercitu, ob viuendi rationem integram vita priuati fuerunt; sed ista malignitas et publica atrocia non

parum auxit bonorum omnium indignationem; vt vix externam ſpeciem publicae religionis ſeruarint; non pauci vero religionis vim omnem tandem ex animo eiecerunt, caerimoniis publicis in miniſterium conſiliorum conuerſis, vt clericos ſuam in rem fallerent.

Waldenſes.

Ipſa antiquiora monumenta, quae ad hos homines meliori menti et vitae deditos, pertinent, collecta ſunt apud D'*Argentré*, pag. 82 ſeqq. Praeter *Lucii tertii* decretum, a. 1183, e quo paulo ante pag. 145 quaedam deſcripſimus, nomen occurrit *Wadoys*, (quaſi *Vaudois*) in *Odonis*, epi tullenſis, ſtatutis ſynodalibus a. 1192 (vid. p.) ipſum nomen *Waldenſes* exſtat in edicto *Ildefonſi*, regis Aragonum, a. 1194, additur, ſiue *Inzabbatatos*, *Zabbatatos*, qui ſe vocant alio nomine, *pauperes de lugduno*. Magiſtri *Alani* de Inſulis, qui ſub initium ſequentis ſeculi viuere deſiit, opus contra haereticos ſui temporis, in 4 partes diſtributum fuit. 1. contra Haereticos. 2. contra *Waldenſes*. 3. contra Iudaeos. 4. contra paganos. Dicebantur etiam *Leoniſtae*, ita nomen Lugduni ſolebat iam vulgo efferri. *Sabbatati*, Sabatenſes, (vt *Ebrardus* Bethuniensis ſcribit in libro, *Antihaereſis*) a Sabbata, potius, quam a Chriſto, volunt appellari; *ſotulares cruciant*, ſ. cruce ſignant; Sabbots, genus ligneorum calceorum. Operae pretium non eſt referre inepta ludibria nominis, a *valle denſa* ſeu *tenebris*; a *valle lacrimarum*: nam ſatis conſtat a *Petro* ex vico Waldo, *Valdenſi*, nomen hoc duci. Fuit is ciuis et mercator *lugdunenſis*. Robertus *Gaguinus* lib. 6 hiſtor. Francor. narrat, ſub *Ludouico 7* qui obiit 1179 ortam eſſe haereſin hanc a *Valdo* illo, qui ipſe opulentus erogatis in pauperes diuitiis Chriſti paupertatem imitari ſtatuit. Cum litterarum ignarus eſſet, obtinuit *ab eruditis*, *libellos aliquot gallicos* ſibi conſcribi, vbi nonnullae doctorum ſententiae inſertae eſſent. Iam docendi officium apud ſui ſimiles vſurpans — in Praelatos

ecclе-

eccleſiae praecipuo odio infeſtus. Poſt annum demum 1180 *ſchiſma* fecerunt. *Stephanus* de *Borbona*, ſeu de bella Villa, ordin. praedic. qui circa 1223 *Lugduni* in conuentu ordinis vixit, et librum de 7 donis Spiritus ſ. ſcripſit. Exſtat adhuc Mſtus libellus, e quo plura deſcripſit *Echard* et *Quetif* in bibliotheca FF. Praedicat. Operae omnino pretium eſt, hanc partem hiſtoriae non omnino infrugiferae hic repetere ex opere *D'Argentreano*. Narrat autem ille *Stephanus*: audiui, quod fuit nuper magnus princeps in *Aluernia* dictus *Marchio de monte ferrando*, acutiſſimi ingenii — qui bene per 40 annos curam poſuerat, *congregare libros omnium ſectarum*, per omnem orbem, quos diligenter legebat et legi ſibi faciebat. Cum autem eſſet infirmus, fratres noſtri eum viſitabant — et dixerunt ei, quod timor habitus fuiſſet de eo, ne eſſet haereticus, propter libros eorum — Verum eſt, reſpondit, curioſus fui, bene per 40 annos cum multis ſumtibus libros ſectarum omnium colligere et legere, quia videbam, quo plus ibi adſpicerem, plus in fide catholica roborabar — et in ſignum vilipenſionis, feci fieri ſcrineum ligneum, quod feci ponere ſub pedibus meis, quando ſedebam in ſede camerae *meae priuatae*, quando ſedeo naturae vile officium expleturus. Euangelia autem domini mei in multo honore ſeruaui. — fecit autem iſtos libros extrahi et in oculis ſuis comburi; — multis annis ante mortem ſuam, in memoriam paſſionis Chriſti, *cum quibusdam clauis carnem ſuam* ſingulis ſextis feriis vsque ad ſanguinis effuſionem configebat, portans ſtigmata domini Ieſu in corpore ſuo (forte antiquiſſima memoria talium ſtigmatum, extra religioſum ordinem;) — Audiui a quodam, qui dicebat, ſe interfuiſſe: in *Lombardia*, antequam fratres noſtri ibi praedicaſſent, quod in quadam ciuitate conuenerant haereſiarchae; *ſeptem* epiſcopi illorum quilibet ſuam ſectam aliis praeferebat. — In villa *Ioinuille* venit quidam haereticus, *transfiguratus ad modum alicuius baliſtarii*, qui mittebatur ad credentes eorum conſolandos; maior villae eum capi iuſſit; faſſus

eſt, per 18 annos ſe *Mediolani ſtuduiſſe* in ſecta *Waldenſium*, *firmans nouum teſtamentum corde* et multa veteris, per quae poſſet ſectam ſuam defendere — recognouit, quod bene nouerat apud *Mediolanum* 17 ſectas a ſe inuicem diuiſas et aduerſas; 1. *pauperes Spiritu*, *de lugduno*, Waldenſes, qui damnant omnes terrenâ poſſidentes. 2. pauperes de *Lombardia*, poſſeſſiones recipiebant. 3. *Tortolani*, ſemel tantum in anno, et in coena ſolum, poſſe confici dicunt a Magiſtro eorum ſolo; *tortellum* faciunt, de quo ab eo communicantur. Alii, qui dicuntur *Gebumrumque* (ſic) alii *Bnertpn*, a ſuis Capitaneis dicti. — Incepit autem ſecta *Waldenſium* in hunc modum, vt audiui a pluribus, qui priores eorum viderunt, et a ſacerdote illo, qui ſatis honoratus erat et diues in ciuitate lugdunenſi, et fuit amicus fratrum noſtrorum; qui dictus fuit *Bernardus Ydros*. Qui, cum eſſet iuuenis et ſcriptor, ſcripſit dicto *Waldenſi* Petro libros pro pecunia, in *Romano*, quos ipſi habuerunt; transferente et dictante ei quodam grammatico, Stephano *de Anſa* (aliis Emſa). — Quidam diues (Petrus Waldus) fecit pactum *cum dictis ſacerdotibus*, vt transferret alter *in vulgari*, alter vt ſcriberet, quae ille dictaret; quod fecerunt; ſimiliter *multos libros*, *biblia* et SS. auctoritates *per titulos* congregatas, quas *ſententias* appellant. Quae cum dictus ciuis ſaepe legeret, et corde tenus firmaret, propoſuit ſeruare perfectionem euangelicam; rebus ſuis venditis, in contemtum mundi pauperibus per lutum pecuniam ſuam proiiciebat, et officium Apoſtolorum vſurpauit, euangelium et ea, quae corde retinuerat, per vicos et plateas praedicando; multos homines et mulieres, vt idem facerent, ad ſe conuocando, firmans eis euangelia — qui etiam, tam homines, quam mulieres, idiotae et illiterati, per villas diſcurrentes, et in plateis praedicantes etiam in eccleſiis, ad idem alios prouocabant. — Iam interceſſit Aepus Lugdunenſis, qui prohibuit, ne ſe intromitterent *de ſcripturis exponendis* vel praedicandis. Sed recurrentes ad reſponſionem Apoſtoli,

Actor.

Actor. 5, 29 — Sic ergo *Waldenſes* ceciderunt in inobedientiam, demum in contumaciam, demum in excommunicationem. Inde expulſi ex ea terra, ad concil. quod fuit Romae ante Lateranenſe, vocati, *ſchiſmatici* fuerunt iudicati. Poſtea in *Prouincia* et *Lombardia* cum aliis haereticis ſe admiſcentes, haeretici ſunt iudicati. Captus fuit aliquando aliquis eorum maximus, qui habitum ſaepe transmutabat; habitum et ſignacula *peregrini;* baculum et ferramenta, *poenitentiarii;* fingebat ſe *ſutorem*, *barbitonſorem*, meſſorem; ſimiliter alii faciunt. Alii dicuntur *perfecti*, alii *credentes*. Fundamentum erroris eorum eſt, animam primi hominis eſſe diuinae ſubſtantiae portionem; ſeu fuit ipſe ſpiritus ſanctus; ſi peccat, egreditur, et intrat diabolus. Non eſſe *poenam purgatorii*; nec ſuffragia defunctis prodeſſe; tantum poſſe quemlibet bonum *in abſolutione* peccatorum, ſicut nos ponimus papam poſſe; ſolum deum abſoluere a peccatis. — quidam dicunt, quod ordo (docendi) requirit ſexum virilem; alii non diſtinguunt. Vidi *haereticam*, quae combuſta fuit, quae ſuper arcam, ad modum altaris parati, conſecrabat. Contemnunt *indulgentias*, conſecrationes eccleſiarum et altarium; (eſſe feſta lapidum) *coemeteria*, omnem enim terram a deo aequaliter benedictam. Dicunt, quod ii peccant, qui iudicium ſanguinis exſequuntur; homicidas eſſe, qui praedicant pugnandum contra Saracenos, Albigenſes; niſi contra albigenſes et Saracenos infernales, ſeu daemones. — ſufficit ad ſalutem, deo *confiteri;* exteriores poenitentiae non ſunt neceſſariae ad ſalutem. Dare clericis, eſt quaſi impinguare lardum; rident eos, qui luminaria offerunt ſanctis; et rident cantus et officium; eccleſiam romanam eſſe *meretricem*, Apocal. 17. Non peccant, qui laborant in feſtis ſanctorum, aut qui ieiunia ſtata ſoluunt, niſi propter ſcandalum aliorum. Eos peccare, qui *adorant crucem*, vel id, quod nos dicimus *corpus* Chriſti, vel *ſanctos*, aut eorum *imagines*. Quilibet bonus eſt *dei filius*, ſicut Chriſtus, de quo dicunt, quod non habuit animam aliam, niſi

deum seu spiritum sanctum.) Illam credunt veram *conceptionem* Christi, natiuitatem, passionem resurrectionem, cum per poenitentiam *bonus homo* concipitur, nascitur, resurgit — tunc sacramenta compleri, cum bonus efficitur homo; hunc esse *verum* baptismum, veram eucharistiam &c. *per istam spiritualitatem* fidem nostram plurimi in articulis et sacramentis annihilant. Alius testis *Petrus*, monachus *Valcernensis*, in historia Albigensium scribit: alii haeretici, *Waldenses*, comparatione aliorum haereticorum longe minus peruersi sunt: in 4 consistit error eorum; quod portant sandalia, more Apostolorum; quod dicunt, nulla ratione iurandum, occidendum; quemlibet eorum in necessitate, absque ordinibus acceptis, posse conficere corpus Christi. Scribit etiam *Reinerus*, in libro contra Waldenses: cum quidam ciuium lugdun. subito mortuus fuisset, aliquem (Petrum) sic territum fuisse, vt magnum thesaurum pauperibus erogarit, ad eum magna pauperum multitudo confluxit; quos docuit esse imitatores Christi et Apostolorum (in paupertate); cum autem esset aliquantum litteratus, *noui testamenti textum docuit eos vulgariter*. — dicunt, quod transsubstantiatio fiat *in ore* digne sumentis, et fiat per *verba vulgaria*. — damnant *coniugium*, si *absque spe prolis* conueniant.

Femina post partum non eget benedictione nec introductione; ecclesia errauit matrimonium clericis prohibendo, cum etiam orientales contrahant; tonsuram clericalem derident; *latinam* orationem Laicis nil prodesse; quicquid praedicatur, quod per textum Bibliae probari non potest, pro fabulis habent; sacra scriptura *in vulgari* habere eumdem effectum, quam *in latino*; decretales respuunt; canonisationes, translationes et vigilia sanctorum contemnunt — mysticum sensum in scriptura refutant, praecipue in dictis *et actis* ab ecclesia traditis; vt, quod Gallus super campanile significat doctorem. Multiplicationem festorum spernunt — Ista iam sufficiant; copiosius a nobis descripta, quia res praecipue ad vetusta documenta redit; e quibus

ista

ista desumta sunt. Iam nostrum non est, vt studiosius haec explicemus; facile enim apparet, bonam mentem et sanam rationem his hominibus non defuisse; vix aliquod supereſt capitulum theologicum, quod non correxerint aut reprehenderint; homines autem cum fuerint, facile credimus, etiam haec illa iis ad praestantiam et laudem summam defuisse. Ex *Vrspergensi* iam attigimus, Fratrum *minorum* et *maiorum* ordinem his Waldensibus et Albigensibus praecipue fuisse oppositum. Iam bonae mentis adiumenta et exempla secutis seculis deesse non potuerunt. *Innocentio* tertio quidam *Durandus de Osca* cum sociis *fidei confessionem* obtulit, (fuerunt ex *Insabbatatis,)* excitantur 3 symbola — *consilia euangelica* seruare proposuimus, orationi septies insistentes, dicendo quindecies pater noster — in communione *rom.* ecclesiae, a *Lugdunensibus* segregati, nisi reconcilientur — hos papa rescripto 1209 commendauit aliquot episcopis; licet hi suspicarentur, minus bona fide istos agere. In *disputatione* inter catholicum et *Paterinum* tomo 5 thesauri anecdotorum p. 1755, dicitur, aliquos statuere *vnitatem personae*, sicut essentiae &c. Iam pergimus in excerptis e corpore D'*Argentreano.*

A. 1171 circiter *Folmarus*, praepositus de *Triefenstein*, cuius iam supra mentionem fecimus, scripsit epistolam, qua de eucharistia nouam sententiam exposuit: sub vini sapore et specie me bibere veracissimum *spiritualis vuae* sanguinem, non dubito; sed *sine carne;* ita solam carnem Christi, sine ossibus sine membris corporalibus, sine humani corporis plenitudine, *sub panis sapore et specie* manducare me credo; nec *filium hominis*, sed *carnem* eius manducare; vbi caro Christi, ibi consequenter et Christus, totus et integer, non ad humani corporis, vt quidam, integritatem, sed *ad personae* Christi indiuiduam vnitatem, referendam. — Vbicunque enim Christus, est, etsi totum non est; *totus* erat in sepulcro, in inferno, sed *totum* non erat. — Postea a *Gerhoho* et abbate de Ebora eo adductus est, vt ista reuocarit; — angeli non intelli-

gunt, nedum homines; nec habet causam, nisi *primam, voluntatem seu potentiam creatoris* — *Parisiis* a. 1175 episcopus prohibuit celebrari *festum conceptionis Mariae;* serius demum locum ibi habuit. In academia *paris.* etiam negata fuit *assumtio Mariae* in corpore. *Ioachim* abbas Florensis contra Petrum *Lombardum* libellum edidit, quem haereticum et insanum dixit, quia lib. 1. sentent. statuerat, quaedam summa res est pater, fil. et spir. et res illa non generat, nec generatur nec procedit; Alexander 3 nihil pronuntiauit, vt scribit *Matthaeus* Paris ad a. 1179. postea vero 1215 Innoc. 3 Ioachimi libellum reiecit. *Eulogium* Magistri *Iohannis* cornubiensis ad Alex. 3, quod Christus est aliquis homo; quia in turonensi concilio quidam statuerint contrarium: Christus non est aliquis homo; secundum quod homo, non est aliquid; horum numerus iam creuit, itaque eos vult damnari. A. 1180 *Gualterus* de S. Victore 4 libros conscripsit contra 4 celeberrimos seculi magistros, P. Abaelardum, Gilb. Porretanum, Petrum Lombardum, et Petrum pictauiensem; labyrinthos Franciae vocauit et nouos haereticos. Exstat Mstum in bibliotheca s. Victoris. — eos 4 vno spiritu *Aristotelis* afflatos, dum ineffabilia trinitatis et incarnationis scholastica leuitate tractarent, multas haereses euomuisse. Habentur satis copiosa excerpta in *Bulaeo* tomo 2. atque d'*Argentreo;* hic et obseruationes aliquot addidit; *Gualterum* excedere limites legitimae reprehensionis; atque pag. 118 seqq. addit censuras aliorum doctorum in *Petrum* Lombardum, ab anno 1300. Errores abbatis Florensis monaster. in *Calabria*, *Ioachimi*, qui claruit post a. 1175 vsque in finem seculi; scripserat istum libellum contra *Petrum* Lombardum, de vnitate seu essentia trinitatis, quasi *Lombardus* hac ratione *quaternitatem* efficiat. Trium vnitatem esse eius generis, ac si homines multi dicuntur *vnum;* vnitate *collectiua*, ex Actor. 4. Ioh. 17. 1 Cor. 6. Hoc damnatum est in concilio *later.* 4. a. 1215. Exstat vero in *Eymerici* directorio inquisitorum protestatio *Ioachimi*, quam dicitur a. 1200 scripsisse; pro angustia

guſtia temporum non potui opuſcula ipſa, praeter librum concordiae (ergo, *expoſit.* Apocalypſeos, 8 titulis; Pſalterium decem chordarum, et paruos libellos, *contra Iudaeos* ſeu fidei aduerſarios) apoſtolico culmini praeſentare, *vt ab eo corrigerentur* — cui datum eſt omne magiſterium: rogo et praecipio, vt omna apoſtolico examini praeſentent, recipientes, mea vice, correctionem — Quae res parum fit veroſimilis; videtur potius poſt eius mortem illa proteſtatio ſuppoſita. Diſputatio in acad. pariſienſi ſatis vehemens, a. 1188 vtrum aqua vino mixta in ſanguinem Chriſti conuertatur; vid. *Baronius* et hiſtor. vniuerſit. pariſienſis tomo 2, ybi habentur litterae *Gaufridi*, monachi Claraeuallis, ad Henricum albanenſem cardinal. ſententia communis eſt affirmantium, in eam vero etiam pronuntiat narratio de miraculo illo, quod p. 78 deſcribebamus. Epiſtola *Odonis*, epi pariſienſis, pro abolendo *feſto fatuorum*, et pro reſtituenda ſolemnitate circumciſionis domini; habetur in appendice ad *Petrum* Bleſenſem, edit. pariſ. 1667 pag. 778. Guilielm. *Praepoſitiuus*, cancellar. pariſ. ſub finem ſeculi ſcripſit *ſummam*, in qua lib. 1 diſputat, an proprietates perſonarum ſint deus: ait, quia in diuina eſſentia eſt ſumma vnitas et ſimplicitas: Pater ab aeterno habet paternitatem; ergo pater eſt proprietas; ergo paternitas eſt deus; eum refutat *Thomas* I. qu. 32. art. 2. In chronico monachi *altiſſiodor.* 1182 narratur de daemonio, in villa dioeceſ. trecenſis, quod nemini nocuit, ſed ſeruitia domeſtica cuncta expleuit; (*Cobaldum* poſtea dixerunt;) cum ſacerdos aquam exorcizaret, ad expellendum, vas euertit. De ſpiritu *Hudeken* narrat *Trithem.* in chronico *hirſaug.* a. 1132.

Secta caputiatorum.

A. circiter 1186, narratur in hiſtoria eporum antiſſiodor. apud *Labbe* tom. 1. nouae bibliothecae. Exorta eſt in Galliis horrenda praeſumtio, quae plebeios vniuerſos trahere coepit in rebellionem ſuperiorum et *poteſtatum exterminium*;

minium; sub obtentu mutuae caritatis praestitis iuramentis confoederabantur. Huius consortes *confoederationis* telarum caputia cum signaculis plumbeis, quae *Mariae de Podio*, dicebantur, assumserant in characterem. Nullus timor superioribus potestatibus habebatur, sed in eam libertatem sese omnes asserere conabantur, quam ab initio creaturae se contraxisse dicebant — iam in tantam proruperant insaniam, vt promti essent assertore gladio libertatem degenerem sibi vindicare; (memoria repetamus *Monasterienſium* furores seculo 16.) Initium sectae 1182, vt narrat *Robertus* de Monte in appendice ad *Sigebertum*, qui originem sectae refert ad apparitionem aliquam *Mariae*. Sed iam manum de tabula; nec enim locus supereſt, aliis hic colligendis, quod sperabamus; paucis tantum attingemus atroces opiniones sacras, *de remiſſione peccatorum* per passagia. Solebat et papa id promittere; sed luculentius ille *Bernardus* abbas clarauall. in epistola encyclica, apud *Baronium* a. 1146. n. XI. — quam multi illic (in Palaestina) peccatores *veniam obtinuere*, postquam patrum gladiis eliminata est spurcitia paganorum. Videt hoc malignus et inuidet — Rem adhuc clarius dicit, *cluniacenſis* abbas, in Epistola ad hunc *Bernhardum* (apud *Harduin.* concil. tomo 6. parte 2 pag. 1295. — quem non moueat, si tam salubris peccatorum poenitentium *via* obice Saracenorum obstante, *claudatur*, *quae*, vt dignum est credere, innumera peregrinantium millia a quinquaginta iam annis *inferis abſtulit et caelo reſtituit*! O immanitatem sacram!

2. Sub orientem solem.

Inter *Graecos*, etsi publica et priuata corruptio non est obscura, tantum tamen sacrarum fraudum, ineptiarum et nugarum per hoc seculum non exstat, ac in latino orbe nobis continuo numero et sine fine occurrunt, quod attinet ad publicorum sacrorum ministros. *Nilum* aliquem haereſiarcham describit doctissima *Anna Comnena*, in Alexiade

xiade lib. X ab initio. *Itali* istius, quem Volum. 2. pag. nominabamus, disciplinam hic amplexus fuerat, castam virtutem prae se ferens. *Cpolin* venit atque ibi sacris libris voluendis se dedit, etsi ab eruditione graeca omni alienus; non defuerunt, qui eum magno iam numero sequebantur, squalore vestium et vitae asperitate, quam ille prae se ferebat, allecti, praecipue cum magnam scientiam diligentius occultare videretur. De *naturarum* Christi vnione homo commentandi materiam desumsit, φυσει humanitatem θεωθηναι sanxit. Imperator ipse hominem corripuit, exposito iusto doctrinae ordine, et τροπω της ἀντιδοσεως, sed nihil profecit, cum homo vel ad omnia tormenta sustinenda paratior esset, quam ad deponendam sacram superbiam. *Armenos* praecipue, quorum erat in vrbe non paruus numerus, homo pellexit, paratos iam ipsos ex vetusta consuetudine opinandi, in sacram nouitatem. Ex iis *Arsacem* et *Tigranem* aliquem maxime in sententiam traxit; itaque, concilium fieri iussit, *Nilumque* cum Armenis comparere; contumacem hominem anathemate repressserunt; cum eo et *Blachernita* sacerdos damnatus fuit, qui similium dogmatum stator fuerat. Libro autem 14 patrem studiosissima filia *Apostoli* honore augendum esse statuit, qui cum *Manichaeis*, qui *Philippopolin* (eo ex Asia translati fuerant,) et omnia loca circum suis institutis late impleuerant, vel seram in noctem colloquia habere solitus fuerit, adiutore *Eustratio*, olim patriarcha, et Nicaeae praesule, dialecticae peritissimo, etiam *Nicephoro*, Caesare. Multos Manichaeos his studiis ab errore reuocatos sacra publica subiisse; sed et multos pertinaces mansisse. Libro XV venit ad *Bogomilorum* descriptionem; quorum familiam ex *Manichaeis* seu *Paulicianis* et *Massalianis* dicit compositam, iam ante *Alexium* quasi in cunis adhuc succreuisse; tandem quasi caput extulisse. Homines describit: squalorem et tristitiam in vultu et habitu prae se ferunt; τριχα κοσμικην vix vmquam videris βογομιλιζοντα, sub mantello et cucullo se haeresis abscondit; caput demittunt,

ad

ad naſum vsque inuoluti ὑποψιθυριζει το σομα. *Baſilius* quidam monachus 12 diſcipulos apoſtolorum omne miſit, etiam mulierculas diſcipulas, quaqua verſum. Captus igitur fuit aliquis ex iſta ſocietate *Diblatius*; qui cum fateri nollet, tormentis fuit addictus; ita confeſſus eſt de *Baſilio* &c. Comprehenſus fuit *Satanaelis* ille archiſatrapa. Imperator blanditiis hominem expugnat, etiam menſae regiae eum admouens, patremque τιμιωτατον appellans. His ille artibus inductus arcanam doctrinam tandem profert; ſedebat ſcriba vltra velum, qui celeriter litteris excipiebat. *Naturam Chriſti diuinam*, θεολογιαν, παρεβλεψατο, et οἰκονομιαν ἐφαντασε; templa dixit eſſe daemonum; reprehendebat ſacrificium altaris — velo tandem reducto, Imperator abiicit diſcipuli perſonam; iam *Baſilius* eo fortius iſta defendere, praeſente patriarcha, *Nicolao* grammatico; nullisque intentatis ſuppliciis terreri. Sed foeda ſectae myſteria, *Anna* ob ſexus ſui verecundiam ſilentio tranſit; lectorem ablegans *ad panopliam dogmaticam*, quam *Alexii* iuſſu ſcripſerit *Euthymius*, monachus *Zygabenus*; is fuit *Grammaticus* ſummus, rhetor et theologus doctiſſimus. Imperator decretum edidit, flammis omnes tradendos eſſe; vt eo facilius ſectatores detegeret; duplicem rogum fieri iuſſit, alium *cum cruce*, alium ſine cruce. Ita enim exiſtimabat, fore, vt boni chriſtiani, quos accuſatio ceteris immiſcebat, crucem morituri amplecterentur. Hos honeſte dimiſit; nec *Bogomili* iſti, qui ſponte rogum praeferebant vitae per abiurationem ſententiarum ſuarum redimendae, illo tempore combuſti. Quidam reſipuerunt; alii in carcere mortui; *Baſilius* ille combuſtus fuit; a plebis autem violentia ceteri fuerunt defenſi; in carcere tamen moriendum fuit plerisque. Sed iam ex iſta *Euthymii* deſcriptione quaedam addemus; edidit *Iacobus Tollius* inter inſignia itineris italici pag. 106 ſeqq. *Euthymii* ἐλεγχον και θριαμβον impiae ſectae *Maſſalianorum*, qui et *Phundaitae*, (ſcripſit Tollius nota 1. φενδαγιαγιτων, ſed ſine auctoritate; ſemel apud *Lambecium*

eſt

est φενδαϊτων; sic autem nominantur a φενδα, bursa, zona ventrali;) et *Bogomili*, (*bog*, Slauonica seu *bulgarica* lingua, *deus*, et μιλεϑι est, ἐλεησον, quam sententiam, *deus miserere*, semper efferebant,) nec non *Euchitae*, Enthusiastae, Encratitae et Marcionitae. *Basilium* medicum fuisse; isto autem adhuc tempore, quo scripsit *Euthymius*, per omnem vrbem et prouinciam late dissemina-tam fuisse eam haeresin. Sequuntur *anathematismi* 14; pauca insunt notatu digna. *Tychicus* aliquis Euangelium *Matthaei* corrupit. *Esaiae* aliquam visionem scripserunt, e qua *trinitatem aliam*, praeter eam catholicorum, didicerint; n. 7 *eam sententiam*, quam ecclesiae luminaria *addiderunt* Matth. 6 (tuum est regnum &c.), omittunt; (notemus claram hanc narrationem, *additionem* esse hanc doxologiam, quam tamen quidam nuperi scriptores defensum eunt;) 9. qui ecclesias dicunt esse opera manuum et daemonum habitacula, *imaginumque* cultum reiiciunt. 10. baptisma nostrum meram aquam esse. 11. qui *crucem furcam* nominant. 12. participationem corporis et sanguinis Christi esse tantum panis meri et vini. Ipse *Euthymius* in Panoplia titulo 23 aduersus *Bogomilos*, (pag. 56. edit. Venetae) copiosius describit omnem disciplinam; *septem* duntaxat recipiunt libros sacros, *Psalterium*; 16 prophetarum librum, Euangel. Matthaei, Marci, Lucae, Iohannis, Acta apostolorum cum omnibus epistolis, et apocalypsin; *Mosis libros* et alios reiiciunt. Patri tribuunt *tres* istas *appellationes*, vt Sabelliani. filium et spiritum s. principium extrinsecus habuisse, eosque in patrem rursum resolui. *Satanael*, filio, verbo, maiorem esse; multae nugae, de cosmogenia; tandem deus *eructauit* verbum, Archangelum *Michael*, post annum mundi 5500; Iesum hunc Mariae per aurem dexteram intrasse, etiam per eam exiisse, Maria inscia. — si quis ad hos transit, eum rebaptizant — suam synagogam nominant *Bethlehem*, nostram vero ecclesiam *Herodem* interpretantur; nos etiam dicunt Pharisaeos et Sadducaeos; *beatitudines* Matth. 5 Chri-

Christum omnes de *Bogomilis* dixisse — *Scribas* vocant omnes litteratos, quos in disciplinam nolunt admittere. *Basilius* ille docuit annos amplius XL. Multarum sententiarum biblicarum affert *Eythymius* explicationes, quas tribuit *Bogomilis*. Nos iam pluribus opus esse non putamus; fuerunt in hoc hominum numero aliqui bona mente, aliis vero consilium diligens et malignitas non defuit; non ignotae sunt commentationes *Heumanni*, *Wolfiique* de *Bogomilis*. Compescuit *Andronicus* omnes *disputationes theologicas*; adeo, vt episcopum Patrarum, et *Cinnamum Ioannem* de illo carmine disputantes, *pater maior me* est, grauiter obiurgarit, minatus, in Rhyndacum amnem se proiici eos iussurum, nisi desisterent; (*Nicetas* lib. 2 in Andronico pag. 175 edit. Venetae.) Odia autem in *Latinos* maxime hoc seculo succreuerunt; de qua re iam antea monuimus. *De vsu Azymorum* in confectione Eucharistiae *aduersos Graecos schismaticos*, habetur *Natal. Alexandri* dissertatio XI.

CAP. V.

De statu eruditionis et scriptoribus.

Quod ad Graecorum attinet eruditionem, non desunt documenta, *dialectices*, *rhetorices*, *historiaeque* et *theologiae* studia non defecisse; vel idem *Andronicus*, cuius commodum fuerat mentio facta, eruditos prope se versari voluit, muneribusque eos multis ornauit. De *Latinorum* vero studiis quaedam commemoranda sunt, quae hic legi sit operae pretium. Hic primum omnium ex *Alberti* abbatis stadensis, *chronico* quaedam describo, quae seculi indolem facile produnt. Postquam ex *Hildegardis* carminibus multa ille excerpserat, sequitur disputatio satis longa, a pag. 178 - 188, in editione *Reineccii* 1589. 4. quae omissa est in editione *Schilteri;* itaque nec ad historiam eruditionis huius seculi illustrandam ab aliis adhibita fuit.

Eo

Eo tempore ſederunt 2 iuuenes litterati, curiales et curioſi, in vigilia natalis domini, inter ſe diſputantes, vnus *Firri* alter *Tyrri*. Si vixiſſes, quantum vixiſti, et adhuc tantum, et dimidium tantum, et dimidium dimidii, centum annos haberes, quot annorum erat ille? XXVI et duarum partium vnius anni. Solutio problematis — Aliud: ſex denarios inter tres diuide, quocunque modo velis; dicam tibi, quantum quisque habeat; Firri diuiſit, inſcio ſocio; *Tyrri* reperit accurate, et regulam exponit, quo id modo ſciri poſſit. Iterum *Firri* ait, tres frates erant in Colonia habentes vaſa vini 9; nonum 9, octauum 8, ſeptimum 7, ſextum 6, quintum 5 habuit amas, (numerus *ſextus* falſo deeſt,) diuide vinum iſtud, vaſis non fractis, inter tres. Fecit *Tyrri*, &c. ſic ſaepe alter alteri proponit arithmeticos aenigmatiſmos; ſequuntur alii, qui ad conſanguinitatem pertinent; porro *itinerarium Romanum*, de *Stadio* — inter ciuitates Germaniae, *Northuſen* dicitur *Regis* eſſe; — iter trans mare verſus *Ieruſalem* — per *Lucebonam* — vix aliquos vidi, imo numquam, qui redierint de ſanctorum liminibus meliores. Multo autem ineptiora habentur in Epiſtola *Conradi*, Hildeshem. qui ſe imperialis aulae et regni Siciliae legatum (*cancellarium*, alibi) ſcribit; quam *Arnoldus* lubec. inſeruit libro 4. c. 19 qui multa ex latinis poetis illuſtrare auſus fuit, et narrat de ampulla vitrea, magica arte a *Virgilio* incluſa, et de *equo aereo*, magicis artibus a Virgilio compoſito, vt nullus equus poſſit redorſari, cum tamen ſit illi terrae (*Neapolin* deſcribit,) de vitio naturali proprium, vt ante equi illius compoſitionem, et poſt eius quantulamcunque corruptionem, nullus equus ſine dorſi fractura poſſit equitem aliquamdiu vehere; multa huius generis alia hic leguntur. De *ſcholis* non compilabimus ex corpore benedictinorum, hiſtoire litteraire de France, tom. 9 aut ex hiſtoria vniuerſitatis *pariſienſis Bulaei*; obſeruamus autem, de mercede *pro ſcholarum regimine* habetur *Alexandri* 3 decretum apud *Harduinum* p. 1478, quod miramur *Harduinum* etiam in 3 appendice pag. 1563 repetiiſſe,

tiisse, cum sit plane eadem epistola ad legatum in Gallia; ex registro *Alexandri* tomo 2 collect. amplissimae, pag. 730 discimus, capitulum *catalaunense*, exegisse pecuniam certam a scholasticis clericis, qui volebant alios docere, id prohibet papa, praecipue, si clerici extra muros ciuitatis aliis legere voluerint. Eiusdem epistola 285 ad omnes episcopos *Gallicanos* eamdem prauam consuetudinem reiicit, pag. 853. Ex epistolis inter *Wibaldinas* multae huc pertinent; praecipue 147 liberalem abbatis eruditi mentem describit: discipuli magistrorum sententias tuentur, non quia verae sunt, sed quia amant auctores. Schola aduersus scholam debacchatur odio vel amore magistrorum: clamore defendunt, quod ratione non possunt. *Ciceronem* legit, et multos scriptores veteres, vtriusque orationis. Huc et pertinet epistola 206, qua *Hildeshemensi* praeposito mittit *Origenem* in cantica canticorum, et pro *A. Gellio noctium atticarum*, quem ad praesens nequaquam habere potuimus librum, quem *stratagematon* vocant; idem abbas mandauerat, vt quisque sui monasterii *chronicon* congereret aut continuaret, vid. appendicem pag. 621. De Philosophiae et graecae linguae studio iam antea quaedam attulimus documenta; *Paullinius* in chronico *Huxariensi* pag. 16 seqq. huius *Wicbaldi* curam circa *scholas* eximie collaudat; et pag. 19 nominat rectorem *Michael Borgman*, bonum *latinistam*, meliorem *graecum*, optimum *Ebraistam*; musicum etiam et poetam. Ex *Godofredi* monachi annalibus a. 1174, huc addo: apud *Anturnacum* quidam fodientes, corpus *Valentiniani* imperatoris inuenerunt, sicut in *superscriptione denarii*, qui vna secum repertus est, continebatur. Ad caput quoque eius corona, ad pedes vero vrna; ad latus autem gladius rubigine peresus, aureum habens capulum, et lapidem *Victoriae*, est inuentus; gladius imperatori ad inspiciendum delatus.

De ſcriptoribus latinis.

Nempe et iſta breuiter tantum hic colligemus, quae videntur noſtra memoria praecipue digna; ſicut ſilentio tranſiuimus *ſcholarum* et eruditionis illum in Gallia ſtatum, quem *benedictini* auctores hiſtoriae litterariae Franciae ſatis verboſe deſcripſerunt, tomo 9, a pag. 1 - 225; laudibus non parcunt hi auctores, quia hoc ſeculum venuſta ingenia magno numero oſtendat; quam cauſſam facile patimur vnumquemque arbitrari vt velit; nos *Abaelardum*, *Porretanum* et paucos his ſimillimos laudamus, qui ſuo ipſi ingenio, ad rem communem ornandam, vti auſi ſunt; ceterorum plerorumque eſt ſatis moleſta et fere inutilis diligentia. Nempe, cum plerique ſcriptores aut fuerint ipſi monachi, aut monachorum diſcipuli: facile intelligimus hos vix ſapere didiciſſe, praeter vulgatum iſtum modum. Niſi putemus ſcriptores, qui libros ſacros explicare voluerunt, tamen proficere aliquid potuiſſe, quibus impune non licebat, ſi maxime vellent, a Iudaeis magiſtris *hebraicae* linguae aliquid addiſcere; ſic inter ſtatuta *Ciſtercienſium* anni 1198 num. 24 (pag. 1292 tomo 4 theſauri noui) exſtat: de monacho *Populeti*, qui a quodam Iudaeo litteras hebraicas didiciſſe dicitur, abbati Clareuallis committitur, *vt inquirat et corrigat.* Eccui autem placebit reſponſio *Ottonis*, epi Friſingenſis, hominis profecto iſto tempore eruditiſſimi; cum *Wibaldus* ille liberalis abbas quaeſiuiſſet, (epiſtola 354 tomo 2 ampliſſ. collect.) *quomodo ad adſcenſionem domini* referri valeat, quod in pſalmo legitur, *tollite portas*, principes, *eleuamini portae aeternitatis; quis eſt iſte rex gloriae* — ille epus ablegat *ad gloſſas pſalterii*; virtutes caeleſtes hic colloqui de myſterio carne induti — angeli praeeuntes ad infernum dicunt, tollite, *auferte portas* mortis; quae a diabolo poſitae ſunt. Alium ſcriptorem iam pag. notauimus male acceptum, quaſi Iudaizantem, cum de Ieſaiae 7 dubitaret. Legat autem aliquis tam multa ſtatuta *conciliorum*, et *ciſtertienſium* (in-

de ab a. 1134. 1152. 1157 cet. tomo iſto 4 theſauri noui,) et quaerat, an vel aliquid adiumenti ſtudiique inueniat, ad liberalem eruditionem? Plurima ad rem domeſticam, oeconomicam; multa ſatis craſſa atque inepta. Tres omnino ſcriptores nominant benedictini illi auctores, ex tanto illorum numero, qui iter ſacrum in Palaeſtinam ſuſceperant, qui arabicae aut graecae etiam linguae diſcendae opportunitate vſi ſunt; *Wilhelmus*, tyrius ille aepus, arabicis etiam commentariis vſus fuit, quorum ei copiam fecit rex *Almaricus*; ſecutum ſe maxime dicit *Seidum*, *Ebn Patrik*; ſed ad iſtam hiſtoriam belli ſacri, fatetur nec graecam nec arabicam ſe habuiſſe ſcripturam praeeuntem; (in praefatione operis;) Alter eſt *Philippus*, Clericus *Guidonis*, epiſcopi tripolitani, qui huius iuſſu ex *arabico* in latinum transtulit epiſtolam *Ariſtotelis* ad Alexandrum (*Secretum ſecretorum Ariſtotelis;* ineptam ſcriptionem;) tertius *Adelardus*, Bathonenſis anglus, Elementa *Euclidis* et librum aliquem de *Aſtrolabio* latine transtulit; *Rudolfus* aliquis *Ptolemaei planiſphaerium* ex arabico latinum ſcripſit. *Hiſtoricorum* ingens eſt numerus, ſi quidem nomen fere ſine omine placet; plerique ſcriptores monaſteriorum chronica compilarunt; multi vitas ſanctorum, Abbatum &c. ſed niſi epiſtolarum et monumentorum aliorum nobis ſupereſſet copia, verae hiſtoriae et vtilis parum haberemus. Operae vix eſt pretium, quod artis criticae miniſteria etiam colligere voluerunt benedictini illi; *Correctorium bibliorum*, quod Ciſtertienſibus debetur; epiſtolas *Hieronymi* aliquis emendauit, et *Plinii hiſtoriam naturalem* Robertus, abbas ſanctis S. Michaelis (*Guibertus* de Nouig. in appendice; hic idem auctor de Epiſtola Chriſti ad *Abgarum* dubitauit, contra Euſebium;) *Poetarum* vero fuit *latinorum* illa exercitia nobis parum placent; eorum vero ingens numerus, quia ſi quis metro vtcunque verba aptare auderet, habebat huius nominis honorem; aenigmata, epigrammata, ſatirae, leonini verſus — ſed et comoediarum et tragaediarum exercitia non deſunt, vt narrat de *Guilel-*

mo

mo blesensi, *Petrus* blesensis ep. 95. *Bernardus Pezius* in corpore anecdotorum parte 3 p. 186 seqq. narrat, multa huius generis se poemata reperisse inde ex hoc tempore, sed non putauit operae esse pretium, vel exemplum in lucem proferre. In lingua *romancica* historiarum noua simulacra multa iam solebant informari; catalogum Francicorum scriptorum satis longum confecit *Gallandus*, in *historia academ. inscriptionis*; tomo 2 pag. 728 seqq. *Prouinciales* autem poetae Bardorum illud instar referebant. *Philosophi*, praeter bellum inter *reales* et *nominales*, (hi vsque ad finem seculi 15 durarunt,) ipsi illi *Realistae*, inter se diffidebant, de *vniuersalibus*; vt parum vtilitatis ad rationis sanae exercitium inde redundarit. *Petrus*, *Alfonsus*, ex Iudaeo christianus qui a rege Hispaniae *Alfonso* id nomen baptizatus adsciuit, scripsit *dialogum aduersus Iudaeos*, saepius editum; clericalem disciplinam; et *Dialecticam*, a *Gennadio* seu *Scholario* graece translatam. *Hildeberti*, cenomanensis epi, et *Epistolae* habentur, et poemata non pauca, quae inter sunt, quae lectori satis placere possunt; opera omnia edidit cum *Marbodi*, redonensis epi opusculis, *Beaugendre* e congregat. S. Mauri, 1708. paris. fol. 121 epistolis accesserunt aliae quaedam; 140 sermones &c. *Berengosus*, abbas trenir. S. Maximini, lib. 3 de laudibus S. crucis; de mysterio ligni dominici; de reliquiarum veneratione; videtur *Oudino* non inepte auctor esse *commentarii in Apocalypsin*, qui inter *Ambrosiana* solebat reperiri; habentur certe libri, qui *Berengadi*, *Berengaudi* nomen prae se ferunt. *Gilbertus*, ex diacono *antissiodorensi london.* epus, *vniuersalis* appellatus, scripsit *glossam* in vtrumque testamentum, commentarium in Iobum et threnos Ieremiae, etiam in aliquot Psalmos. *Guibertus*, abbas Mariae de *nouigento*, multa scripsit; edidit *D'Acheri* in vno corpusculo; lib. X in genesin moralia; in *Oseam*, *Amos*, *threnos* tropologiae; aduersus *Iudaeos*, de incarnatione; epistola, de *buccella* Iudae data; de laude Mariae; histor. *Hierosolymita-*

nae Francicae libri 9. *Monodiarum*, seu vitae suae libri 3. In Mstis adhuc vidit *Oudin*, commentar. in *Abdiam* prophetam; in *Ionam*, *Micheam*, *Zachariam*, *Ioel*, *Nahum*, *Abacuc*, *Sophoniam*. *Hermannus* praepositus cappenbergensis, *Iudaeus* natus, per *monaster.* epum et *Rupertum* abbatem Tuitiens. ad sacra christiana traductus; scripsit *opusculum de sua conuersione*, quod ad *Martini* Pugionem fidei adiecit nouus editor *Carpzouius*. *Hugo Metellus*, canonicus *Tullensis*, reliquit *Epistolas* plures, quas operae videtur pretium luci exponi publicae; ep. 40 ad *Humbertum*: simul in *Grammatica* desudauimus, simul in castris *Aristotelis* militauimus; in *Tullio* simul declamaui tecum; in *arithmetica*, numeraui tecum; in *Musica* musaui tecum &c. Epistola 21 inscribitur: *Embriconi*, venerabili *Herbipolensi* praesuli et *Duci*, *vtriusque officii* dignitatem digne deo administrare. Epistola 26 respondet ad quaestiones 1. vtrum quotidie debeat sumi corpus Christi. 2. Si sit verum corpus Christi, quod sacratur in altari, an *figura corporis* in caelo regnantis. Respondet ad hanc secundam: diuersorum sunt diuersae sententiae — Augustinus dicit: ad quid paras dentem et ventrem? crede et manducasti — loquitur de spirituali, non de sacramentali comestione; de *re* sacramenti, non de sacramento — Eiusdem argumenti est epistola 33: *Gerlando*, scientia triuii et quadruuii honorato et onerato — apud *Mabillonium* in *analectis*. Epistola 41 reprehendit *Praemonstratensium* insolentiam; hic *Oudinus* hodiernos eius ordinis sodales, venustulos, in crinibus meretricio puluere conspersis, exagitat. *Stephanus*, epus Augustodun. auctor tractatus de sacramento altaris, aliquoties editi. *Hugo* de *Folieto*, prior S. Laurentii, tandem cardinalis, scripsit libros 4 de *claustro animae*; huic certe non sine ratione vindicat *Oudinus*, non Hugoni *Victorino*. Librorum 4 de *auibus* et *feris* seu bestiis, non est vnus auctor; *primus* huius esse creditur, sublectus fere ex *Damiani* opusculo 52. libros 4 de *vanitate* mundi, et *quinque*

de

de arca myſtice ſeu moraliter, eidem *Hugoni* tribuit *Oudinus*, quos ſolebant *Victorino* adſcribere. *Speculum peccatorum*, quod olim inter *Auguſtiniana* impreſſum fuit, eſt eiusdem *Folietani*; etiam libri 2 de nuptiis carnalibus, ſeu vnicus, vt in Mſtis, de nuptiis fugiendis. *Herueus*, burgidolenſis monachus in dioeceſi bituricenſi multos libros praecipue *commentarios* in SS. congeſſit; multi *Anſelmi* cantuar. nomine olim in lucem emiſſi (vid. hiſtoire litteraire de France tom. 9 pag. 442. 444.); alios quidam *Herueo* Britoni, ordin. dominic. dabant; legenda epiſtola encyclica monachorum burgidolenſis abbatiae, quam ex d'*Acherii* ſpicilegio repetiit *Oudin.* *Mabillonius* in annalibus tomo 6 append. p. 719 edidit eius librum, *de correctione* (ſic legendum pro *connexione) lectionum* in officio diuino. *Robertus Pullus*, *Pollen*, *Pollenus*, profeſſor pariſinus cardinalis poſtea, quem primum ex Anglis recenſent, praeceptor *Iohannis* Sarisburienſis, inſtaurator academ. *oxonienſis;* ad quem *Bernardus* illam epiſtolam ſcripſit, quae ſolet inſcribi, ad *Rolandum* (nempe R. primam litteram, vt ſaepe fit, falſo interpretabantur,) cardinalem et cancellarium; *Rolandus* iſte poſt Robertum romanae eccleſ. cancellarii honorem habuit. Eius theologicum corpus, *ſententiarum* theologicorum libris 8, edidit *Mathoud* ex ordine Bened. S. Mauri, 1655 fol. Praeiuit hoc opere *Petro Lombardo*, minus tamen quam hic auctoritatibus patrum, plus potius rationibus et argumentis tribuit. De operibus *Hugoni*, de S. Victore, ſeu Victorino tributis, ſcripſit *Oudinus* diſſertationem tomo 2 pag. 1140; confer. *Leibnitii* praefatio ad chronicon *Alberici* monachi; ex monaſterio *Hammerslebe pariſios* miſſus, tandem prior S. *Victoris* ibi factus eſt. Editioni operum eius 1526 adiectae erant *cenſurae*, quae deſunt editioni 1648 Rothom. cui etiam deeſt prologus, libri *de anima* Chriſti, ſeu *de ſapientia* Chriſto et Chriſti, ad Magiſtrum *Gualterum*, de Mauritania. De libris 24 *excerptionum*, noſtrum non eſt deſcribere ex *Oudino; Miſcellanea* hunc

Victorinum vix habent auctorem; inter ea est eius epistola ad *Iohannem aepum* Hispalensem, qua eum increpat, *quod a fide christiana* ad Saracenos defecerat; eam *Baronius* etiam edidit anno 1136; libri 3 de caerimoniis, sacramentis, officiis ecclesiae, sunt *Roberti* Paululi; *Canon* de Missae ordinibus, non est huius auctoris &c. Alia dissertatio pag. 1161 de scriptis Petri *Abaelardi;* de vita sua ipse exponit *Abaelardus in historia calamitatum* suarum; editio (Andreae Quercetani) operum eius 1616 in 4 praeter aliquot epistolas, habet, *Apologiam* eius; expositionem orationis dominicae, Symboli apostol. et *Athanas.* librum aduersus haereses; commentar. in Epistolam ad *Romanos* libris 5, *sermones* sacros XXXII. introductionem ad Theologiam seu de *trinitate* libris 3; tertius est mutilus; ex hac introductione multa sumsit Petrus Lombardus; *sententias* seu librum *sic et non* habuit etiam *Martene*, (qui in thesauro nouo anecdotorum tomo 5 edidit exposit. in *hexaemeron* et *theologiam christianam*,) sed noluit eam in lucem proferre, ob scandala; e Mstis recenset *Oudinus* multa alia; *Logicam*, *ethicam;* collationem philosophi cum *Iudaeo*, et eiusdem cum *christiano*; de sacramento altaris; super praedicamentis Aristotelis; Analyticorum; topicorum; hypotheticorum; de definitionibus; poemata quaedam (de *trinitate* edidit Martene in collectione amplisf.) glossas in Ezechielem; in Psalterium; librum *nosce te ipsum*, quem edidit *Pezius* tomo 3 parte 2 anecdotorum, negauit suum esse Abaelardus. Eruditissimus omnino scriptor; cuius ingenii si plures exstitissent, ineptam monachalem religionem vel centum *Bernhardi* non potuissent defendere *Benedicti*, canon. S. Petri rom. librum de ecclesiastico ordine totius anni, praecipue apostolicae dignitatis, edidit *Mabillon.* in museo italico. *Petrus Mauritius*, cluniac. abbas, *venerabilis* dici solitus; eius habentur libri 6 epistolarum; epistola ad Petrum de S. Iohanne, contra eos, qui dicunt, *Christum* numquam se in Euangelio aperte *deum* dixisse; tract. aduersus *Iudaeos;* ep. ad Bernhardum abb. clarau.

de

de translatione *Alcorani* ex *arabico*, quam fieri curauit a. 1143. Summula contra haereses et sectam Saracenorum seu Ismaelitarum (in *collectione* ampliss. tomo 9); epistola aduersus *Petrobrusianos*; exstant ista opera Ingolstad. 1546 in bibliotheca cluniacensi, et in biblioth. patrum, minora alia hic non commemoramus. *Oudinus* iam notauit, falso *Fabricium* nomine Petri Mauritii *Senonensis* edidisse (in bibliograph. antiquar. primae edit.) quasi ineditum, carmen de sacrae missae ritibus; est *Hildeberti* cenomanensis, saepe excusum. Dissertatio de *Gratiano* et decretorum collectione *Oudin* pag. 1202 seqq. Opus hoc, *concordantia discordantium canorum*, ad finem perduxit in Abbatia S. Felicis Bononiae a. 1151 auctor *Gratianus*, monach. benedictinus. Opus *tribus* distinctum *partibus*; 1) *distinctiones* 101. 2) *causae* 36 quae per quaestiones porro variae diuisae sunt, causae 33 qu. 3 solent adhaerere tractatus de *poenitentia*, 7 distinctionibus constans. 3) de *consecratione*, distinctionibus 5. Fabulae iam loco est, quod quidam olim narrabant, de tribus fratribus, ex adulterio matris: hoc Gratiano, Petro Lombardo, et Petro Comestore. Varias eruditorum hominum sententias de operis huius ingenio atque auctoritate nostrum non est hic describere; vid. *van Mastricht in historia iuris ecclesiastici et pontificii*, de vitiis autem et erroribus satis multis, licet iam saepius (inde ab *Antonino*, aepo, et Gregorio XIII,) emendatum fuerit, *Anton. Augustini* commentarius de *emendatione Gratiani*, cui notae *Baluzii* et *Gerhardi* van *Mastricht* accesserunt satis vtiles, *Arnhemii* 1678 post *Parisinam* editionem, 1676. De primis operis *editionibus* Baluzius varia obseruauit vtilia. Dissertatio de *Petro* Lombardo, paris. episcopo, quem solent *magistrum sententiarum* dicere, *Oudin.* pag. 1218 seqq. Praeter commentarios, quos ex latinis vetustioribus collegit in *Psalmos*, et in epistolas *Pauli*, aliquoties excusos, magnum nomen sibi fecit isto corpore theologico, quod *sententiarum* nomine solet insigniri; cuius quidem colligendi mini-

me fuit primus auctor, primus tamen forte, qui ratiocinandi liberam facultatem patrum grandi auctoritate repressum iuit. Recentior lis orta fuit, vtrum isti 4 libri potius ad *Bandinum* istum pertineant auctorem, cuius nomine *Venetiis* 1519 prodierunt in fol. quam si *Oudinum* audimus, facile componere licet; is nempe *Banchinum* seu Bandinum istum designat, qui *Wiclefi* tempore *Oxoniae* theol. professor vixerit; is igitur ex Magistro sententiarum sua descripsit, hic ibi breuius. Ceterum non desunt multa, quae vel inde ab isto tempore solent in hoc corpore reprehendi. Caput 3 *Oudini* agit, de hostibus et aemulis, qui in *Magistrum sententiarum* post mortem insurrexerunt. *Ioh.* cornubiensis, *Gualterus*, S. Victoris paris. *Ioachim*, abbas, *Antoninus*, aep. Florentin. Henricus Gorcumiensis, *colon.* acad. vicecancellar. in opere, *conclusiones* in libros Magistri sententiarum, saepius excuso. *Wilhelmi* de *Conchis* eruditionem *Ioh. Sarisberiensis* et alii collaudant; parisiis docuit sub seculi medium; scripsit *philosophiam vniuersalem;* de naturis superiorum, seu philosophiam primam; de naturis inferiorum, seu philos. secundam. Istud opus quasi in historiam creationis collectum est, constat 2 voluminibus grandibus, quae raro occurrunt; eius philosophia minor inter *Bedae* opera impressa fuit, de elementis philosophiae libri 4. *Atomorum* systemate vsus est; collegit autem plurima e scriptoribus vetustis tam ecclesiasticis quam exteris. Dissertatio de scriptis S. *Bernhardi*, abbatis primi clareuallis; fuit is, si *Baronio* credimus, vir apostolicus, imo verus apostolus; monasteria viuus adhuc 160 exstruxit, rebus autem politicis tam simul immistus et studiosus, quam qui maxime eorum, qui e claustris palatia etiam regum consiliis suis regere solebant. De variis *operum* editionibus legenda *Mabillonii* praefatio ad nouam editionem Benedictorum; ordinem huius editionis descripsit etiam *Oudinus*, tomus 1. complexus est *epistolas*; sed plures alias in lucem protulit *Martene* in *collectione* amplissima tomo 1. p. 726-746, numero 35, additis quibusdam dissertatio-

uationibus de *titulis* quarumdam aliarum epistolarum. Sacpius reprehendit Bernhardus: scholares *pueri* et impuberes adolescentuli ad ecclesiasticas dignitates promouentur, ob sanguinis dignitatem, et *de sub ferula* transferuntur ad principandum presbyteris; laetiores interim, quod virgas euaserint, quam quod meruerint principatum. Epistola hic 34 inscribitur: reginae et materterae *imperatoris* Hispaniarum; meminerimus abbatem hoc tempore sic scribere; eius generis nomen iam antea superiori seculo obseruabamus. In *Epistolis* Bernhardi, quae primo tomo continentur, multa ad historiam eius temporis frugiferam repetenda sunt; *sermones*, tomo 2 et 3 (in *canticum* cantic.) exstant, mediocris omnes vtilitatis, plerique exiguae; tomo 4 insunt tractatus morales, dogmatici, polemici, quas hodie legere vix est operae pretium. Tomo 5 habentur dubia, spuria; tomo 6 opuscula *Gilliberti*, de *Hoiland*, *Guerrici*, igniac. &c. Praestat autem *secunda* editio Mabillonii anni 1690 non parum primae. Libri illi 5 de *consideratione* ad *Eugenium* papam bono argumento non carent, sed nihil omnino in aula paparum per eos correctum fuit. *Apologia* ad Guilelm. S. *Theodorici* abbatem *cistercienses* non parum reprehendit, nec *cluniacensium* luxui parcit. Liber *de laude nouae militiae*, ad milites templi, *Hugoni*, magistro ordinis, inscriptus est; sed *regulae templariorum* auctor non fuit *Bernhardus*. A liberali religionis christianae indole et viu Bernhardus non parum abfuit; licet hic ibi sermonis quaedam species lectorem minus attentum facile fallere possit; eruditioni etiam magis obfuit Bernhardus quam profuit. *Berengarius*, Petri Abaelardi discipulus, aliquot epistolas seu Apologeticum scripsit pro *Abaelardo*; *senonense concilium* vehementissime proscidit, nec Bernhardo pepercit. *Arnulfi*, lexouiens. epi habentur epistolae plures et sermones quidam; etiam tractatus de schismate post *Honorium* 2 orto, contra *Gerardum*, engolism. epum. *Hugo* Farsitus, primus abbas praemonstrat. auctor vitae *Norberti*; et libri caeri-

moniarum seu rituum ordinis praemonstrat. (excusus est in bibliotheca praemonstratensi lib. 5.) *Andreae* Victorini, canonic. regul. habentur MSti commentarii in plerosque libros V. T. *Sugerius*, abbas S. *Dionysii*, regni sub *Ludouico* 7, quem *iuniorem* dicunt, administrator; scripsit vitam *Ludouici* 6, grossi; de rebus in administratione S. Dionysii a se gestis; de consecratione ecclesiae a se aedificatae (plenius exstat in *Mabillonii* analectis, quam in du *Chesniano* corpore;) *Epistolas* plures, praecipue de publicis regni rebus, (in eodem corpore;) eius vitam studiosius scripsit *Iacobus Geruasius*, gallice. *Bernardus*, monachus cluniac. rhythmos scripsit de *contemtu mundi*, in Germania saepius editos; forte et auctor est opusculi metrici, quod hoc eodem titulo exstat inter *Anselmi* cantuar. et *Bernhardi* clareuall. opera. *Gilbertus* porretanus, ex parisiensi magistro episcopus pictauiensis, ob multas quaestiones theologicas, quibus operam dedit, celeberrimus; Ex *Ottone* Friling. et aliis iam antea notauimus errores, qui solebant ei tribui, de quibus in *parisiensi* concilio et rhemensi quaestio fuit aduersus eum instituta; *minora* dicit *Otto* etiam reprehensa fuisse, quod *meritum* humanum attenuando nullum *mereri* diceret, *praeter Christum;* quod sacramenta euacuando diceret, nullum *baptizari* (externam caerimoniam distinxit,) nisi saluandum. Narratio *Gaufridi*, in vita *Bernhardi*, non parum differt ab hac narratione *Ottonis*, hanc vero praeferri oportet. Scripsit commentar. in *Psalmos*, in Epistolas Pauli, libri 13, in *Boethii* 4 libros *de trinitate* (hoc excusum in editione *Boethii* 1570 Basil.) Ista opera quidam male ad *Gilbertum*, abbatem cistertiensem transtulerunt, vt recte notauit *Oudinus*. *Arnaldi*, abbatis bonae Vallis in Francia, seu in agro carnotensi, quaedam opuscula, de 7 verbis domini in cruce; de cardinalibus Christi operibus, (olim inter *Cypriani* scripta,) de operibus sex dierum; de laudibus Mariae; meditationes, editioni Cypriani *oxonienſi* adiecta fuerunt. *Iohannes Burgundio*, iudex, iam antea laudatus, ob

ob translationes e Chryſoſtomo, colloquio Cpoli interfuit, *Anſelmi* Hauelberg. cum graecis; latine etiam transtulit *Ioh. Damaſceni* de fide orthodoxa; eiusdem *logicam;* Nemeſii libros 8 de homine, ſeu Philoſophiam; alia commemorat de hoc Burgundione, piſano, *Robertus* de Monte in appendice ad *Sigebertum*, a. 1181. Diſſertatio de vnico *Alano*, ripatorii abbate, antiſſiodor. epiſcopo, ac tandem monacho ciſtercienſ. *Oudin* pag. 1389 ſeqq. cap. 7 examinantur opera *Alani* inſulenſis; ea ediderat *Carolus de Viſch*, 1654 Antwerp. fol. Inter ea eſt opus quadripartitum de *fide catholica*, contra Valdenſes, Albigenſ. et alios huius temporis haereticos; libri 2 poſteriores ad finem bibliothecae ſcriptorum ordinis ciſtercienſis excuſi ſunt. In MStis adhuc habetur ſumma, *quot modis* dicta, ſeu de diuerſis vocabulorum in SS. ſignificationibus, ordine alphab. Liber de *Maximis* ſeu axiomatibus theologiae; (dicitur etiam *doctrinale altum; doctrinale minus* ſaepius excuſum eſt.) Prophetia Ambroſii *Merlini*, angli, cum 7 libris explanationum Alani, excuſa 1608 Francof. in 8 &c. *Ogerius*, abbas ciſtercienſ. in Sabaudia, ſcripſit XV *ſermones de coena domini*, olim inter Bernhardi opera ſine nomine excuſos. *Odo*, abbas Maimundi, ciſtertienſ. ordin. eius ſuperſunt in MSto commentarii in locos V. et N. Teſtam. *ſermones* varii, e quibus alius fecit compendium, quod falſo *Odonis* nomine *Combefiſius* in *bibliotheca* concionatorum edidit; de tribus gradibus ad haereditatem ſalutis; *analytica numerorum* et rerum figurationes analyticae in omni theologia. *Wolbero*, S. pantaleon. abbas, ſcripſit 4 libros commentarii in canticum, excuſos 1650 colon. *Gerohus*, praepoſ. Reicherſpergenſis, ſcripſit ſyntagma de *Henrico* 4 et 5 et *Gregorio* 7, editum per *Gretſerum* 1611. *Expoſitionem* in pſalmum 64, de corrupto eccleſiae ſtatu, edidit *Baluzius* tomo 5 *Miſcellan.* pag. 63-235 ad Eugenium 3 — vt *curia romana* ſemet ipſam attenderet, ſeque ac eccleſiam a confuſione babylonica diſtinctam exhibere ſatageret ſine macula et ruga. Nec enim

vel

vel hoc carere macula videtur, quod *nunc dicitur curia romana*, quae ante hac dicebatur ecclesia romana; — hi qui nunc in ea se faciunt *senatores* — studiosius auctor de hac re hic agit, quam vllus scriptor; de *praefecto vrbis*, qui ab imperatoribus inuestitur per gladium — p. 78 cum Romae fuissem, obiectum mihi fuit a quodam *causidico*, non rata esse priuilegia *Constantini*, quia ab Arianis baptizatus aut rebaptizatus fuisset — iurisperiti dicunt, *rem publicam* non posse *vsu capi* — Romae domus rotunda nunc est in honorem Mariae omniumque sanctorum — Ceterum defendit auctor possessiones et immunitates ecclesiarum, vt potest; — volebant reges et principes absque omni electione canonica episcopatus pro velle suo dare, potestatiue, sed secundum canones consensus *honoratorum* cuiusque ciuitatis requiritur; de qua re copiose tractatum est in epistola *Conradi* aepi Salzburg. ad aepum Magdeburg. *Norbertum*. — Nam spiritales et religiosi viri habent *consulere*; canonici *eligere*; populus *petere*, honorati *assentire*. — Ex actis apostol. citat: — erat cor vnum et anima vna *in deo* sic et pag. 167 — p. 114 non immerito dolemus, quod *adhuc* in domo b. *Petri* desolationis abominationem stare videmus, positis etiam *propugnaculis* et aliis bellorum instrumentis in altitudine sanctuarii supra corpus b. Petri. — credimus licita comprobari, quae in vicinia *Saracenorum* fieri solent: armis comportatis in turres ecclesiarum vel monasteriorum, quorum ostentatione *per spiritales quoque viros* terrentur barbari, ne inuadant loca sancta — p. 118 factum honestum, quod in terra *Hungarica* et barbarica, vix *nomine tenus christianorum principum* dominio subdita, accidit. Cum rex terrae illius, anno plus quam praeterito, se ad bellum pararet contra *Regem Graecorum* — sub *Herode*, p. 127 sceptrum de *Iuda* ablatum fuit, qui ex patre Idumaeo et matre Arabica natus fuit. — p. 143, quid iustius, quam vt *praedo iniquus amittat ius* et dominium in hominem peccatorem, qui manus violentas misit in hominem peccato

cato carentem! — 147, Adam, quasi *vnus ex nobis factus est*, fuit grauissima ironia, sed de nouo Adam prophetia — p. 185 rectius diuisit *Vrbanus* papa 2, de ordine *canonico* scribens clericis — cum in his tota ecclesia describatur suis ordinibus distincta, nusquam in ea comprehenditur vita *clericorum secundum regulam* regis *Ludouici* conuersantium, vel potius eam praeuaricantium in potioribus institutis. — *Ambrosius* in epistola ad Vercellenses missa de his 2 ordinibus (ordo clericorum et monachorum; Helias fuit primus solitariorum) — sed hoc non facit illa *regalis regula* in domibus regum fabricata, et apostolicis doctrinis contraria. Etiam papa *Paschalis* contra praefatam regulam os suum bene aperuit, in tractatu, quem *canonicis* S. Mariae in porta firmauit — vehementer inuehit in istam regulam *Ludouici;* — pag. 207 tempore *Petri Leonis* schismatici, cum Romae essem, coactus sum plures auctoritates colligere, quibus pateret: sacramenta *extra* ecclesiam non magis operari spiritum Christi, quam in signis Aegyptiorum digitus dei operabatur. *Anselmus* Hauelberg. epus, *Lotharii* 2 Augusti legatus *Cpolin*, de doctrina et ritu multas collationes et quaestiones, modo in priuatis, modo in publicis, tam *Latinorum* quam Graecorum conuentibus habuit; iussu *Eugenii* 3 ea conscripsit, Αντικειμενων titulo, sub dialogi forma; ita ipse narrat ad Eugenium. Edidit autem id opusculum luce non indignum *Dacherius* in spicilegio, tomo 1 nouae editionis pag. 161 seqq. Papa ei ipse locutus fuerat, de graeco episcopo, qui legatione imperatoris ad Romanum epum fungebatur; hic episcopus multa *de doctrina et ritu* Graecorum proposuerat, quae doctrinae romanae ecclesiae non concordant — lib. 1. de vnitate fidei et multiformitate viuendi, ab *Abel* iusto vsque ad nouissimum electum. c. 1. quis numerare queat tot ordines clericorum, tot genera monachorum — quis non contemnat christ. religionem tot varietatibus subiectam, tot regulis fere annuatim innouatis fluctuantem! — sed ecclesia est vna in se, multiformis autem

tem secundum filios suos — c. 3. naturalem legem secuti sunt vsque ad Mosen — *Iob* gentilis. c. 6 vetus testam. deum *patrem* manifeste, *filium* autem obscure praedicauit. Nouum autem testam. deum filium manifestauit et Spiritus s. deitatem primo subinnuit, et paulatim sufficienter edocuit. c. 7. *septem figilla* in apocalysi sunt *septem* status ecclesiae sibi succedentes. *Equus albus*, primus status candore nitidus; *rufus*, cruor martyrum; *niger*, atra haereticorum doctrina; *pallidus*, falsi fratres — Inuectio in hypocritam; de ordine *Norberti*, qui per omnes Europae prouincias dilatatus est; de *Benedicti, cistercienfi*; militum *de templo;* in Graecia vidi ordinem ex regula Antonii; *Pachomii* et *Basilii.* Liber 2 ἀντικειμενων, — disputationem, quam habui cum aepo Nicomediae *Nechite*, sub dialogo distinguam — conuenimus in *vico Pisanorum*; e latinis interfuerunt colloquio *Iacobus*, veneticus natione; *Burgundio*, pisanus, et Italus, *Moysis* nomine, vtriusque linguae peritissimus, qui interpretem egit. — dixi igitur, nos credimus Spiritum s. *ab vtroque* procedere. *Nechites:* monarchia postulat, vt non sint 2 principia — non est in deo ἀναρχον. Anselmus: nos principium de principio, vt deum de deo dicimus filium, nec tamen 2 deos, 2 principia; Ioh. 8, 25, principium, *qui* et loquor; non dixit, *quod* et loquor. *A* patre omnia, *per* filium, *in* Spiritu s. nec tamen 3 principia aut 3 creatores. — totae 3 personae, c. 3 sunt aeternae, sed non totae simul sunt sine principio causali. — c. 6 hoc est ibi esse, non, quod patrem esse, aut filium, aut Spir. s. sed deum esse, magnum, bonum, sapientem; illa sunt singulis propria et personalia; hoc, vnum singulis per se et simul omnibus est substantiale. — sequitur molesta sedula tractatio. — c. 15, bis datus est Spiritus s. per *insufflationem* et in Pentecoste, vbi aliquatenus instruimur, *a duobus* quoque procedere c. 17 muliere fimbriam domini tangente, virtus exiit de illo; virtutis nomine Spiritus s. appellatur, qui ab eo procedit. c. 20 sicut in Euangelio *non inuenitur*, Spiritus s. procedit a filio,

lio, ita quoque *non inuenitur*, eum non procedere a filio. 22 non eſt temerarium, *aliquid addere Euangelio*, quod non eſt ei contrarium. 23 fides *trinitatis ad plenum condita* eſt in conciliis. 24 multi graecorum auctores dixerunt Spiritum ſ. procedere *a filio* ſicut a patre; *Athanaſ.* in ſymbolo; *Didymus*, qui tres libros de trinitate fecit, et *Origenis* opus de principiis commentatus — in libro de Spiritu ſ. quem noſter Hieron. transtulit — *Chryſoſtomus* in Homilia 26 et 28 de expoſitione ſymboli — latini autem doctores — *Nechites* reſpondit: ſi patres graeci ſic loquuntur, non intelligunt, eum ſic a filio procedere, ſicut a patre, tamquam a prima cauſſa et principio — c. 26 quidam Graeci dixerunt, a patre *per* filium; — Nechites: ſapientes Graeci et Latini facile conſentire ſolebant — ſed nihil noſtra intereſt, quid vel ſtulti Graeci vel ſuperbi latini inter ſe dicant et contendant. — verba haec, procedit *a filio*, quoniam hactenus non *ſonuerunt publice* in eccleſiis Graecorum, nequaquam ſubito poſſunt induci, vt ſine ſcandalo publice doceantur vel ſcribantur, ſed aliquod generale concilium vtriusque eccleſiae celebrandum eſſet — (hic *Anſelmus* videtur memoriae ſuae nimium tribuiſſe, quod iſtam ſententiam de *filioque* narrat eſſe huius aepi.) Liber 3. de collatione in eccleſia S. *Sophiae* (prior fuit in *Irenes*) de pane azymo. *Graeci* ſe ab vniuerſali eccleſia ſequeſtrant, quod in fermentato ſacrificant; melius eſt hunc errorem, etſi inueteratum, deponere. c. 5 de *primatu* romanae eccleſiae, quod nullis haereſibus fuit contaminata. 6. Cpolitana eccleſia fere ſemper grauiſſimis haereſibus laborauit. 8. romana eccleſia ipſa ſe a nobis aliisque ſequeſtrauit, quando *monarchiam* inuaſit, et epiſcopos et eccleſias orientis et occidentis, diuiſo imperio, diuiſit — vis, vt nos Graeci clauſis oculis ducentem papam ſequamur; quid igitur ſcientia ſcripturarum et litterarum ſtudia? iis non opus erit. 16. Cpolis et omnis orientalis eccleſia ſub obedientia *romanae* fuit, et iure eſſe debet, eamque in ritu ſacramenti imitari. c. 17 Nechites: Chriſtus ἐυλογησε ἀρτον,

non

non exstat, ἄζυμον. c. 20 de commixtione vini et aquae in calice, quod aliter *Graeci* aliter *latini* faciunt; 21. de diuerso vtrorumque baptismate. *Anselmus:* sicut audio, consuetudo graecorum est, si quando Graecus vxorem *latinam* ducere voluerit, sicut etiam inter *augustales personas* saepe factum est, quod prius *oleo* sanctificato *eam perfunditis* et per totum corpus lauatis, et sic demum, quasi in ritum vestrum transiens matrimonio copulatur; quod videtur forma esse rebaptizandi; si hoc est, concilia non vobiscum sed contra vos sunt celebranda — Eusebius nicomed. Constantinum M. *rebaptizauit* in Arianum dogma. Sed hunc iam *Siluester* prius baptizauerat, vt legitur in historia ecclesiastica *Eusebii* caesar. (nempe falso Eusebii nomine *gesta Siluestri* circumferebantur;) *Nechites* negat, Graecos rebaptizare; sed esse purificationem eorum, qui transire volunt in graecam societatem. c. 22 de concordia sapientum graecorum et latinorum; non in magnis discrepamus, sed in minimis, quae salutem animarum non impediunt — Vniuersi clamantes dixerunt, δοξα σοι (sic intelligendum, *doxa si* o Theos,) gloria *sit* deo. Calos dialogos; holographi. Non opus est pluribus nos exponere sententiam de isto opusculo.

Guillelmus S. Theodorici, prope Remos, abbas, ad quem plures exstant *Bernhardi* epistolae; ei adeo suos libellos corrigendos dedit; scripsit aduersus P. *Abaelardum*, pro Bernhardo; speculum fidei, aenigma fidei; de natura et dignitate amoris diuini &c. recenset ipse sua scripta in praefatione ad librum de vita solitaria; habentur in bibliotheca patrum ordinis cistertiensis tomo 4. collegit et commentarium in *canticum* cantic. ex verbis Ambrosii; olim nomine Antonii *Democharis* excusus fuit inter ambrosiana; correctior in editione benedictinorum, volum. *primo*; commentar. in canticum ex *Gregorio* edidit *Oudinus* inter opuscula veterum 692. 8. Opusculum *sententiarum* de fide ex Augustino, misit idem *Oudinus Blancpainio* editori Augustini. Fuit Guilelmus aliquis, in ea sententia,

bap-

baptiſmum paruulis ab Haeretico collatum, non habere remiſſionem peccatorum; ſcripſit contra eum *Gualterus* de Mauritania epiſtolam, quam edidit *Dacheri* tomo 3 nouae edit. pag. 520; ea nimium tribuit baptiſmo, quaſi per Chriſtum peragatur ipſum; a epiſtola huius Gualteri agit, de incarnatione Chriſti; contra eos, qui ſuſurrant ad propoſitionem, aſſumtus homo eſt deus. — humanitas ſola aſſumta eſt; de hoc homine quidam imperiti audent dicere, quod ſit deo coaeternus, quod anima, quae (poſtea melius, *quam)* Verbum aſſumſit, omnia et ſe ipſam creauit — etiam *ſcripto* audent committere. Ep. 3 ad Mag. *Theodoricum:* dicere ſoletis, eſſentiam dei *non vbique adeſſe.* Ep. 4. ad Mag. *Albericum*, qui aſſeruit, Chriſtum nullo modo timuiſſe mortem nec eſſe turbatum ſua paſſione; (vt fere *Hilarius;*) Ep. 5 ad P. *Abaelardum;* ſolent diſcipuli veſtri vos iuſto amplius laudare — minime vero trinitatis plena notitia ad hanc vitam pertinet — ſcriptura dicit, *deum eſſe viſum* patribus; ſed *non de ipſo deo*, ſed de *angelis* ſcriptura hoc aſſerit, quos ſibi *loquentes ex perſona dei*, Moſes et patres viderunt — (ſic *Auguſtinus*, *Dreierus* aliique peritiores ſtatuunt;) — dicunt etiam vos affirmare, Chriſtum *nihil meruiſſe*, et quod nemo *propter opera ſua* bona vel mala remunerari debeat, niſi pro ſola voluntate. *Radulphus*, flauiacenſis coenobii monachus, commentar. collegit in *Leuiticum*, aliquoties excuſum; in *parabolas Salomonis* exſtat adhuc in MSto, alius hoc nomine, *niger* dictus, fuit Anglus, quos *Caue* confudit; commentar. autem in *canticum* cantic. quem *Hommey* edidit nomine *Radulphi* fontanell. abbatis, eſt *Roberti* S. Victor. baiocenſis abbatis. *Zacharias* Chryſopolitanus, ſeu *Goldsbourg* ordin. praemonſtrat. ſcripſit commentar. in *concordiam* euangel. *Ammonii* Alexandrini. *Philippus* de Harueng, abbas bonae ſpei, qui cum *Bernhardo* lites habuit; eius opuſcula edidit *Nicolaus Chamart* Duaci 1621 fol. Auctor *Micrologi*, qui idem libros 3 de vita Caroli M. ſcripſit, hoc ſeculo ſub Friderico vixit; *prologum* hu-

ius vitae edidit *Bollandus* d. 28 Ianuar. *Micrologus*, seu commentarius de ritibus ecclesiasticis saepe editus habetur. *Roberti* de Meliduno, postea Herefordiensis Epi, MSta supereſt *summa sententiarum*, seu quaestiones de diuinis paginis, aut de sacramentis V. et N. legis. *Bulaeus* in historia Vniuerſ. pariſ. seculo 4 multa excerpſit. *Hugonis* aepi rothomag. quaedam opuscula (de officiis et ministris ecclesiae) edidit *Dacheri* cum *Guiberto* nouigentino. *Thomae Beket*, cantuar. aepi, *epistolas* libris 5 e codice vaticano edidit *Christian. Lupus* 1682. 4. Bruxellis. *Elisabethae* virginis et abbatissae *Schönaugiensis visionum* seu reuelationum libri 3 editi sunt cum *Ecberti* abbatis narratione de obitu S. Elisabethae, suae sororis. *Gilbertus*, ex *Herford.* tandem *londinensis* epus, quem *Thomae* cantuar. fautores parum solent laudare, scripsit *expoſit.* in *canticum* canticorum, quam cum *Alcuini* compendio edidit *Patric. Iunius.* *Isaac Stella*, ordin. cisterc. abbas in dioecesi pictau. plura scripsit, quae pleraque nondum edita sunt; epistola *de canone Missae*, quam *Dacherius* et alii dabant *Isaaco* epo linonensi, seculi 9, huius est abbatis. *Aelred*, rievallensis abbas, cistertienſ. ordin. reliquit *sermones* multos; etiam 31 in Ieſaiam &c. ista theologica edidit *Tisserius* in bibliotheca patrum ordinis cistertiensis, tomo 5; *historica* alia habentur in *Seldeni* collectione Historicorum Angliae, Londini 1652 fol. *Gaufridi*, abbatis quarti clareuall. multa exstant scripta in membranis; commentar. in *canticum* canticor. et sermones 19 in Apocalypsin; sermones multi, et quaedam historica, quae ad *Bernhardum* pertinent; etiam de *Petro* Tarantasiensi aepo; liber contra *Abaelardum.* *Petrus* pictauiensis, cancellar. pariſ. tandem aepus ebrodunensis, scripsit libros 5 *sententiarum*, editi sunt ab Hugone *Mathoud*; eius etiam sunt distinctiones in Psalmos, et Allegoriae in V. et N. T. *sermones* multi. *Ioannes Sarisberiensis*, epiſc. carnotensis quem plures hoc seculo, praecipue *Petrus* cellensis, magni faciebant, vt e pluribus epistolis libri 7 patet. Scripsit *Polycra-*

craticum, ſeu de nugis curialium et veſtigiis philoſophorum libros 8 ad Theobaldum, aepum cantuar. e quo opere vel ſolo patet, non defuiſſe, qui ſtudiis darent praeclaram pro tempore operam. *Metalogicum* opus libris 4; ſupra CCC *epiſtolas*; *ſpeculum ſtultorum*, non eſt Iohannis, ſed *Wilhelmi Nigelli*. Scripſit Iohannes etiam vitam et paſſionem *Thomae* cantuar. aepi; et commentar. in *Pauli* epiſtol. *Odo*, abbas S. Martini in Anglia, ſcripſit commentarios in *libros Moſis*; *Moralia* in pſalmos, et in *Euangelia*; libros 5 miraculorum *Thomae* aepi; et *ſermones*. *Herebertus* de *Bosham* iſti *Thomae* ab epiſtolis, ſcripſit gloſſas in *Pſalmos*, *Euangelia* et epiſtolas *Pauli*; *Clementis Langthon*, canon. regular. ſuperſunt in Mſtis, *concordia* 4 Euangeliorum, a *Wiclefo* anglice translata; et commentar. in *Acta* apoſtol. in 7 canonicas. *Petrus Comeſtor*, ſeu *Manducator*, canon. Trecenſis, cancellar. pariſienſ. auctor *ſcholaſticae hiſtoricae*, ab initio mundi vsque ad finem *actuum* apoſtol. et *ſermonum* per anni circulum, quorum multi per *Buſaeum* falſo nomine *Petri* bleſenſis fuerunt editi; etiam in bibliotheca patrum *colonienſi*. *Iohannes* cornubienſis, inter theologos pariſinos, bis edidit *Eulogium* ad *Alexandrum* 3, quod Chriſtus ſit aliquis homo; nomine *Hugonis* Victorini excuſa eſt apologia, de verbi incarnatione; et tractatum, quomodo fiat ſacram. altaris per virtutem ſ. crucis, et de 7 ordinibus miſſae, qui ſine auctoris nomine inter *Victorini* opera editus fuit, alii aliis falſo tribuerunt. *Petrus* de *Riga*, cantor eccleſ. rhemenſis, quem ſaepe cum *Petro* cantore pariſienſi confuderunt, (cuius eſt ſumma de tropis loquendi ſeu SS.) celeberrimus *Aurorae* auctor, poematis non omnino ſpernendi. *Petrus* cellenſis abbas poſtea aepus carnotenſis, poſt *Ioh. Sarisberienſem*; ſcripſit de panibus, tabernaculo, conſcientia; de diſciplina clauſtrali; et ſermones plurimos; opera eius omnia 1671 per benedict. S. Mauri pariſiis excuſa; libros 9 (ſic diuiſit editor,) epiſtolarum ediderat cum notis *Iac. Sirmondus*; habentur et inter opera *Sirmondi*

tomo 3. Epist. 21 libri 1, fecit *sermones* pro episcopo *parisiensi*; 23 est ad *Eskillum*, aep. lundensem; hic *carthusiensium* ordinem in suam prouinciam inducere voluit, vt iam habuit cistercienses et praemonstratenses. Libro 2 habentur ineptae declamationes, cuius generis sunt pleraeque; lib. 3 ep. 4 auctor de *imagine* et *similitudine* dei agit; negat *accidentale* fuisse donum. lib. 4. 1, de simplici et composito. lib. 5, 9 — rogat mitti operarios, messis enim multa *in Dacia* iam alba est — ep. 19, *Fulco*, monachus cellensis, designatus episcopus *in Suecia*, etiam lib. 6, 6. Lib. 6, 8 Regi *Sueonum*, ducibus et principibus, et Aepo, commendat *Fulconem*. 15, *Eskillo*, lundensi aepo. 18, rogat cantuarienses, vt de miraculis *Thomae* nihil scribant nisi *septempliciter* examinatum — furto ablatus fuerat libellus, e quo solet legi in natalitiis sanctorum; anglus quidam dixit: certe non credam *Thomam* sanctum fuisse, nisi reddiderit nostrum libellum; fere post mensem, redditus est nobis liber. Si hoc miraculum est, verum esse confirmo. Ep. 23 lectu digna est, de lite ob Mariae *conceptionem*; dixerat aliquis, Mariae animam gladio transfixam non solum in passione filii, sed etiam in contradictione conceptionis —; de eadem caussa lib. 9, 9. 10. Vix praeterea aliquid inest, quod sit legi operae pretium. *Henricus*, alban. epus cardinalis, scripsit commentar. de peregrinante ciuitate dei; contra Sectarios *Albigenses*; epistolas; exstant in *Tisserii* bibliotheca cistercienst; in qua et *Petri*, claraeuall. abbatis octaui, habentur *epistolae*. *Gualteri*, S. victor. paris. prioris, opuscula contra 4 *Labyrinthos* Franciae, epitomen dedit *Bulaeus* in histor. vniuersitatis paris. sec. 4. *Hildegardis* abbatissae epistolas edidit *Martenius* in collect. ampliss. eius *visiones*, libris 3, et libri 4, de naturis diuersarum rerum, iam seculo 16 typis exierunt; prophetiam de 4 ordinibus mendicantibus dedit *Wolfius* in lection. memorab. et *Hospinianus* de origine monachatus, cum prophetia *Cyrilli*, montis Carmeli monachi latini, et scholiis *Ioachimi* abb. florensis. *Thomae*, cisterc. com-

men-

mentar. in *canticum* cantic. aliquoties ſec. 16 excuſus, quem *Scoto* vindicare auſus fuit Paulus Minorita Romae 1653 fol. editione noua curata. *Robertus*, Scriba dictus, in coenobio bridlingtonenſi canonicus, ſcripſit in 12 prophetas; etiam in exodum; *prophetiam* ad modum nouorum vaticiniorum; verſus de arte medicinali. *Laborans*, presbyter cardinalis S. Mariae trans tiberim, ſcripſit collectionem *canonum*; opus de iuſtitiae rationibus, ad Maiorem Siciliae Ammiratum; ad Hugonem epiſtolam, contra *Sabellianos* reniuiſcentes; et opus aliud tripartitum; (*Baronius* tomo 12. a. 1182) *Albini* cardinal. epi alban. exſtat *collectio* canonum eccleſ. in bibliotheca vaticana. *Mauritius*, pariſienſis epus, de quo *Caeſarius* Heiſterbac. lib. 6. c. 19 narrat, quod ſe ipſum elegerit epiſcopum, reliquit *ſermones*; quod *Bulaeus* narrabat ex *Bonauentura* de X praeceptis, recte animaduertit *Oudinus*, eſſe fabulam ſeculi 15; id enim opuſculum eſt *Godeſcalci Hollen*, bis hoc nomine editum, ante, quam inter opera Bonauenturae collocaretur. Moriturum Mauritium ſchedulam ſuper pectus poſuiſſe ſcribit *Rigordus*, in qua teſtimonium de *reſurrectione* certo inſtante inſcriptum fuerat. *Iohannes Beleth*, pariſ. doctor, huius ſeculi eſt, non vero 14, vt quidam putarunt; ſcripſit *rationale diuinorum officiorum*; id excuſum a. 1553, *Natal. Alexander* falſo ſcripſit iſto etiam tempore ab auctore ſcriptum fuiſſe. *Guibertus*, *Martinus* (a cultu turonenſis aepi nomine translato,) abbas gemblacenſis, plurium *epiſtolarum* auctor; edidit *Martene* in collectione ampliſſima tomo 1, epiſtolas 26, moralis praecipue argumenti; quinta, de ſua peregrinatione ad S. *Martinum* turon. 20, de itinere agit, quod *Hieroſolymas* inſtituit, cum *cantuarienſi* aepo. Magiſtri *Ioſephi* hic idem *Martene* ibidem pag. 944 edidit, epiſtolam *Wilhelmi* ad aepum remenſem, in ſuam *microcoſmographiam*; tractauit, vtrum homo naturaliter habeat intellectum; quod bruta careant neceſſario intellectu; ſententiae variae de *anima*; de vnione corporis et animae; de ſenſuum miniſteriis; quid virtus diſcre-

tiua — vtrum naturaliter ſimus liberi arbitrii. pag. 948 *Iohannis* Monachi altae ſiluae epiſtola ad epiſcopum metenſem, qua ei nuncupat librum ſuum de rege et 7 ſapientibus. pag. 954, opuſculum cuiusdam de caſu fulminis. p. 977, praefatio magiſtri *Reinherii*, decani paderbrunn. calculatoris perſpicaciſſ. in librum *de computo*; prologus *Alberti*, monachi ſigebergenſ. (in colon. dioeceſi,) in ſuum *gloſſarium* in ſacram ſcripturam. pag. 1002 diploma *Henrici* 6, pro noua *corbeia*, vt quaerant aurum, argentum aut aliud metallum *in fodinis*, cum *decima*, aduocatia et omni vtilitate. p. 1018, litterae praepoſiti capituli Senogienſis, de inſtitutione *officii* b. Mariae et anniuerſarii comitis Balduini, qui contulit — *per ceſpitem terrae* et per *ramum arboris* ad altare b. Vincentii. Statutum abbatis S. Victoris Marſilienſis, *pro bibliotheca*. *Igneti Contardi*, mercatoris Ianuenſis, diſputatio apud *Maioricam* inſulam, habita *cum Iudaeo*, in variis bibliothecis MSta ſupereſt. *Bernardus Circa*, praepoſitus papienſ. poſtea fauentinus epus, ſub eisdem fere titulis, ac *Gregoriana* habet collectio, *pontificum decretales epiſtolas* collegit; edidit Anton. *Auguſtinus* in collect. decretalium veterum roman. pontificum; idem *Iohannis Gualenſis* collectionem, decreto Gratiani poſteriorem, *extrauagantes*, edidit in eodem corpore. *Theodorici*, monachi dani, hiſtoriam breuem de rebus eccleſiaſticis ac regibus *Norwegiae*, nidroſienſi aepo dicatam, cum anonymi libello, de *Danorum* profectione in terram ſanctam, edidit *Caſpar Kirchmannus* 1684 8. Amſtelod. *Balduini*, deuonii, abbatis ciſtercienſ. de Forda, poſtea cantuar. aepi, multa opuſcula tomo 5 biblioth. patrum ciſtercienſ. de ſacramento altaris; de dilectione dei; de requie, quam ſibi et nobis Chriſtus parauit; de vulnere caritatis, quod ſponſa infligit ſponſo; de crucifixione veteris hominis &c. Hunc alloquitur *Ioſephus* deuonius, ſ. exceſtrienſis, latine et graece eruditus, auctor librorum metricorum 6 de *bello troiano*, Antiocheidis, et variorum poematum, amatoriorum &c. *Guarnerii*, epi

lin-

lingonenſis, ſermones non inelegantes habentur in bibliotheca *ciſtertienſi*, per *Tiſſerium* tomo 3. *Ioannes* de Alta villa, ſcripſit *Archithrenium*, ob mala multa; carmen librorum 9 pariſ. 1517 editum. *Leonii* presbyteri, canonici pariſ. carmina hiſtor. V. et N. T. habentur mſta. *Odo* de Shirtona, ciſtertienſ. ſcripſit *ſummam* de poenitentia, ſeu poenitentiale; *Homilias* de dominicis per annum, quae excuſae ſunt nomine *Odonis* cancellarii pariſ. 1520, dicatae *Iob.* ep. *Roffenſi*. *Bernardus*, abbas fontis calidi, praemonſtrat. aduerſus *Waldenſes* ſcripſit; exſtat in *Gretſeri* corpuſculo talium ſcriptorum. De vita et ſcriptis *Giraldi* cambrenſis, meneuenſis epiſcopi, ex *Whartoni* Anglia ſacra transtulit in ſuos commentarios *Oudinus* pag. 1634 ſeq. ſcripſit is verſibus hexam. et pentametris *Chronographiam*, et mundi cosmographiam; topographiam *Hiberniae* et *Cambriae*; hiſtorica multa alia; praecipue autem gemmam eccleſiaſticam, ſeu de cleri inſtructione meliori; de principis inſtructione; Expugnatio Hiberniae, (ex *Merlini* vaticiniis multa;) Speculum eccleſiae ſeu de *monaſticis ordinibus*; (quotidie precabatur, a *monachorum* malitia libera nos domine;) — tractatus de praeſtantia et dignitate ſacrae ſcripturae, ad *Walterum Mapes*, oxon. archidiac. cuius plura *carmina* in eccleſiaſticos habentur in *Wolfii* lectionibus memorabilibus; plura in MStis Anglia ſuperſunt. *Petri* bleſenſis, archid. bathonienſis plura *opuſcula*, poſt *Buſaeum* a Petro *Guſſanuillaeo* edita; *Epiſtolae*; *ſermones*, tractatus plures; de *peregrinatione* Ieroſolymitana, ad *Soldanum Iconii* inſtructio fidei; contra *Iudaeos* &c. *Stephanus* tornac. epus auctor *ſermonum* 31 commentarii in Decretum *Gratiani*, (in bibliothecis Galliae; *prooemium* cum epiſtolis editum;) et *Epiſtolarum*, quas 287 edidit *Claudius* du *Molinet* pariſ. 1679. 8. Multa inſunt ad hiſtoriam eccleſiaſticam, ordinum (grandimontenſ.) &c. ep. 188 incipit: damnatus iniuſte ad fodienda metalla; quia romana cancellaria nimis grandem ſummam argenti pro ſolutione bullarum poſtularat; 147 eſt ad *Val.*

demarum epiſc. *Sleſuicenſem* — vt plumbum emamus, non *romanum* (ſic exagitat bullas) ſed *anglicum;* quoniam anglico plumbo teguntur eccleſiae, *romano* nudantur; etiam notae ſunt vtiles. *Guntherus*, poeta, ciſtercienſ. monachus, praeter libros X carminum de rebus *Friderici* imper. in Liguria geſtis, etiam de *oratione*, ieiunio et Eleemoſyna ſcripſit, et hiſtoriam captae *Cpoleos* a Latinis; ſeculi igitur ſequentis ſcriptor. Eiusdem imperatoris *expeditionem* in *Aſiam* ſcripſit *Tageno*, patauin. decanus, epi ſui iuſſu, quocum et ipſe rebus interfuit; ſed *hiſtoricis* ſcriptionibus iam non damus operam. *Petrus*, b. mariae pariſ. canon. *cantor*, auctor *ſummae* quae dicitur, *verbum abbreuiatum*, quae typis excuſa eſt 1639. 4. Alia *Summa Abel*, ſeu diſtinctionis ſecundum ordinem Alphabeti; *ſumma* de *ſacramentis;* de *contrarietatibus theologicis*, ſeu *grammatica* theologorum, *commentarii* in libros plures V. T. *Gloſſa* in N. T. *Gualteri*, inſulani, de caſtellione, *Alexandreidos* libri X, non omnino inuenuſtae indolis, ſaepius excuſi ſunt; alia, eccleſiaſtici argumenti, ab aliis referuntur ad *Gualterum Mapam. Robertus* de Flamesburia; auctor *poenitentialis* libb. 4. *Gualfridus* (de vino ſaluo) auctor multorum *poematum;* libri de arte dicendi, ſeu de dialect. et rhetoricis praeceptis (verſificando;) *Poetria noua*, de ſtatu romanae curiae; *itinerarium* Richardi regis optime edidit Thomas *Gale* in corpore ſcriptorum anglic. cum 2 poematibus de hoc rege. *Adam*, abbas *Perſenniae* ciſterc. auctor plurium *ſermonum*, e quibus iſtos de b. virgine Maria edidit *Maraccius*, nomine *Marialis* Adami. Aliquas *Adami* epiſtolas edidit *Baluzius* tomo 1 miſcell. *Guido* de Paulo, cardinal. praeneſtin. ſcripſit, cum adhuc abbas ciſtertienſ. eſſet, conſtitutiones et leges nouas pro militibus *Calatrauae*, eſt et auctor *ſummae* theologiae. *Gandulfus* Moſca, piſanus, cardinal. ſuppleuit *pontificale* romanum inde a *Leone* IX vsque ad *Innoc.* III. *Albertus*, vercellenſis epus, *patriarcha* latinus *Hieroſolym.* ſcripſit Regulam *Carmelitis* (vid.

acta

acta SS. menſe *Aprili* ad vitam huius *Alberti*) quae tamen non videtur auctoritatem obtinuiſſe, vt ex loco Leandri *Alberti*, (de viris illuſtribus ſui ordinis, libro 3, vita Guilielmi Andecau) non male notauit *Oudinus*; numum iuſſu huius patriarchae cuſum ſe habuiſſe ſcribit *Miraeus* in auctario. *Stephanus Langthon*, cantuar. aep. cardinalis inde ab a. 1206 ſcripſit in plerosque libros V. T. commentarios; in epiſtolas *canonicas*; multos ſermones; *ſummam Theologiae*, et hiſtorica alia. Iam ex librorum argumentis de vario ſtudiorum apud *latinos* modo licebit paulo melius iudicare; ad liberalem et frugiferam eruditionem, theologicam praecipue, vix pauci quidam ſcriptores aliquid emolumenti afferunt.

De Graecis ſcriptoribus.

Plures graeci ſcriptores recenſeri poſſunt; ex iis etiam non rari *theologici* argumenti, quia *Latini* non deſiſtebant *Graecis* obiicere, minus emendatam eſſe iam apud *Graecos* doctrinam diſciplinamque. Chryſolani, ſeu *Groſſolani*, aepi mediolan. diſputationem ex *Baronio*, qui *latine* eam annalibus a. 1116 inſeruit, pag. commemorauimus; graeca habentur apud *Allatium* tomo 1 Graeciae orthodoxae. Iam non defuerunt defenſores graeci aduerſus hunc *Groſſolanum*; Ioannis *Furnei*, (*Phurni*, alii,) monachi, refutatio epi mediolanenſis, (non procedere ſpiritum ſ. a filio) habetur in variis bibliothecis; huic repoſuerat mediolanenſis aepus *Petrus* (diſputatio *Petri*, latini, mediol. epi, aduerſus monachum, dominum Ioannem *Furneum*, Montis *Gani* praefectum;) itaque et *Furneus* reſpondit huic Petro, coram *Alexio* Comneno, et ſynodo ac ſenatu, vt habetur in codice *barocciano*; deſcribit verboſius controuerſiam illam *Allatius* libro 2 de eccleſiae orient. et occident. perpetua conſenſione, c. 10. Huius *Phurni* etiam alia opuſcula ſuperſunt in bibliotheca *Vindobon*; nec nihil de eo agit Anton. *Arnaldus* in gallico opere *de perpetua fide* eccleſiae circa ſacram. Euchariſtiae, lib. 2 c. 11. *Eu-*

ſtratius, ex monacho epiſc. Nicaenus, quem *Comnena* laudabat, (vid. pag.) auctor. commentar. in quosdam libros *Ariſtotelis*; (vid. *Labbei* conſpectus interpretum graecorum Ariſtotelis;) plures theologic. tractatus aduerſus *Latinos* recenſet *Allatius* lib. 2 de conſenſu vtriusque eccleſ. c. 10. Scripſerat etiam aduerſus *Armenos*, ſed ſic, vt ei quaedam in ſynodo Cpolitana emendanda fuerint; ἐξομολογησις illa habetur in bibliotheca *vindobonenſi*. *Theodori* prodromi multa habentur carmina; *libros amorum* 8 edidit *Gaulmin*; grammaticae et philoſophicae ſcriptiones plures ſuperſunt in MStis; varios *canones* ſeu ſacra cantica feſtalia explicauit; *epiſtolas* etiam ſcripſit varias. Dicitur non raro πτωχοπροδρομος. *Euthymius* Zygabenus, auctor *Panopliae* orthodoxae fidei, aduerſus omnes haereſes, cuius tantum latina lucem vidit translatio; graece exſtat ſaepe in variis bibliothecis. Opus, quod vtilitate non caret, maxime, ſi graeco omni vti liceret. Collectum eſt ex patribus in *titulos*, locos hiſtoricos, ſeu ſectarum. Contra *Epicureos*. de deo; trinitate; non comprehendi poſſe naturam diuinam. De appellatione dei; de opificio. tit 7. de aſſumtione carnis. de vna *compoſita* verbi perſona. Tit. 8 contra *Hebraeos*. 9. aduerſus Simonem, Marcionem, Manetem; Valentinum. 10. contra *Sabellium*. 11. *Arianos*. Volumen 2. tit. 12 de Spiritu ſ. 13. aduerſus Apollinarium. 14. Neſtorianos. 15. Monophyſitas. 16. Aphthartodocitas. 17. Theopaſchitas. 18. Monotheletas. 19. Imaginum aduerſarios. 20. Armenios. 21. Paulicianos. 22. Meſſalianos. 23. Bogomilos. 24. Saracenos. *Commentarius* in pſalmos prodiit iam demum *Venetiis* 1763 additus nouae *Theophylacti* editioni tomo 4; licet multi dicant, poſt *Caeum*, iam 1530 Veronae prodiiſſe; *latina* fuit tantum translatio. In prooemio ipſe dicit, *non vno modo interpretabimur omnia*; ſecundum *hiſtoriam*, prophetiam, allegoriam, moralem ſenſum; ſed vnum dictum variis ſenſibus ſubiiciemus. Ψ. 2, filius meus es, ad aeternam generationem; *hodie genui*, ſeu

ἐκτι-

ἐκτισα te, ad humanam naturam. 3. multi dicunt de *anima mea*, i. e. *de me*. Operae pretium eſſet, conferri diligentius hanc expoſitionem cum *Catena Corderii*; Euthymius praecipue *Didymum* ob oculos habuit, e quo forte plura deſcripſit, quam illa catena; poſſit autem et graeca editio emendari, vt Ψ. 1. 5, habet *veneta*, αὐτῳ κατακειτοι, melius *Corderius*, αὐτοκατακειτοι. Contra ex *Catena* etiam patet, vnde alia ſint, quae *didymi* non ſunt; Theodori enim, Theodoreti. Carere autem multis aliis bonis rebus non poſſumus, quas non attigit Euthymius. Eidem tributus commentar. in 4 euangelia, et in epiſtolas Pauli; eius ſunt 12 capitula contra *Romam* ſeu *Italos*, de Spiritu ſ. et quaedam alia. *Eliam cretenſem*, iuniorem, diuerſum ab Elia *aepo* cretenſi, poſt initium huius ſeculi recenſet *Oudinus*, auctorem commentarii in orationes *Gregor.* nazianzeni plerasque, quo excuſo vtimur; nec ratione caret *Oudini* ſententia. Alium commentarium in Ioh. Climacum, qui *Euſtathium* fere aequet in Homerum, vidit *Raderus*, in auguſtana bibliotheca; cuius pars etiam in *vindobonenſi* bibliotheca exſtat. Reſponſa Eliae ad *Dionyſii* monachi 8 quaeſtiones, ſeu caſus, in iure graeco romano habentur, libro 5. *Nicetas*, iunior, byzantinus, monachus ſeu philoſophus, ſyllogiſmos contra Latinos ſcripſit; alia quaedam ſunt antiquioris *Nicetae*, ſeculi 9. *Iſaaci*, magnae Armeniae Catholici, orationes 2 aduerſus errores Armeniorum, idem cum Eutyche &c. ſentientium, *Combefiſius* edidit. *Lucas Chryſoberges*, Cpolit. patriarcha, edidit *decreta ſynodalia* varia; habentur in iure graecoromano libro 3. *Nilus* (*Nicolaus* alibi) notarius patriarchicus Cpolit. et protoproedrus, cognom. Δοξα Πατρι, doxapatrius, ſcripſit iuſſu *Rogerii*, regis Sicil. 2di de 7 ſedibus patriarcharum; habetur inter varia ſacra le *Moïnii*; etiam expoſit. in *Gregorii* nazianz. quaedam carmina. In *Montfauconii* itinere Italico deſcribitur Nili *Nomocanon*; num. 39 ſunt canones Petri Antiocheni; qui fuit tempore *Alexii*, contra τον Βεκκιας, qui ſe patriarcham dicit;

dicit; ſunt tantum 5 patriarchae, tot ſenſus corporis eccleſiaſtici; de eodem nomocanone *Montfauc.* agit in palaeographia. *Theophanes*, cerameus, aep. tauromenii; eius *Homilias* feſtales edidit Franc. *Scorſi*, auctorem ſeculi noni adſcribens; eius rationes *Allatius* ſubuertit; *Rogerium* regem, falſo ſec. 11 tribuens, quem errorem correxit *Lambecius* et *Oudinus*. *Graecos* igitur homines iſto adhuc tempore libera ſacra habuiſſe in *Sicilia* hinc concludere liceret. *Alexii Ariſteni*, nomophyl. et oeconomi magnae eccleſiae, *Synopſin*, ſeu collectionem canonum edidit *Iuſtellus* in biblioth. iuris canon. veteris; iterum cum *ſcholiis* graecis, *Beueregius* in *Pandectis* canonum; *Beueregius* ſynopſin putauit his Ariſteni ſcholiis antiquiorem; alii contrariam ſententiam videntur iure potiori praeferre; ſcholia eſſe iunioris ſcriptoris. Collegit *Oudinus* pag. 1300 ſeqq. diſſertationem de aetate et ſcriptis *Simeonis*, Metaphraſtae, ex *Allatio*, *Caueo*, *Combefiſio* etc. Fuit *Cpoli Logotheta*, et Magiſter Palatii; eum quidam ſeculo decimo ineunte recenſuerunt; recte autem van *Maſtricht* et alii in hoc ſeculum fere medium ponunt; cap. 7. Teſtimonia veterum de *Simeone*; c. 8. 9. *Allatius* et *Lambecius* ei multa opera tribuit; praeter *Metaphraſes*, *ſermones* inueniuntur non pauci, κεφαλαια, epiſtolae, *chronicon* ex aliis mediocri diligentia compilatum; (ex Theophane, *Leone* grammatico, *anonymo* &c.) Alii quasdam ſcriptiones dabant iuniori *Simeoni*, ſeculi huius, *vitas* autem SS. ſeniori; ſed ſine certa ratione id faciunt. Pluribus nobis hic non eſt locus; ſed de *vitis SS*, poſt *Ioſephum Medum*, virum et probiſſimum et doctiſſimum, notamus: hominem tam eſſe inſanum et barbarum, vt *Martyrum* adeo preces ad deum iſto omine non paucas confinxerit, audi deus, qui *meo nomine* rogauerit, dicens, feſtina, propter interceſſionem *Blaſii*, (*Barbarae*, *Catharinae* ſimiles confinxit,) fac cito in eo curationem &c. *Medus* de *Apoſtaſia* nouiſſimor. temporum p. 183 ſeqq. edit. latina Baſil. 1657. 8. Baſilii Achrideni, aepi theſſalon. habentur 2 ſcriptiones graecae-

cae, ſeu diſputat. cum epo beneuentano, in cauſſa proceſſionis ſpiritus ſancti; varias plures lectiones eſſe in MSto *vindobon.* notauit *Lambecius*; ad eum epiſtola Papae *Adriani* 4 habetur, de componenda diſcordia fidei. *Manuel Comnenus*, ad quem papa *Alex.* 3 miſit ſubdiac. romanae eccleſ. *Iohannem*, *Hugonem Aetherianum* aduerſus graecos ſcribere non inuitus paſſus eſt, vt iam diximus; epiſtola ad imperatorem *Conradum* exſtat in *Cinnamo*, vnde facile colligitur, quo conſilio tam moderate in Latinos ſcripſerit; eius *Nouellae* 5 habentur in iure graecoromano; *Legationem* eius ad *Armenos*, ſeu *Theoriani* cum Armen. catholico diſputationem de religione *et recta fide*, edidit *Leunclauius* baſil. 1578. 8. Adhibitus fuit interpres, cuius ἀγχοικια excuſatur. *Theorianus:* exteri το ἀτομον, ἠτοι την ὑποστασιν, και το ἓν τῳ ἀριθμῳ, ἐσιαν ὁριζονται, hoc patres non ſuſcipiunt; nam ſubſtantiam, ἐσιαν, και φυσιν τα καθολε, ſeu vniuerſalia dicunt, multa de *ſubſtantia*, *hypoſtaſi*, perſona; multae ſententiae ex patribus; catholicus pag. 67 citat ex *armenica* translatione *Nazianzeni;* hic codicem mendoſum eſſe dicit *Theorianus*, et affert *ſyriacam* translationem. pag. 95 iam aduenit Epus *Ceſſuuii*, Ioannes, Syrus, et reprehendit Armenum, quod *Romanis* conſentiat et Neſtorio; non deſunt lectu digna, etſi diſputatio ſit de rebus notis. *Andronicus*, *Camaterus*, Drungarius, et Manueli Comneno affinis, dialogum aduerſus Latinos ſcripſit, perſonam imperatoris indutus. *Michaelis*, athenienſis metropolitae ſuperſunt in bibliothecis Angliae varii *ſermones*. *Georgii*, metropol. Corcyrenſis, epiſtolas aliquot latine exhibet *Baronius* tomo 12, aliis omiſſis, quibus haud dubie hoc tempus aliquid lucis acciperet; ad hunc ſcriptorem falſo *Allatius* retulit *diſputationes* 2 cum fratribus minoribus, quae ſunt alius *Georgii*, ſeculi 13. *Euſtathius*, aepus Theſſalonicenſis, quem commentarii in *Homerum* et *Dionyſium* periegetem (hos *Iohanni ducae* inſcripſit, filio *Andronici* Camateri;) etiam illud opuſculum, de *Iſmenes* amoribus, ſatis celebrem fecerunt,

runt, etiam in *Ioh. Damaſceni* canonem ſcripſit, et plures *orationes*, qui MSti ſuperſunt. *Theodorus Balſamon*, antioch. fuit patriarcha, licet ſedem *latini* tenerent; Cpoli itaque vixit; eo magis Graecorum aduerſus *Latinos* ſtrenuus defenſor; poſt initium ſeculi ſequentis mortuus eſt; eius commentarium in canones conciliorum et canonicas epiſcoporum epiſtolas optime edidit *Beueregius*; commentarium in *Nomocanonem Photii*, edidit Iuſtellus in bibliotheca canon. Epitomen fecit canonicam *Nouellarum Iuſtiniani*, cuius MSta differunt; varia *reſponſa* ad quaeſtiones canonicas habentur in iure graecoromano: ibidem reſponſa ad *Marci*, alex. patriarchae interrogata; Epiſtola contra dignitatem, quam ſibi arrogat archiepus *Gradenſis* ſeu Aquileienſis. *Michaelem Pſellum*, tertium, recenſet hoc tempore *Oudinus*, vt videtur, non ſine ratione, cui *epiſtolas* ad *Euſtathium* et minores quasdam ſcriptiones tribuit. *Demetrius* aliquis *Tornicius*, de proceſſ. ſpir. ſancti ſcripſit contra *Latinos*; eius et *Allatius* meminit. Ex *Michaelis* 3 huius nominis hoc ſeculo patriarchae dialogo, perſpicimus a Graecis praecipue Latinos poſtulaſſe τα πρωτεια primatum, appellationem, et commemorationem; vid. *Allatius de conſenſu* lib. 2 ſaepius; ſuperſunt etiam huius patriarchae quaedam ſtatuta ſynodalia, in iure graecoromano lib. 3. *Hiſtorici* graeci huius temporis ſunt *Ioannes Zonaras*, monachus ex Proto a ſecretis; ſcripſit Χρονικον, *annalium* nomen eſt vſitatius; optime edidit *du Cange*, qui in praefatione etiam de aliis hominis ſcriptis diligenter egit; ſunt e.c. *commentarius* in canones conciliorum; λογος, quo eos refutat, qui feminis ἐκχυσιν putant eſſe immunditiam, exſtat in iure graecoromano; commentarii in varia cantica eccleſiaſtica; praeter alias minores ſcriptiones, in bibliotheca *Vindobon.* recenſentur epiſtolae 56, alii codices tamen *Glycae* tribuunt. Lexicon *Zonarae* habuit Scaliger; eſt etiam in vindobonenſi bibliotheca; *poemata* quaedam aduerſus *Latinorum* doctrinam de Spiritu ſ. *Nicephori Bryennii*, mariti *Annae Comnenae* libros 4 de re-

bus

bus *Alexii Comneni* et Botaniatae *Poſſinus* edidit; *Annae Comnenae* Alexiadem libris XV notis vtiliſſimis auxit du Cange; eius hiſtoriam continuauit *Ioh. Cinnamus*; *Conſtantini Manaſſis* ſynopſis hiſtorica, verſibus politicis (cuius et quaedam epiſtolae ſuperſunt,) *Georgii Cedreni*, chronicon, quod pertingit ad annum 1081, hoc ſeculo compilatum. Iſta hiſtorica commentaria in *corpore byzantino* habentur. *Hippolytus* Thebanus, cuius *chronicon* a *Nicephoro*, a Michaele Glyca &c. citatur, videtur hoc ſeculo verius recenſeri, quam ſeculo 10. 11 alii faciunt; pauca tantum fragmenta lucem viderunt, de rebus ſeculi primi. *Ioannes Phocas* cretenſis, deſcripſit *loca ſancta*, inde ab *Antiochia* per Hieroſolymit. tractum; exſtat inter *Symmicta Allatii*; recentiori editioni corporis byzantini *Venetae* addita. *Andronici Comneni* imperatoris *dialogum* contra Iudaeos, e codice *Sirleti* latine transtulit *Liuineius*, ab ipſo diuiſum in capita 65; graecum explar exſtat in bibliotheca vindobonenſi, et quidem authenticum, vt *Sambucus* autumauit. *Nicetas* Acominatus, *Choniates*, hiſtor. imperatorum Graecorum ſcripſit ab *Alexii Comneni* obitu. libros ſeu tomos 27 theſauri *orthodoxae fidei*; 5 priores latine edidit *Morellus*; illam partem, quo ordine recipiantur, qui a Saracenis ad chriſtiana ſacra tranſeunt, ſine nomine auctoris edidit *Sylburgius* inter *Saracenica*. Frater eius fuit *Michael* Acomin. choniates, cuius ſuperſunt in bibliothecis quaedam *orationes*; controuerſia inter animam et corpus. *Suidas* etiam, ille *lexici* graeci auctor, in hoc ſeculum a *Kuſtero* recte collocatur; Ioannes *Tzezes*, frater *Iſaaci*, qui *Lycophronem* illuſtrauit, ſcripſit *Chiliadas* hiſtoriarum verſibus politicis; *allegorias* mytholog. phyſicas et morales; in MStis ſuperſunt *Epiſtolae*; commentarium in *Heſiodum*; allegoricam metaphraſin *Homeri*; de arte *rhetorica* &c. *Ioannis Camateri*, patriarchae Cpolitani, varia poemata in bibliothecis Galliae et Angliae ſuperſunt, de Zodiaco et planetes; ſynopſis aſtrologica; reſponſio ad ea, quae papa ei ſcripſerat; *catechetici*

tici duo; decretum de nuptiis consobrinorum, habetur in iure graecoromano. De *Pseudoiosepho*, Gorionide, et eius libris, dissertationem collegit *Oudinus* pag. 1032 seqq. et in hoc seculum illud opusculum non male retulit. *Constantinopolitana* editio a. 1510 plura continet, quam *Munsterus* expressit; recentior est *Breithauptii* editio, quae Cpolitanam refert. R. *Beniamini*, *Ionae* tutelensis filii, *itinerarium* tandem attingimus, e quo *statum Iudaeorum* per hoc tempus informare licet; ingenio tamen iudaico hic ibi non parum auctor dedit.

Tabula seculi XII.

A. Christi 1101 Hegirae 495. *Conradus* rex Italiae, fil. Henrici imper. mortuus. Controuersia inter Regem Angliae et *Anselmum* de *inuestituris*. *Anselmus* mediol. aep. *Hugo*, aep. lugdunensis, et plures alii magnas copias in terram sanctam ducunt, postquam de successibus rei prosperis constabat. *Bruno* ordinis *cartus.* auctor moritur d. 6 Octobr. In regnis *Castellae* et *Legionis officium romanum* receptum; character *Gothicus*, vel Longobardus, quem *Vlfila* dederat, relinqui coepit. *Bruno*, aep. Treuir. ab hoc anno ad a. 1123 floret. *Hartouico* magdeb. aepo succedit *Henricus* a. sequenti; *Gislebertus*, abbas westmonasterii apud Londinum scripsit *dialogum cum Iudaeo*; eum Anselmi operibus subiecit *Gerberonius*. *Thiemo*, aep. Salzburg. a Saracenis apud Chorozaim occisus.

1102 Hegirae 496. d. 15. Oct. *Bruno* ordinatus aep. treuirensis. Concil. *Lateranense*; sententia in *Henricum* 4 imper. prolata, in die *coenae domini*; chronic. *Vrspergense*, quod hic alius auctoris verba recitat. Papae epistola ad aep. Colociensem in Hungaria, quia Hungari sumtus et procurationem papae legato recusabant; de *auaritia legatorum* loca quaedam apud *Pagium*. Concil. *Londini* per Anselmum, praecipue pro *caelibatu* clericorum. Moritur *Wladislaus*, dux Poloniae; prouinciae inter filios, *Bolesl.* et *Sbigneum* diuisae. *Letbertus*, abbas S. *Rufi* floret, auctor libri de *floribus psalmorum*.

Wa-

A. Christi

Walerammus, epus *Numburgensis*, *Anselmum* cantuar. rogat, de diuersitate sacrificii, in diuersis ecclesiis. Papa excitat comitem Flandriae in *leodienses*, qui a parte imperatoris erant. *Otto* ab Henrico imper. renuntiatur epus *bamberg.* *Galo*, papae legatus in *Poloniam* abit.

1103 Hegiræ 497. d. 5 Oct. In *Anglia* de *inuestituris* acerrimae lites, inter regem et Anselmum; vid. *Eadmeri* librum; Nouorum. Anselmus romam petiit; *Lugduni* inde haeret vsque ad a. 1105. Iudicio ignis Mediolani *Gros. solanus* aep. reiicitur; ligna pro 30 solidis denariorum emta; presbyter cappam aepi cassauit &c. *Ludouicus* grossus cum patre *Philippo* regnat. *Gebehardus* epus constantiens. eiicitur, suffecto *Arnoldo*; iste postea papae *legatus* fit. Comes Flandriae Henrico subiicitur. Bellum inter duces Poloniae.

1104 Hegiræ 498. d. 23 Sept. *Philippus* rex absolutus ab excommunicatione in concilio parisiensi, iuramento praestito. *Blondellus* ostendit, in libro de *formula regnante* Christo, non eo demum tempore, quo rex fuit sub excommunicatione, hanc formulam vsurpatam. Concilium *Trecense*, ante illud parisinum. *Bruno*, treuir. Romae in concilio poenitentiam subit, quod a laico inuestituram acceperat. *Venetorum* classis crucesignatos in Palaestina adiuuat; ex hoc tempore Venetae res multum succreuerunt; *Genuenses* nauibus fere centum obsidionem Ptolemaidis feliciter conficiunt. *Guibertus* fit abbas *Nouigenti*. *Duellum* sacrum in insula pictauiensi, de 2 moletrinis; fabula, de apparitione mortuorum ex peste monachorum *Fuldensium*, cum cellerarius diceret, penum tot eleemosynis non sufficere; dicunt ei, impium esse, monachos, qui totam vitam deo impendunt, carere vnius anni *post mortem* stipendio, *Wilhelm.* malmesbur. lib. 3 et ex eo Vincentius. Res cruciferorum in oriente minus feliciter geruntur. *Daimbertus* patriarcha Hierosolym. expellitur.

1105 Hegiræ 499. d. 12 Sept. Patri rebellat *Henricus*, papae studiosus; pater insignia imperii filio tradit; vid. Chronic. *Vrspergense*, de synodo *Northusana*, praesidente *Ruthardo* mogunt. *Formula* chartae, in histoire de Langue-

A. Chriſti

doc, tomo 2 pag. 367 inter documenta: *En.* (Henrico) *Teutonicorum haereſiarcha* excommunicato. Concil. ſub Paſchali *lateranenſe* 2. papa *Groſſulanum* aep. mediol. reſtituit. Soror regis Angliae, comitiſſa bleſenſis, fratrem eo adducit, vt *Anſelmum* de reditibus pontificatus reneſtiret. Ex epiſtola *Marbodi* (*Mabillon.* annales tomo 5 p. 475) patet, *paupertatem* ad comparandum locum *in diuitibus monaſteriis* adſpirare non potuiſſe; pecunia enim ſcientiae praeferebatur. *Altkirchen* in dioeceſi baſileenſi traditur *Cuniaco*. *Gebhardus*, abbas Hirſaug. fit epus *Spirenſis*. *Cuno* fit abbas Sigebergenſis tertius, in dioeceſi colon. *Ilſenburgenſes* monachi, Henrico 5 eis fauente, eligunt *Martinum* abbatem; (de monaſterii *abbatibus* vid. *Leibnitii* tomum 3 pag. 685. *Leucfeldii* antiquit. *poeldenſ.* p. 217 et braunſchw. intelligenzen 1746 num. 87. 89. ſuperſunt plura ſupplementa.)

1106 Hegiræ 500. d. 2 Sept. *Henricus* imperator in illa calamitate moritur; *Bruno* aep. treuirenſ. *curiae regiae Vicedominus* conſtituitur (auctor hiſtor. treuirenſ. apud *Dacherium* pag. 221 tomo 2 edit. fol.) Papa venit in Galliam. Tertium iter ex occidente in Palaeſtinam, poſt concil. *pictauenſe*; *Anſelmus* in Angliam redit. Ex *Ordorico* atque *Eadmero*, in hiſtoria nouorum, narrat *Mabillonius* annal. p. 489, cum *Boamundo*, Apuliae duce, Hieroſolymis redeunte, comitem veniſſe in Galliam magiſtrum militum *Ilgyrum*, qui attulit *reliquias*, et inter eas XII capillos Mariae; eos diuiſit, 1 accepit *Anſelmus*; alios eccleſ. *rotomag.* itaque pompa capillis ſanctis obuiam miſſa. Moritur *Thiofrid*, abbas *epternac.* auctor 4 librorum, *flores epitaphii ſanctorum*, (1619 excuſi ſunt Luxemburgi cura Ioh. *Roberti*, Ieſuitae,) in eis contra *reliquiarum* ornatum alicubi declamat. *Lotharius* comes ſupplinburg. ſuccedit *Magno* in ducatu ſaxon. Fama per eccleſiam obtinet, breui tempore *Antichriſtum* reuelatum iri. *Norbertus* ipſe hoc ſeculo eum exſpectandum eſſe *Bernhardo* dixit; *Baron.* num. 26. *Hugo* aep. lugd. moritur.

Con-

A. Chriſti
1107 Hegiræ 501. d. 22 Aug. Concil. *Londini*; inueſtituram rex dimiſit, homagium epi confirmarunt. *Gibelinus*, arelat. aepus, fit patriarcha *Hieroſolymitanus* per papam, poſt *Daimbertum*. Geſta *Paſchalis* in Gallia recenſet *Mabillon.* in annalibus; *Berengoſus* floret, abbas S. Maximini treuir. (tres libros de *inuentione* ſ. crucis ſcripſit;) Cruciferi *Alexium* imperat. tandem cogunt conſilium mutare; concordia inter *Alexium* et *Ioannudum* Antioch. principem facta.

1108 Hegiræ 502. d. 11 Aug. Concil. *londini*, contra matrimonia clericorum; ea maxime vſitata fuerunt etiam in *Normannia*; vid. locus eximius apud *Pagium*, de presbyteris, qui publice vxores ducebant, et liberis ſuis haereditem de eccleſia relinquerent. *Communiae* in Francia inſtitutae, vt presbyteri comitarentur regem cum vexillis et parochianis omnibus. Rex *Philippus* mortuus; ei *Ludouicus 6*, Groſſus, ſucceſſit. *Baldricus* fit epus Dolenſis. *Barcinonenſes* a Saracenis impetiti auxilium petunt a Ludouico rege, qui ideo cum *Heinrico* Angliae inducias facit. *Heinricus* imperator in Hungariam ducit parum feliciter. *Wilhelmus* de Campellis, ep. pariſ. qui in ſchola cathedrali adhuc ipſe magiſtrum egerat, ſecedit ad S. Victorem, ſcholamque eo transfert. *Jugulſus*, abbas Crulandiae obit.

1109. Hegiræ 503. d. 31 Iul. *Alfonſus 6*, rex leg. et caſtellae moritur, (is non raro *imperator* dicitur,) Moritur *Anſelmus* cantuar. aep. (vid. *Eadmerus*, qui eius vitam ſcripſit, et hiſtoriam *nouorum* libris 6.) etiam *Robertus*, primus abbas molismenſ. fundator ordin. *ciſtertienſ.* item, *Hugo* abbas cluniac. Synodum *rhemenſem* hoc anno recenſet *Baronius*. Pagi rectius in annum 1105 reiicit. *Tripolis* capta a cruciferis. Sub hoc tempus *Thomas* ex Haran, metropolita in prouincia *aleppenſi monotheliſmum* dicitur inſtauraſſe; *Iohannes*, patriarcha antioch. Graecus, ſcripſit contra Thomam, qui epiſtolam aliam ſcripſit, in 10 propoſitiones diuiſam &c. *Pagi*, ex Fauſto *Nairono*; Thomae non defuerunt ſectatores ex Maronitis. Exempla *manumiſſionis* publicae, in Mabillon. annalibus, pag. 533. Initia academ. *cantabrigienſis*; (legebatur Priſcianus,

A. Christi

nus, *logica* Aristot. iuxta Porphyrii et Auerroi Isagogen; *rhetorica* Tullii et Quintiliani;) annal les p. 539. Monasteria ab *Ottone* bambergens ditata, ibid. pag. 540 seq. *Hugo* monachus, flo ret in monasterio *floriacensi*, auctor *historiae ec clesiasticae* libris 4. idem scripsit 2 libros, de re gia potestate et sacerdotali dignitate; (exstat in *Baluzii* miscell. tom. 4.) contra eos, qui sacerdo talem dignitatem maiestati regiae praeferunt.

1110 Hegiræ 504. d. 20 Iul. Synodus glorioſa *Lateranenſis* chronic. hildeshem. pa cta inter papam et *Henricum* regem; circa hoc tempus *Grossulanus* iter in orientem suscipit; fal sum tamen, eum *Henrico* coronam longobard impositisse. E *statutis Guigonis*, prioris *Cartu siae* quinti, specimen hoc anno refert *Mabillon* in annalibus. *Guibertus*, abbas Nouigenti, li bros 8 de gestis dei per Francos dicat epo *Lisiar do*; libro 1 c. 5 refert epistolam *Alexii* de reli quiis *Ioh.* baptistae, et reprehendit *feretrorum ad pecunias corrogandas circumlationes*; idem libris 4 de pignoribus sanctorum hoc argumentum fusius tractauit. *Bethlehem* erigitur in sedem episcopa lem; diploma est ap. *Wilhelmum* Tyrium, lib. 11 c. 12. Henricus Ladislaum aduersus Boriuoium in Bohemia sustentat. *Norwegiensis* classis, Afri cam praeteruecta, *Ioppen* applicat; Wilh. Tyr.

1111 Hegiræ 507. d 10 Iul. *Henricus* romae coronatur a *Paschali*, et accipit ante altare *priuilegium inuestiturarum*, quod postea prauilegium dixerunt. Moritur *Boamundus* Antio chiae princeps. *Rupertus*, abbas postea monaster. *Tuitiensis*, ad Rhenum e regione Coloniae, flo ret; scribit libros 12 de *diuinis officiis* (lib. 8 c. 14, hoc anno) eius aduersarii fuerunt Guil. a S. Theodorico, Wilhelm. Campellensis, Ansel mus decanus laudunens. Primus notauit mino res descriptiones de corpore Christi, cui anima lem vitam, quae est in 5 corporis sensibus, non inesse statuebat Rupertus. *Bertholdus* comes *Henneberg*. Augiam dei, *Gottesau*, in spirens epiſcopatu ditat.

1112 Hegiræ 506. d. 28 Iun. In *lateranensi* concilio priuilegium de *inuestituris* re uocatur; inuestitura etiam in concilio *Viennens* prohibita et *Henricus* excommunicatus. *Arnul-*

fus

A. Christi

fus post Gibelinum patriarcha Hierosolymit. ecclesiam aliquam s. sepulcri committit Fructuariensi abbatiae. Initia monastica *Bernhardi*. *Iohannes* comes Suessionensis Iudaeis et haereticis fauet; contra eum *Guibertus* scribit. Hoc anno desinit chronicon *Sigeberti* gemblacensis. *Vdalricus*, aquilej. patriarcha, qui et abbas fuit S. Galli, moritur. Heinrico primo comiti *Portugalliae* mortuo succedit filius *Alfonsus*, qui regis nomine inde vsus est. *Tancredus*, princeps Antiochiae moritur. Charta archiepi et vicecomitis Narbonensis, qua statuunt, *naufragorum bona* a suis non diripienda; in histoire de languedoc tomo 2 pag 383.

1113 Hegiræ 507. d. 17 Iun. Papa Synodum habet *Beneuenti*, contra seditiosos. *Balduini* nuptiae cum comitissa *Siciliae*. *Petrus Abaelardus* in Gallia, *Anselmum* laudun. et alios doctores laude fere vincit. *Wilhelmus*, de campellis sit epus catalaunens. *Bernardus* Cistertium ingreditur. *Aluisus* monachus scribit *Gregorialem*; exstat in editione benedictinorum; Comitia *Erfordiae*, Saxones et alii Henricii hostes postea proscripti.

1114 Hegiræ 508. d. 7 Iun. *Rogerius*, comes Apul. et Sicil. archiepiscopatu deiicit *Arnulfum*, eumque monachum fieri iubet; habitum vero is exuit; chronicon cassin. lib. 4 c. 40. Papa ducatum *Italiae* (sic MStum; intelligitur *Apulia*,) Calabriae, Siciliae concedit Wilhelmo. Reliquiae christianorum sacrorum adhuc in *Africa* supersunt. *Henricus*, rex Angliae, *Walliam* sibi subiicit. Imperator *Alexius* dat operam *Manichaeis* corrigendis. Initium belli *balearici*, per Pisanos, auctore papa. *Duellum* propositum, in causa *coliberti*, annal. Mabillonii, Hoc anno *Trithemius* in chronico describit monasteria triplicia; *imperialia*, *regia*, et alia, quae isto iure non gaudent.

1115 Hegiræ 509. d. 27 Maii Lites in gallicis synodis, in causa ecclesiarum *Vesontionensium*, S. *Iob.* et *Stephani*, vtra sit cathedralis; aliae *synodi* in Gallia per *Cononem* legatum. Tumultus per Germaniam augent; 2 synodi *colonienses* aduersus Henricum; *Arnulfus*, patriarcha Hierosolym. in synodo depositus. Quatuor

A. Christi

Cistertienses abbatiae succrescunt, *Firmitas*, *Pontiniacum*, *Claraevallis* huc *Bernardus* missus cum 12 sociis) *Morimundus*. *Maioricam* Pisani capiunt; quidam Maioricani *ad christiana sacra* transeunt. Concil. *Ouetanum*, e Sandouallio latine recitat Pagi; in eo *laici* etiam nomen scribunt. *Tanchelmus*, quem haereticum dixerunt, occisus. *Petrus*, Eremita, e Syria redux, moritur apud *Huyum*, in diöcesi leodiensi; fundator monasterii canonicor. regularium. Moritur comitissa *Mathildis*; epitaphium in annal. Mabillonii. Instrumentum dedicationis ecclesiae apud villam *Cassiani* in histoire de Languedoc tom. 2 p. 395, in ea *reliquiae*, de *spongia*, ori Christi admota, de *panibus facierum* et ipsius Mariae; de sindone munda; de sanguine *innocentium*; de lapidibus *Stephani*; de lapide reuoluto, de loco natiuitatis Christi &c.

1116 Hegirae 510. d. 15 Maii. Concil. *lateranense*, contra inuestiturae priuilegium; et de *Grossulano*. Seditio *Romae*. Conuentus eporum *Londini*, qui regem adeunt, vt papae nouus legatus prohibeatur; *Ino* carnot. epus fine anni aut initio sequentis mortuus; cuius *decreto* solebant ante *Gratianum* vti. *Henricus*, haereticus dictus, inter *Cenomannos* surgit. vid. auctorem de gestis eporum *cenomanens.* in analectis Mabillonii. Henricus, rex *Ertuwino*, epo wurceburg aufert *ducatum oriental. Franciae*, et fororis suae filio Conrado tradit. *Cistertiense capitulum* generale primum solet hoc a. designari, quod inde annuum fuit. *Rupertus*, Sigeberg. scribit de *voluntate dei* aduersus *Anselmum*, laudun.

1117 Hegirae 511. d. 5 Maii. *Henricus* Romae a *Burdino*, seu Mauritio, bracar. aepo coronatur; moritur *Robertus* de *Arbrissello* ordinis *Fontebraldensis* auctor; vid. acta SS. d. 25 Februar. etiam *Bernardus*, fundator congregat. *tironiensis*. (vid. annal. Mabillonii a. 1118. n. 52 seqq.) *Balduinus* dimittit siculam coniugem. Moritur *Anselmus*, laudun. decanus, theologiae professor per annos XL. *Erchembertus*, abbas corbei. et alii e Saxonia Hierosolymam petunt; *Rupertus* alia scripta edit; vide Apologiam *Gerberonii* pro Ruperto. De carcere monastico, *va-*

de

A. Christi.

de in pace, vid. annal. Mabill. tomo 6 pag. 8. Definit hoc a. *Florentii* Wigorn. chronicon.

1118 Hegiræ 512. d. *Paschalis* 2 papa moritur; *Gelasius* 2 suffectus; Henricus antipapam facit Burdinum; ille *pisanam* ecclesiam facit *metropolin.* *Alfonsus* Aragon. expugnat Saragossam. Moritur *Balduinus* 1; succedit nominis *secundus*; moritur *Alexius* imperator. *Elmacini* historia saracenica hoc a. finit. *Templariorum* militum origo a multis hoc anno, ab aliis *sequenti*, designatur. *Synodi* variae, *colon.* &c. Monaster. in loco *Wrangia*, herbipolens. dioeces. conditum; abbas primus *Ecchardus.* Nouae obiectiones aduersus opuscula *Ruperti*, vid. annal. Mabillonii.

1119 Hegiræ 513. d. 14 Apr. *Gelasius* in *Gallia* de synodo *remensi* habendi, consilia agitat; mortuo succedit *Callistus* 2, qui *Tolosae* et *Remis* concilium coegit. *Ioannes*, Alexii fil. aduersus Persas feliciter bellum gerit. Moritur *Petrus* de honestis, institutor canonic. regularium b. Mariae in porta, in agro rauennatensi; *regula* eius canonica edita ad calcem operum Petri Damiani. *Muhamed Ebn Tumart* poenitentiae praeco inter suos floret; rebellionem suscitat aduersus Califam Bagdadensem. *Iohannes* monachus *besuensis* scribit chronicon huius monasterii. *Rupertus* adhuc monachus scribit in *Apocalypsin*, 12 prophetas, et de victoria verbi dei. *Boleslaus*, dux Polon. *Pomeraniam* sibi subiicit; et *Balduinus* rex Antiochiam.

1120 Hegiræ 514. d. 2 Apr. *Calliisti* continua negotia in prouinciis galliarum; dat *Primatum* in VII prouincias aepiscopo *Viennensi*; in *Italiam* redit. *Olricus* fit aep. Mediolan. qui, sub *Iordano* adhuc institut, archipresbyter, *festum omnium fidelium* mortuorum; *Norbertus* instituit ordinem nouum *Praemonstrati*; huic Norberto *Guibertus* nouigenti abbas, dicat commentar. in Hoseam et *maiores prophetas.* Synodus *bellouacensis*, decretum de translatione *S. Arnulfi* fuession. *Gerardus*, institutor ordinis *Equitum Hospitalariorum* moritur. *Alfonsus*, rex Aragoniae, similem *ordinem militarem s. sepulcri* instituit, contra Saracenos; (fratres de *Palmis*, quia insigne gerebant *palmam*;) Coenobium *Amelungbor-*

A. Chriſti

bornenſe, pulſis *Calendariis* fratribus, exſtruitur. *Rupertus* ſit abbas Tuitienſis; *Henrici* regis Angliae 2 filios nautarum crapula in mari merſit. *Wilhelmus*, malmesbur. monach. abſoluit libros 5 de geſtis regum anglorum. *Henricus*, Eremita, e Danis, moritur.

1121 Hegiræ 515 d. 22 Mart. *Calliſtus* Burdinum capit; huius vita ap. *Baluzium* lib. 3 miſcellan. *Wurcheburgi* de concordia imperii et ſacerdotii diligentius tractatum. *Fridericus* epus Leodienſis, quem *colon.* aep oppoſuerat *Alexandro*, Henrici clienti, veneno perit. Moritur *Wilhelmus* campellenſis, epus catalaun. Concil. *Sueſſionenſe* aduerſus *Abaelardum*; Pagi. *Petrus*, cardinalis, papae legatus in Angliam non admiſſus. *Guiberti* opuſculum de *pignoribus ſanctorum* in lucem prodit; in quo *de curatione ſcropharum* per regem Francorum. *Bernhardi* prima opuſcula; Mabill. annales. *Algerus*, leodienſis canon. ſit monachus *Cluniaci*; ſcribit de *ſacramento altaris*. *Otto*, ep. Bambergenſis, poſtulat habitum monaſticum. *Monaſterienſes*, qui epiſcopum eiecerant, *Lotharius* Saxo bello petit, et epum reſtituit.

1122 Hegiræ 516. d. 12 Mart. Conuentus *Wormatienſis* ob concordiam regni. Henricus dimiſit inueſtituras; regalia daturus per ſceptrum *Petrus*, venerab. ſit abbas *cluniacenſis*; *Eadmerus* abſoluit libros 6 nouorum. *Sugerius* ſit abbas S. *Dionyſii*, Mabill. annal. *Bernardus* ſcribit *apologiam*, qua *ciſtertienſes* et *cluniacenſes* reprehendit. *Abaelardus* ſecedit in ſolitudinem *trecenſem*. *Petrus*, Tarentaſienſis poſtea aepus, in *bona valle* monachus. *Humbelina*, ſoror Bernhardi, amorem monaſterii admittit, e matrimonio paullo poſt egreſſa. Brachium S. *Matthaei* Caſinenſibus donatur, hac lege, vt *beneuentanos* gratis in monaſterium admittant. *Leopoldus*, Auſtriae Marchio, Vngariam ſuperiorem occupat.

1123 Hegiræ 517. d. 1 Mart. Concil. *lateranenſe generale* primum; 2 ſeſſionum; *canones Baluzius* ad librum 8 de *concordia* ſacerd. et imperii edidit, excommunicatio imperatoris ſublata. Canone XI *peccatorum remiſſio* conceſſa iis, qui iter Hieroſolym. aut *Hiſpanicum* faciunt.

Olde-

A. Christi

Oldegarius legatus in Hispania. *Venetorum*, post pacem cum Graecis instauratam, classis aduersus Saracenos feliciter rem gerit. In terrestri praelio *Pontius*, cluniacensis, lanceam sanctam tulit. *Iohannes* imperator graec. aduersus *Scythas* seu Hungaros ducit. *Marbodus*, redonens. epus moritur monachus. *Franco*, abbas atligemiensis, scribit de *gratia dei* libris 12. *Theodericus*, epus *cizensis*, monasterium *bosauense* (in monte *Bosaume*) exstruxit. Tumultus in *Thuringia* aduersus aepum Mogunt. ob *decimas*.

1124 Hegiræ 518. d. 18 Feb. *Boleslaus* 3 polon. dux per *Ottonem* bamberg. ducit sororem *Henrici* imperat. *Otto* a duce in *Pomeraniam* missus, vt christiana sacra ibi promoueret. *Henricus* imperator *Romos* expugnare proponit. Moritur *Callistus* 2; succedit *Honorius* 2. *Balduinus* rex e Turcorum vinculis, filia obside data, post menses 12 redit; floret in Hibernia *Malachias*; moritur *Guibertus*, nouigenti abbas. *Stephanus* etiam, de *Mureto*, auctor ordinis *grandimontensis*. Monasterium *Spanhemense*, dioec. mogunt. a monachis habitari coeptum. Templum *Petri*, in monte sereno, a *Dedone*, marchione Landsberg. exstruitur. *Alexandro*, regi Scotiae, succedit *Dauid*, frater.

1125 Hegiræ 519. d. 8 Febr. *Pontius*, olim abbas, cluniacum inuadit; anathemate a papa ideo percussus. Moritur *Henricus* imperator; eius in locum *Lotharius* eligitur, inter 4 optimates alios. *Bruno*, epus signiensis moritur. Lites cleri mediolanensis cum *Anselmo* aepo, qui videbatur papae nimium tribuere. *Cistertiense* institutum etiam ad sexum alterum propagatum; annal. Mabillon *Sugerius* abbas S. *Dionysii* oppidanos a *manu mortua* absoluit. *Hildebertus* e cenomanensi epo fit aepus turonensis. *Alfonsus*, imperator Hispaniarum (sic saepe in diplomatibus,) donat monasterio siluae maioris in Gallia 2 *Meschitas* in Molina. Chronicon S. *Trudonis* finit, tomo 2 Spicilegii, in abbate *Rudolfo*. In Sueuia monasterium *Ahusanum* surgit. Papae legatus, cardinal. *Iohannes* in Angliam et Scotiam admittitur.

A. Christi 1126 Hegiræ 520. d. 28 Ian. Moritur exabbas cluniac. *Pontius*. *Norbertus* fit aepus magdeburg. qui a. 1124 Antwerpiam aduersus *Tanchelmum* vocatus fuit. *Albertus* aquensis canon. floret, qui histor. hierosolym. libros 12 vsque ad a. 1119 perduxit. Moritur *Vrraca*, mater Alfonsi 7. *Abaelardus*, qui ob continuam calamitatem ad gentes se conferre cogitabat, fit abbas *Ruyensis*, in minori Britannia. *Cuno*, abbas sigeberg. fit epus ratisponensis, cui Rupertus dicauit libros 13 in Matthaeum, et de glorificatione trinitatis et de processione Spiritus s. de hac scripsit ad preces legati romani *Rollandus*, Lyriaci dominus, filium in *cunabulis* adhuc offert monasterio, annal. Mabillon. *Otto*, dux Morauiae a Bohemis occisus. Coenobium *Porta* circa id tempus fundatum, *Smolnae* primum.

1127 Hegiræ 521. d. 17 Ian. *Wilhelmus*, dux Apuliae, moritur; ei *Rogerius*, Siciliae comes substituitur, a papa excommunicatus. Concilium *Trecense* regulam *Templariorum* edit. *Wilhelmus*, (non ille historicus) primus e *Latinis* Tyri aepus, ex Anglia. *Gualfardus*, augustanus, solitarius moritur; acta SS. d. 30 April. *Carolus*. Bonus, comes Flandriae, *Canuti* Daniae fil. in ecclesia occiditur, acta SS. d. 2 Martii. *Guilielmus*, comes Burgundiae ante altare occisus. Origo monasterii *Igniacensis*, per aepum remensem. *Goffridus* vindocin. scribit aduersus epum Andecauorum, contra *redemtionem altarium*; annal. Mabill. *Lotharius*, imperator Norimbergam obsidet. *Eberacum*, in Franconia, coenobium, ordin. cistertiense, surgit.

1128 Hegiræ 522. d. 6 Ian. Pax tandem inter Honorium 2 et *Rogerium*, quem creat ducem Apuliae; patriarcha Aquilei. et *Venetus*, seu Gradensis, per legatum papae depositus, quia duci *Conrado*, Franconiae, aduersus Lotharium fauebant; ille *Conradus* coronam Modoetiae et Mediolani accipit; ideo aepus excommunicatur. Hierosolymitano patriarchae *Germundo* succedit *Stephanus*, carnotensis, et huic post 2 annos *Wilhelmus*, Mechlinienſis. Synodus *votomagi*, praesente rege Angliae, pro caelibatu. *Otto*, bamberg. epus, *Hala* per *Albim* in Haualam et inde ad Leuticiae littora profectus,

A Christi

ctus, vsque ad Demminum; anonymus auctor vitae. *Hugo* ex cluniacensibus fit aepus rotomag. qui 7 libros de rebus theologicis scripsit; (tomo 5 anecdotor.) *Lotharius* confirmat priuilegia *Stabulensium* contra Malmundarienses. *Iohannem*, Caroli M. armigerum, a. aetatis 361 mortuum hoc a. fuisse quidam scribere ausi sunt; *Vincentius* &c. Papa mittit legatum *Gregorium* cardinal. in *Daniam.*

1129 Hegirae 524. d. 15 Dec. *Philippus* filius Ludouici 6 a patre coronatur. *Monachae* ex monasterio argentolienſi, ob *spurcam et infamem* conuersationem, pulsae, per legatum papae, in Synodo apud S. Germanum de Pratis. *Heloisa* igitur abit ad *Paracletum.* Concil. *Londini*, contra vxores sacerdotum; *palentinum* in Hispania, in eadem causa. *Bernardus* Honorium reprehendit; annal. Mabillon. Conuentus principum apud Corbeiam, *Fridericus* aep. colon. reconciliatus. Magdeburgi tumultus aduersus Norbertum. *Meginherus* aep. mogunt. a *Conrado* capitur, et effossis oculis perit. *Helinandus*, monachus frigidi montis, historicus, floret.

1130 Hegirae 525. d. 4 Dec. *Honorio* 2 mortuo sufficitur *Innocentius* 2, licet inuitus; alii Petrum Leonis, *Anacleti* nomine praeferunt, huic et *Scotia* adhaeret, pars non parua Italiae, etiam *Rogerius*, qui *regis nomine* nunc vti coepit. *Innocentius* concil. *claromontanum*, celebrat. Occiditur *Canutus*, regulus abotritorum et dux Sleswicensis, *Erici*, boni, Daniae regis. fil. a *Magno*, Nicolai regis filio. *Honorius*, auguſtodunenſ. floret. *Isidorus*, madritensis, agricola, moritur, sanctis additus a Gregor. 15, die 15 Maii. Concil. *Wurceburg.* 16 eporum, *Innocentium* sequitur. *Baldricus*, dolensis aepus, moritur, qui multa scripsit, historica, poemata &c.

1131 Hegirae 526. d. 28 Nou. *Leodiensis* synodus, de canonisatione *Godehardi*, Hildeshemensis epi, papa *Innoc.* praesente; etiam *remensi* concilio papa interest, et accipit litteras *Lothario*, *Henrico* Angliae; *Alfonso*, aragon. et Alfonso, Castellae, regibus. Floret *Leopoldus*, pius, marchio Austriae, fundator monaster.

neu-

A. Christi

neuburgensis et *sanctae crucis*, quem 1485 Innocent. 4 sanctis adscripsit. *Balduinus* 2 moritur; succeſſit *Fulco*, gener, comes turon. cenoman. andegau. *Stephanus*, rex Hungar. moritur, succeſſit *Bela*. Synodus *moguntin.* *Clarae vallis* seu ciſtertiensis instituti propagatio noua, Mabill. annal. In *hirsaug.* coenobio floret *Conradus*, qui nomine *Peregrini* quaedam scripsit. Hugo monach. S. Victoris, floret; moritur *Fridericus* aep. colon. *Bruno* succedit.

1132 Hegirae 527. d. 12 Nou. *Innocentius* redit in Italiam; *Lotharius* sequitur eum, pro coronatione. Floret *Hugo Metellus*, canonicus regular. cuius plures epistolas ineditas vidit Mabilion. (in analectis.) *Goffridus*, vindocin. abbas moritur, eius scripta *Sirmondus* edidit, praeter commentar. in Psalmos. *Petrus* venerab. cluniacensis auget legum ordinis seueritatem; *ciſtertiensium* exemtio a decimis, cui Petrus hic se opponit, Mabill. annales. *Sanguinus* turcarum princeps praelio vincit comitem tripolit. et regem *Fulconem*. *Caloioannes* Antiochiam eripere tentat Raymundo.

1133 Hegirae 528. d. 1 Nou. Lotharius romae coronatur; episcopus Bernhardus, paderbrunnens. a papa *Rationale* (pallium) promeruit; fuit cum Lothario *Norbertus*, qui de *Polanorum* epis, ipsi subiectis, ex priuilegiis magdeburg. institiam a papa postulauit, chronic. magdeb. Meibomii. *Lotharii* epistola aduersus *Anacleti* sectatores, in Spicilegio. *Rogerius* in Apulia magnas vastationes circumfert. Seditio aduersus *Anselmum*, aep. mediol. ob malam administrationem. Innocentius Lotharii precibus Hamburgensi aepo *Adalberoni* subiicit episcopos *Daniae* et *Sueciae*. *Wibaldus* abbas in Stabulensi monasterio tollit inuestituram laicam. *Bernhardus*, epus Hildeshemensis, fundat monasterium S. *Godhardi*. *Atto*, qui *vallumbrosanam* congregationem adhuc rexerat, fit epus pistorienſis. Innocentius *Pisis* manet, vsque ad Anacleti mortem.

1134 Hegirae 529. d. 21 Oct. Concil. generale *pisanum*; interfuit *Hugo* rotomag. aepus, auctor operis de *officiis et ministris* ecclesiae, quod Dacheri edidit post opera *Guiberti* nouig. damnatus *Henricus* haereticus, paulo post

ab

A. Christi

ab *avelatensi* aepo captus. *Fridericus* et *Conradus* cum Lothario in gratiam redeunt. Rex *Danorum* et filius *Magnus* venit ad imperatorem *Halberstadium*, iurat, et gladium imperatori portat, chronic. hildesheim. *Bernhardus* papae per Italiam legatus varia negotia conficit, et *mediolani* cistertienses inducit, ibidem tertio ordini *Humiliatorum* dat regulam; (fratres de *conuenio*, et s. *Bernhardi*;) antea *humiliati* regulam non habebant. Mortuo *Alfonso*, rege Aragon. *Ramirus*, frater eius, annorum iam 40 monachus, rex succedit, ex venia *Anacleti* papae, vt videtur; *Alfonsus* autem rex castellae, regnum ad se pertinere contendit. Wurzeburgi monaster *S Iacobi* conditur. *Rogerius Capuam*, *Beneuentum* &c. occupat. Moritur *Norbertus*, magdeburg. *Hugo* de Folieto, floret in *corbeia* gallica. *Iohannes*, *hieromnemon* (quod est officii nomen) chalcedonius, Cpolit. patriarcha inde ab a. 1111, moritur; succed. *Leo* styopita.

1135 Hegirae 530. d. 11 Oct.

Gerardus, engolism. epus, legatus Anacleti, moritur. Iterum confirmatur pax inter *Germaniae* principes. *Rogerius* rex in Italia res atroces gerit. *Alexandri* abbatis *historia* finit; moritur *Henricus*, rex Angliae, successit auunculo *Stephanus*, comes bolon. *Alfonsus* 7 castellae rex, coronatur *imperator* Hispaniarum. *Bernhardus* scribit sermones in *canticum*. Moritur abbas *Rupertus*, de eius sententia, *de sacra coena* &c. vid. Mabillon annales. Monasterium *Kongslutera* reformatum a Lothario, monialibus eiectis. *Auerroes* Auicennae aemulus scribit in Aristotelem de caelo.

1136 Hegirae 531. d. 29 Sept.

Lotharii expeditio in Italiam, precibus crebris Innocentii, hic et *Bernhardum* rursus arcessiuit; bellum inter *mediolan.* et *cremonenses*. Bernhardi epistola, qua recens institutum in *lugdunensi* ecclesia *festum conceptionis* Mariae reprehendit. Rex Scotiae *Dauid* bellum infert regi *Stephano*, vt *Mathildi*, filiae Henrici, regnum assereret. *Anselmus* Hauelberg. redit e Cpolitana legatione. *Stephanus*, episcopus aeduensis, cluniacum secedit; huic aut alteri huius seculi tribuitur

A. Christi

tur liber de variis ecclesiae ministris et sacramento altaris; cap. 13. 14 verbum *transsubstantiare* occurrit. Moritur *Iutta*, filia comitis Spanhemensis, magistra *reclusarum* in monte S. Disibodi; ei successit *Hildegardis*, quae deinde coenobium in monte S. *Ruperti*, apud *Bingam*, exstruxit. Hoc anno finit appendix *Anselmi* gemblacensis ad Sigebertum. *Leopoldo* Austriaco succedit iunior Leopoldus.

1137 Hegirae 532. d. 19 Sept

Lotharius Innocentio est auxilio contra Rogerium; papa et imperator vexillum ad honorem ducatus Apuliae dant comiti *Rainulfo; Bernardi* inutilis legatio ad Rogerium. Moritur *Lotharius*; aepus armachanus moriturus; Celsus, mittit baculum suum ad epum *Malachiam;* ante Celsum octo extiterant viri *vxorati* et absque ordinibus; vita Malachiae per Bernhardum cap. 10. Moritur *Ludouicus* grossus; succed. Ludouicus 7 cui filiam Eleonoram dux Aquitaniae *Wilhelmus* 9 destinarat. *Ramirus* rex, redit in monasterium, filia comiti barcinon desponsata. *Wilhelmus* monachus Beneuenti *sermones* scribit; *primum* Mabillon. edidit in appendice annal. tomo 6. *Gerburga*, abbatissa quedlinburg. moritur, succedit *Beatrix*, abbatissa in *Herse*. *Leges romanae* in *Apulia* repertae, *Pisanis* a Lothario donatae. Moritur *Lotharius* mense decembri.

1138 Hegirae 533. d. 8 Sept.

Anacletus moritur m. Ianuar. *Rogerii* auctoritate *Victor* antipapa eligitur; paulo post rex *Innocentium* agnoscit. *Conradus* dux Sueuiae, eligitur rex Romanorum, relicto *Henrico*, superbo, duce Bauariae et Saxoniae. Praelium *Standardii* in Anglia; (Angli erexerant in machina arborem, in qua pyxidem cum corpore Christi et vexilla Sanctorum, suspenderunt;) Scoti victi. Bernardus *Abaelardum* reprehendit, ob *superssubstantialem* panem; hic istum, ob *cistertienses* nouos ritus, annal. Mabillon. *Bernhardus* componit officium de S. *Victore* confessore. *Caloiohannes* aduersus Turcas in Paphlagonia bellum gerit. In synodo *londinensi* scholasticorum auaritia coercetur.

Con-

A Christi 1139 Hegiræ 534. d 28 Aug.

Concil. *lateranense* 2, oecumenic. 10; acta *Anacleti* rescissa; *Rogerius* excommunicatur; *Arnaldus* de brixia damnatus; canon 23 est idem ac canon *toto sani* concil. 1179 aduersus *Petrobrusianos*. 28 canones pro disciplina ecclesiastica; sed parum obseruati, vt dicit *Ordericus* lib 19. Pontifex a Rogerio captus pacem facit, donato Siciliae regno per vexillum. Concil *Wintoniae*. *Alfonsus Henricus* Portugalliae regis titulo primus vtitur; post victoriam a Mauris reportatam, et 5 signa tot regulis erepta; inde inter insignia relata. *Boleslaus* 3, Crinustus, moritur; *Polonia* iam inter 4 fratres diuisa. *Malachias* Hiberniae primas Romam venit, pallii causa. Moritur *Otto*, bamberg. epus. *Albertus Vrsus* Saxonia potitur, frustra obstante Henrico.

1140 Hegiræ 535. d. 17 Aug.

Arnoldus brix. ex Italia in Galliam et Germaniam se recipit. Synodus *senonensis* in causa Abaelardi, qui ad papam appellat; et *cluniaci* a Petro venerab. suscipitur &c. vid. annal. Mabillonii. *Richardus* de s. Victore canon. August. discipulus *Hugonis*, floret; *Hugo* 1142 mortuus. Dissidia noua inter papam et *Rogerium*, ob nouam monetam regis. *Petri* diaconi, continuatio histor. *cassinensis*, finit; etiam chronicon *Falconis*. *Turstino* aepo eboracensi ab aliis *Wilhelmus*, thesaurar. eborac. ab aliis *Henricus* Murdach substituitur; inde longi temporis schisma. *Alfonsum* portugal. regem quidam scribunt regnum suum romanae eccles. feciss vectigale. Synodus Cpoli contra *Constantini* Chrysomali scripta, synodalis sententia exstat apud *Allatium*, lib. 2 de consensione eccles. orient. et occid. c. 11. Moritur reclusus crispinensis, in Hannonia, *Aybertus*. *Mathildis* regina et dux Gloceftriae regem Scotiae vincunt. *Henricus* frater regis Franciae, fit monachus claraeuall. inde epus beluacens. *Bohemi Silesiam* inuadunt. Fridericus dux Sueuiae adiuuat Leopoldum Austriae contra Welphonem, ducem Bauariae; ex hac pugna quidam nomina *Guelforum* et *Gibellinorum* deriuarunt, Naucler.

In

A. Chriſti 1141 Hegiræ 536. d. 6 Aug.

In *Sicilia Saraceni* quidam ad chriſtiana ſacra tranſeunt; vid. *Rochi Pirrhi* Sicilia ſacra; in donationibus utuntur aera Cpolitana. Diſſidium inter papam et regem Franciae, ob aepi bituricenſis electionem; papa *interdicto* vſus eſt. Rex *Stephanus* captus, *Mathildis* regno potitur, parui temporis fuit honor. Haeredes ab Alfonſo 6 ſcripti, (regni tres partes, 1. S. ſepulcro 2. Hoſpitali 3. Templariis) iura ſua transferunt in Raimundum, filiae Ramiri ſponſum. *Belae* in Hungaria ſuccedit *Geyſa* 2. *Orderici* Vitalis hiſtoria finit. *Gilbertus*, Gislebertus, porretanus fit epus pictauienſis; eius epiſtola (de caſu, quod presbyter ſuper calice vacuo verba protulerat; et quod *pueri baptizati* in ſolius *calicis*, infirmi autem, in ſolius panis ſacramento communicent, et tantum accipiant, quantum qui *vtroque*;) in Mabill. annal. repetita. *Petrus* venerab. in Hiſpaniam profectus, per *Petrum* toletanum transferri curauit vitam Muhammedis; et *Alcoranum* a. 1143, per Robertum Retenenſem et Hermannum Dalmatam; ipſe ſcripſit 2 libros aduerſus eam ſectam, (exſtant tomo 9 ampliſſ. collect.) De *Petro* bruſienſi et *Henrico* pluribus hic in annal. agit Mabillon. *Bernhardus* vetat ciſtercienſes *medicina* vti. *Hildegardis* virgo floret, et *viſiones* prodit. *Vicelinus*, Sigisberg. monachus, poſtea epiſc. Aldenburg. reliquias idolorum in Slauia eiicit.

1142 Hegiræ 537. d. 26 Iul.

Fulconi in venalione mortuo ſuccedit *Balduinus* fil. 13 annorum. Moritur Petrus *Abaelardus*. vid. tom. 5 theſauri anecdot. e quo excerpta hic in annalibus dantur, append. pag. 677; ibid. p. 658 deſcripta ſunt capitula librorum 7 *Frowini*, abbatis in monte Angelorum, *de libero arbitrio*; habentur eius opuſcula apud *Einſidienſes* prelo parata. *Malmesburienſis* hiſtor. nouellam abſoluit. *Robertus Pullus*, poſtea cardinal. pariſiis floret. *Leopoldo*, Auſtriae, ſucc. frater Henricus, qui cum vidua Henrici ſuperbi Bauariam accepit. *Edeſſa* a *Sanguino* oppugnatur.

Status

A. Christi
1143 Hegiræ 538. d. 16 Iul. Status eccles. in Anglia et Gallia miser. *Innocentio* papae sufficitur *Caelestinus* 2, qui pacem cum rege Galliae init. *Ioannes Comnenus*, imper. graecus moritur, succedit fil. *Manuel*, qui coniugem *Hungaricam* Irenen duxerat. Patriarchae *Leoni* Styopitae sufficitur *Michael Oxites*. *Raymundus* Aragoniae *dominator*, comes barcin. instituit nouum *ordinem militarem* ad defendendam ecclesiam occid. sed *Templariis* subiectum. *Henrici*, aepi. mogunt. diploma pro monasterio S. *Petri* Erfurtensis.

1144 Hegiræ 539. d. 4 Iul. *Caelestinus* 2 moritur; *Lucius* 2 ei succedit, quem *Arnaldistae* non parum vexant, hic itaque regem *Conradum* auxilium rogat. *Edessa* a Turcis capta, per Sanguinum. Canonici et monachi *mediolanenses* altercantur de iure campanarum. S. *Dionysii* basilica a *Sugerio* perficitur. Laurentii de Leodio historia *virdunensis* finit; exstat in Spicilegio. Leodiensi in dioecesi *haeresis* detecta ad Lucium papam defertur, collect. ampliss. tom. I. p. 777. *Americus* a secta retractus Romam missus.

1145 Hegiræ 540. d. 23 Iun. *Lucio* 2 succedit *Eugenius* 3; sed Roma excedit ob Arnaldistas. Legatio orientalium Romam venit; (*Otto* Friseng. lib. 7 c. 33.) Narratio de *Iohanne presbytero rege*. *Ludouicus* rex profectionem sacram in orientem vouet. Inter *Petri* cellensis epistolas quaedam ad *Ioh.* Sarisber. Moritur sub hoc tempus Robertus *Pullus*. *Rogerius* rex *artem texendi*, per translatos graecos opifices, sericos pannos Palermi promouet, *Otto* Friseng. Frider. I, c. 33.

1146 Hegiræ 541. d. 13 Iun. *Eugenii* secunda fuga ex vrbe; anno sequenti abit in Franciam; *Bernardus crucem* late circumfert, pro terra sancta; etiam in Germaniam venit, eamque turbat suis consiliis; fuit Wormatiae, Francofurti, Bingae &c. *Conradus* etiam crucem sumit. Iudicium *Camerae Rotwilae* institutum volunt, hac occasione. *Withelmo* patriarchae hierosolym. *Fulcherius*, tyri episcopus; succedit; *Michael* Oxita patriarcha constantinopol. abit a dignitate, *Cosmas* Atticus ei per 6 menses suffectus, a. sequ. quia Niphoni et *bogomilis* faueret pulsus.

A. Chriſti

Euerwini praepoſiti epiſtola ad Bernhardum, de haereticis *Coloniae* ortis. *Rogerius Tripolin* expugnat. *Tornacenſis* eccleſia, poſt 6 fere ſecula, ſuo epiſcopo carens, et nouiomenſi vnita, epiſcopum proprium accipit. *Rudulfus*, eremita nequam, in necem Iudaeorum ſuos excitat. *Wibaldus* operam dat emendandis ſuis monaſteriis.

1147 Hegiræ 542 d. 2 Iun. *Sugerius* ebbas S. Dionyſii eligitur, vt abſente Ludouico regnum adminiſtret, vid. *Odonis* de diogilo libros 7 de perfectione *Ludouici* 7; et ſcriptores de *Conradi* itinere. *Eugenius* e Gallia venit *Treuerim*; approbat *Hildegardis* ſcriptiones. *Bernhardus* excitat comitem *toloſanum* aduerſus *Henricum* haereticum. *Nicolaus*, monachus, *Muzalo*, fit patriarcha Cpolit. anno exeunte. *Mauri* in Hiſpania premuntur; etiam in *Africa* per Rogerium. *Cruce Signatorum* tertius exercitus in *Slauos* ducit, ſub *Adalberone Hamburg. Wibaldo* et *Saxoniae* epis; Saxonum cruces a rota ſubter poſita (ſeu globo rotundo) in altum protenſae, non veſtibus aſſutae, *Otto* Friſing. lib. 1, 40. De *Gilberto Porretano* Antiſiodori, et Pariſiis quaeſtio habetur. *Hugo*, aep. rotomag. dicat; libros contra haereſes ſui temporis *Alberico* oſtienſi epo et legato rom. *Eberhardus* ex abbate biburgenſi fit aepus ſalzburg. *Viysbona* capitur a cruceſignatis, quibus intereſt rex *Daniae Ericus*, bremenſis aepus &c.

1148 Hegiræ 543. d. 22 Mai. Sacrae militiae minus proſperi ſucceſſus, in Syria, ob perfidiam domeſticam; concil. *remenſe*, in quo canones 18 editi; interfuit vnus cantuar. aep. ex Anglia, ceteris domi manentibus; *Eon* damnatus, et *Gilberti* doctrina; de cauſſa *ducis-ſae Poloniae* actum fuit; *Arnoldus* colon. aepus ſuſpenſus. Moritur *Malachias* aep. armach. in claraualle; legatus papae in *Norwegia* et *Suecia* metropolin erigit; *Henricus Vpſalae* fit epus; vid. acta SS. d. 19 Ianuar. Marochio capto per Abdelmumen almorabidarum regnum euertitur.

1149 Hegiræ 544. d. 11 Mai. Infauſtus reditus cruceſignatorum ex oriente; *Conradus* Cpoli foedus contra *Rogerium* init. *Herueus*, dolenſis monach. floret, qui multa *commentaria* ſcripſit; (in Pauli epiſtolas *Anſelmi* no

mine

A. Christi

mine excusus.) Sacra christiana in *Africa* deleta, sub *Almohadum* imperio; etiam *Mozarabes*, a Saracenis in Hispania oppressi. *Eugenius* scribit libros de *consideratione*; purgat se de sinistro belli sacri euentu. De auctore librorum *de claustro animae*, vid. annal. Mabillonii. Concil. *Erfurti*, per aep. *Moguntinum*; prima mentio *capituli* generalis *benedict.* in Saxonia, annal. Mabillon. p. 469.

1150 Hegiræ 545. d. 30 Apr. Papa rursus e Roma recedit in Campaniam. Mauri africani Saracenis in Hispania veniunt auxilio. Abbatissa de *Giseka* Kaminadensem ecclesiam corbeiensibus eripit; vid. epistola *Wibaldi* 200 seqq. Floret poeta *Nigellus*, qui *speculum stultorum* scripsit. *Iohannis* Antiochiae patriarchae oratio, contra *charisticarios* (edidit *Cotelerius* in *monumentis* graec. tomo 1 p. 159.) *Theodoricus* Flandriae comes portionem *sanguinis Christi* ex Palaestina retulit et *Brugis* dedicauit. *Manuel* comitatum Antiochenum occupat; sed *Norredinus* Graecos paulo post eiicit. Floret *Dodechinus* presbyter, historicus, qui cum *Conrado* in Palaestina fuit. Rex dat *corbeiensibus* ius fodiendi metalla in *Heresburg*; annales.

1151 Hegiræ 546. d. 20 Apr. *Eugenius* confirmat priuilegia aepi *colonienſis*; hic papa duplici aera Christi vtitur, vid. *Pagi*. *Sugerius* abbas moritur, cum iter pararet in *Palaestinam*; quem falso quidam putarunt scripsisse historiam *Ludouici* 7. Quatuor aepiscopatus in *Hibernia* instituti, per legatum romanum; *Henricus* aepus Vpsal. occisus, acta SS. d. 19. Ian. etiam *Ericus* rex *Sueciae*, vid. acta SS. d. 18 Mai. *Gratianus* Bononiae colligit *decretum* vid. annal. *Mabillonii* p. 504. *Nicolao* 3, *Musaloni*, deiecto, sufficitur *Theodotus* monachus. *Diuortium Ludouici* 7 ab Alienorde. *Bernardi* notarius *Nicolaus* figillo istius abutitur. Exemplum *imaginarii* consensus, infantulae, ad donationem. vid. annal. Mabillon. pag 503. Dissidium epi *mindensis* et abbatis *Wibaldi*; vide epistolas huius 242 seqq. *Wibaldus* amolitur a se legationem romanam; paulo post tamen cum nouo aepo Colon. *Arnoldo* Romam profectus est; ad Wibaldum *Manuel* imper. graecus scripsit.

A. Chr. 1152 Hegiræ 547. d. 8 Apr. Pax inter *Eugenium* et Romanos; *Conradus* rex non sine suspicione veneni moritur Bambergae; *Fridericus*, fratris fil. barbarossa suffectus est. *Theophanes* Cerameus, epus Tauromenitanus floret; *Potho*, prumiensis presbyter, inchoat 5 libros *de domo dei*. *Eskillus*, Daniae primas et papae legatus, floret; venit ad Bernhardum. *Cistertienſia* monasteria adeo creuerunt numero, vt patres in capitulo generali statuerint, abstinendum esse a nouis exstruendis; annal. Mabillon. *Alfonsus* Hispan. imperator ducit *Ricam*, polonicam.

1153 Hegiræ 548. d. 28 Mar. *Henricus* aep. mogunt. per legatum papae depositus; *Arnoldus* cancellar. Friderici suffectus. *Eugenius* moritur; succeſſit *Anastasius* 4, canonic. regul. qui et ad *Hildegardin* scribit. Moritur *Bernhardus*; (vid. annales Mabillon.) et rex Scotiae *Dauid*. *Iohannis*, prioris haguſtaldensis *historia* hic finit. *Ascalona* capitur a christianis. *Theodoro* Cpolit. patriarchae sufficitur *Neophytus*, inclusus. *Elisabetha*, abbatissa Schönaugiensis, treuir. dioeces. floret. *Indulgentiae* memoria dignae, in eleuatione B. *Gualterii* abbatis pontisar. vid. annales Mabillon. pag. 535. poenitentia parentibus remittitur, quorum negligentia *paruuli sine baptismo infra septennium* mortui sunt &c. Papa *Wibaldo* abbati dat priuilegium *anuli*. Primordia *Thomae Becket*.

1154 Hegiræ 549. d. 18 Mar. Moritur *Anastasius* 4, succedit *Hadrianus* 4. Moritur Siciliae rex *Rogerius*; (eius historiam libris 4 scripsit *Alexander* abbas Telesinus, inter scriptores *Hispanic.*) succ. filius *Wilhelmus*, patri dissimilis. *Stephano* regi Angliae succedit *Henricus* 2; moritur *Wilhelmus*, aep. eborac. quem *Honorius* 3 seculo sequenti sanctis addidit. *Fridericus* venit in Italiam; de eius rebus gestis scriptoribus mediolanensibus minus fidendum. Moritur *Wicelinus*, epus aldenburgens. in Holsatia, de eius discipulo S. *Thethmaro* vid. acta SS. d. 17 Maii. *Ludouicus* 7 ducit filiam imperatoris Hispaniae Constantini. *Robertus* de Torinneio scribit librum de immutatione ordinis monachorum; edidit eum Dacheri ad calcem operum

A. Chr.

rum *Guiberti*; ineſt catalogus monaſteriorum 38 *Normanniae*. De opuſculis *Arnaldi* cluniacenſis, vid. annales *Mabillonii* p. 544 ſeq.

1155 Hegiræ 550. d. 4 Mart. *Fridericus* coronatur rex Longob. et imperator. De malo ingenio equitum *Hoſpitalis* Hieroſolym. queritur *Wilhelm.* Tyrius lib. 18. c. 3; itaque patriarcha in Italiam venit, vt papa reſcinderet illorum priuilegia. *Ludouicus* 7, deuotionis cauſſa, ſi placet, ad S. *Iacobum* proficiſcitur. *Lucas Chryſoberges* fit patriarcha Cpolitan. poſt *Neophytum* et *Conſtantinum Chliarenum*. Colonia *Cartuſienſium* precibus *Eſkilli* lundenſ. aepi, in *Daniam* miſſa. *Garnerius*, abbas montis maior. moritur, ſub quo *Iohannes* ibi monachus ſcripſit *geſta conſulum andegauenſium*, *Henrico* Angl. regi dicata; edidit in *Spicilegio Dacheri*; inſcriptionem emendat *Mabillon.* in annal. pag. 552. *Eliſabeth* ſchönaugienſ. ſcribit librum *viarum dei*, eidem reuelatio de 11000 uirginibus facta; diſcit, de aſſumtione et reſurrectione Mariae; et eam annorum 15 fuiſſe, cum Chriſtum pareret &c.

1156 Hegiræ 551. d. 23 Febr. *Graeci* a ſiculis clade affecti apud Brunduſium; pax inter papam et regem Siculum inſtauratur. *Petrus* venerab. abbas *Cluniac.* moritur. *Fridericus* dimiſſa priore coniuge ducit filiam comitis *Burgundionum*. *Hugo* pictauinus, vizeliac. monachus, ſcribit chronicon ſui monaſterii libris 4, quod a. 1167 abſoluit. *Militaris ordo S. Iuliani*, in Hiſpania, contra Mauros inſtitutus; in monaſterio *argentolienſi tunica*, ſeu *cappa Chriſti inconſutilis reperta* hoc anno; vid. annal. Mabillonii pag. 562.

1157 Hegiræ 552. d. 13 Febr. Initia diſſidii inter imperatorem et papam *Hadrianum*, ob lundenſem aepum *Eſkillum*. *Guilielmus*, magnus, *Eremitarum* fundator, moritur in Hetruria; acta ſſ. d. 10 Febr. *Alfonſus* 7 imperator Hiſpan. moritur. *Theodericus* comes Flandriae, tertium profectus in terram ſanctam; eius vxor *Sibylla* Bethaniae habitum monaſticum ſuſcepit. *Fridericus* poſt victoriam de *Polonis*, parat expeditionem italicam; *Wibaldus* nouam legationem a Friderico ad Graecos ſuſcipit; in Paphlagonia,

A. Chr.

Graecorum perfidia, obit. *Albertus vrſus*, marchio, comes in Saxonia, cum aepo *Wigmanno*, magdeb. contra *Wandalos* ducit, et *Brandeburgum* recuperat. *Zacharias* Chryſopolit. *Radulphus* Flauiac. florent. Romae poſt inundationem *tiberis* corpus S. Bartholomaei et S. *Paulini* Nolani repertum; vid. *Roberti* appendix ad Sigebertum.

1158 Hegiræ 553. d. 2 Febr. *Fridericus Mediolanum* obſidet; *regalia* per iuris peritos iubet examinari; Dux Bohemiae *Ladislaus regio nomine* augetur. Sanctio 3 caſtellae regi ſuccedit fil. *Alfonſus* 8. Inſtituitur *militia Calatrauae*, quae regulam ciſtertienſem ſequitur. *Otto* frifing. epus, filius Marchionis Auſtriae Leopoldi, moritur hoc anno, vt Pagi demonſtrat.

1159 Hegiræ 554. d. 23 Ian. *Mediolanenſes* et *Cremenſes* fidem fallunt; *Hadrianus* 4 inter lites moritur; inter cardinales ſecta *caeciliana* coit, *Albert.* ſtad. alii, et plures, eligunt, *Alexandrum* 3; alii *Victorem* 4, cui *Fridericus* fauet. *Henricus* 2, rex Angliae Toloſam obſidet. *Henricus Leo* aduerſus Slauos et Obotritos feliciter ducit.

1160 Hegiræ 555. & 556. Imperator *Papiae* de vero papa quaeſtionem haberi iubet; *Victor* praelatus alteri; *Alexander* Fridericum excommunicat; occiditur in atrio eccleſiae aep. moguntinus *Arnoldus*; ei ſuffectus *Conradus*, frater Ottonis palatini, per imperatorem. Synod. *oxoniae*, contra haereticos *Publicanos*. Concilium *Nazarenum*, ſub *Amalrico* patriarcha; quo *Alexander* ſuſcipitur. Henricus Slauorum principem *Niclot* trucidauit; inueſtit 3 epiſcopos in Slauia.

1161 Hegiræ 557. d. 25 Dec. Rex Angliae Gallum ad partes Alexandri inclinat; papa idem in concilio *Toloſano* receptus. S. *Wilhelmus* creatur abbas *Roſchildenſis* per Abſalonem epum; iſtius vita in actis SS. d. 6 April. *Manuel* imper. Graecus Alexandrum praefert. *Geiſa* 2, rex Hungar. moritur; ſucc. fil. *Stephanus* 3 *Victor* antipapa *Geroni*, Halberſtad. epo dat pallium. *Mediolanenſes* arctiſſime obſeſſi. *Chriſtianus* fit aep. mogunt. cui Frider. *Conradum* oppoſuit.

Papa

A. Chr.

1162 Papa *Alexander* 3 in Galliam secedit. *Fridericus* regem a papa retrahere studet; in nouo conuentu Latonensi vtriusque papae caussa agenda. *Henricus* frater regis Galliae fit aep. Remensis. *Thomas* fit aepus cantuar. *Mediolanum* Friderico deditum solo aequatum, saluis ecclesiis et suburbiis; nouos magistratus creat per alias vrbes. *Balduino* regi Hierosol. succedit. frater *Amalricus*; eius epistola ad Ludouicum, apud Bongarsium p. 1178.

Hegiræ 558. d. 10 Dec.

1163 In concil. *turonensi* contra haereticos decretum; *Fridericus* redit in Italiam, post curiam *Wormatiae*. Episcopatus ex Aldenburgo transfertur *Lubecam*. de 3 regum corporibus mediolano *Coloniam* translatis varie narratur; de S. *Hilda*, Helenae ancilla, narrat *Albericus*.

Hegiræ 559. d. 29 Nou.

1164 Henrici regis iussu conuentus *clarendonensis* regni consuetudines confirmat; origo dissidii inter regem et *Thomam* cantuar. qui hoc anno ex Anglia exulat. Moritur *Victor* 4, eius in locum *Paschalis* 3 ab ista parte suffectus. *Waldemarus* rex, (quem *Daniae* et *Sueciae* regna a Friderico accepisse scribi Albertus stad.) patris sui, *Canuti* canonisationem a papa quaerit et post aliquot annos impetrat; vid. *Pagi* et acta SS. d. 7 Ianuar. Idem rex contra *Rugianos* et Wandalos ducit, qui a. 1168 ecclesiastico iuri subiiciuntur; Helmold. II, 12 seq. Moritur *Petrus Lombardus*; succesit in episcopatu *Mauricius*. *Eberhardus* salzburg. aepus moritur, succedit *Conradus*, patauiens. *Alexander* interdicit Magistris paris. omnes *tropos* et *indisciplinatas quaestiones in theologia*; chronic. Reichersperg. *Christianum Fridericus* iam patitur aep. moguntinum, cum Conradus in Galliam fugisset.

Hegiræ 560. d. 18 Nou.

1165 Continuae turbae ob *Thomam* cantuar. nascitur Philippus Augustus Ludouico. *Elisabetha* schönaugiensis moritur, cuius visiones eius frater ornatiori stilo expoliuit. *Friderico* nascitur fil *Henricus*; conuentus Würzeburgi. *Presbyteri Iohannis* epistolae innotescunt. *Friderici* cura *Carolus* M. canonizatur; vid. doctiss. *Walchii* libellus.

Hegiræ 561. d. 7 Nou.

A. Chr.
1166 Hegiræ 562. d 28 Oct
Concil. *Londini*, contra *Thomam*, qui aliquos excommunicauerat; regis legati, postquam *Wurceburgi* cum imperatore egerant, Romam profecti, nihil impetrant; rex capitulum *cisterciense* iubet *Thomam* e pontiniac. monaster. expellere. *Wilhelmus*, Sicil. rex 1. moritur, successit filius Wilhelmus; cuius Magister et sigillarius fuit aliquod tempus *Petrus* blesensis. *Synodus Constantinopoli*, *Allat.* lib. 2 de consensu c. 12. *Manuelis* imperat. nouella, de minuendis feriis et iustitiis. Imperator in Italiam expeditionem parat, pro confirmatione Paschalis.

1167 Hegiræ 563. d. 17 Oct.
Fridericus Romam obsidet; fugit *Alexander*, qui principes Lombardiae aduersus eum concitat; pactum cum Romanis apud *Godfridum* monachum. *Mediolanum* instauratum a ciuibus. In *Burgundia* haeretici *Poplicani*, s. *deonarii* in quaestionem adducuntur; etiam in Flandria; hic aepo, si toleret eos, promissae marcae argenti 600; Pagi. Moritur *Conradus* Salzburg. aep frater *Ottonis* Frising. *Conrado*, qui fuerat mogunt. aepus, *Alexander* donat episcopatum *Sorae*.

1168 Hegiræ 564. d. 5 Oct.
Papa per legatos pacem procurare studet inter regem Angliae et Galliae. Imperator per terram comitis *Vberti* seu Humberti de *Saxonia*, (comitis Morienae et *Sabaudiae*) redit in Alemanniam. Legatio *Manuelis* imper. ad Papam, vt coronam occidentalis imperii impetret. *Guido* cremensis seu *Paschalis* 3 moritur; *Callistus* 3 ei ab ista parte suffectus. Papa condit vrbem *Alexandriam*. *Finlandi* ab *Erico Suecorum* rege victi fiunt christiani. *Helmoldi* presbyteri et canonici *chronicon* hic finit. Principes quidam in *Merseburg* contra Henricum *Leonem* conspirant; hic repudiata zäringensi- ducis sorore, ducit regis Anglorum filiam. *Baldewinus*, praepos. Halberstin locum mortui bremensis aepi Hartuici, intruditur, *Sifrido*, marchionis Alberti filio, et alio electo praeterito. *Treueris* 2 aepi, vnus *Folmarus* ex parte papae; alter Rodulphus de *Weda*, ex parte imperatoris. *Rodulfus*, frater ducis zäringensis, qui fuerat post Henricum, et Arnulfum, aepus moguntinus, sed *Bennonem*, (sta-

tuam

A. Chr.

tuam auream) confregerat, reiectus, fit *leodienſis* epus.

1169 Hegiræ 565. d. 25 Sept. *Fridericus* Bambergae filium 5 annorum (*Henricum* (*ſextum* nominis,) regem coronatum poſt ſe regnare firmat, chronic. Reicherſperg. Idem Fridericus aepatu Salzburgenſi pro velle ſuo potitur, licet *Adalbertus*, fil. regis Bohemiae, iam electus fuiſſet, ibid. *Catana* Siciliae vrbs terrae motu euerſa, cum 15000 hominibus. *Paſchali* auctoritate Friderici *collecta* facta per Germaniam. *Petrus* pictau. pariſiis docet. Imperator abbatem *ciſtertienſium* et *clarauallis* cum bamberg. epo mittit in Italiam pro eccleſiae vnitate.

1170 Hegiræ 566. d. 14 Sept. Rex Angliae filium Henricum coronari iubet per eborac. aepum. Occiditur *Thomas* cantuar. d. 29 Dec. (itaque Angli ſcriptores, qui annum a natali Chriſti ordiuntur, numerant annum 1171.) *Manuel* mittit neptem ſuam cum graecis epis et comitibus et magna pecunia ad papam, vt detur Odoni *Frangipanis* in coniugium. *Theorianus* hoc anno mittitur ad *Armenos*, qui cum graeca eccleſia vniuntur. Ingens terrae motus Tripolim, Laodiciam, Antiochiam et multa caſtella euertit; mare terram *Friſonum* circa *Staueren* magna ex parte ſubmerſit. *Albertus* marchio obit; *Alexander* confirmat ordinem *Carmelitarum*. In *Liuoniam* per mercatores ſemina chriſtianae religionis illata.

1171 Hegiræ 567. d. 3 Sept. Rex Angliae *Hiberniam* ſibi ſubiicit; concil. *caſſienſe* conuocat. *Henricus* dux filiam deſponſat regi *Daniae*. In Hungaria floret aepus *Strigonii Lucas*. Coloniae nuntii imperatoris graeci ad Fridericum veniunt; pro nuptiis filiae et filii. *Metalla* in *Miſnia* fodi coeperunt, *Fabricius*.

1172 Hegiræ 568. d. 23 Aug. Rex Angliae purgat ſe a caede Thomae. Pax inter Alexandrum et Romanos; alii vero rem negant. *Gilbertus* abbas, de Hoilandia, qui ad modum Bernhardi ſcripſit in canticum, moritur. *Stephano* Hung. regi 3 ſuccedit frater *Stephanus* 4, et huic poſt aliquot menſes *Bela* 3. Initia *Saladini*, qui Aegypti imperium reſtituit Abbaſidis. *Chriſtiani*, aepi mogunt. imperialis aulae cancellarii, militaria facta narrat *Albertus* ſtadenſ. qui et deſcri-

A. Chr.

bit ſacram caerimoniam poſt victoriam, et 300 monachos apoſtatas eius Satellites. Aepus 7. 8 linguas calluit.

1173 Hegiræ 569. d. 12 Aug. Coniurat filius cum aliis aduerſus regem Angliae. *Noradinus* Turcorum princeps moritur, Sanguini filius; regnum arripuit *Saladinus*, ducta illius vxore; Neubrig. lib. 3 c. 10. Moritur *Amalricus*, rex Hieroſ. ſucc. *Balduinus*, 4 vix annorum 13. *Godefridus* in annal. narrat de iudicio ferri candentis, contra clericum *Robertum*, qui de *ſacra coena* non recte ſenſerit. *Albericus* narrat de 2 daemoniacis mulieribus, ex ore vnius daemon Chriſtum laudauit, alter vero hunc acriter increpuit. *Henricus* dux in terram ſanctam abit cum 500 fere militibus. *Boleslao* Poloniae ſuccedit *Mieciſlaus*. *Wladislaus* bohem. rex moritur; imperator regnum *bohemiae* vi obtinet.

1174 Hegiræ 570. d. 1 Aug. Tertia curia in cauſſa aepi Salzburg. *Adelberti*, qui a partibus Alexandri ſtabat, atque ideo deponebatur; inthronizatur praepoſitus perthesgadinenſis, *Henricus*. Fridericus in Italiam ducit. Pax inter regem Angliae et filios. *Petrus* Tarentaſienſis aepus moritur, vid. acta SS. d. 8 Maii. *Bernardus* canonizatur.

1175 Hegiræ 571. d. 22 Iul. Synodus *Weſtmonaſter.* decreta 18 edit. Alexander epiſcopatum inſtituit Alexandriae, poſtquam obſidionem fortiter tolerauit; approbat *militiam S. Iacobi* in Hiſpania, aduerſus Saracenos. *Wilhelmus* ille hiſtoricus fit aepus Tyri. *Fridericus* et *Veneti* diſſident. Prior S. trinitatis Londini ſcribit *Pantheologiam*.

1176 Hegiræ 572. d. 10 Iul. Matrimonium *Wilhelmi* Sicil. cum *Ioanna* anglica. Concil. *Lumbarienſe* in gallia Narbon. contra *bonos homines*. *Fridericus* a Lombardis victus; legatio eius ad *Alexandrum* de pace componenda. *Ioannes* Sarisber. fit epus carnotenſis. *Manuel* imperator a Soldano Iconienſi magna clade affectus. *Conradus* abbas corbej. aedificat caſtrum *Wilburg*.

1177 Hegiræ 573. d. 30 Iun. *Charito* patriarcha Cpolit. moritur, qui anno vno ſedit et 2 menſibus; *Theodoſius* ſucceſſit. *Fridericus* et *Alexander* reconciliantur; papa accipit epiſto-

A. Chr.

ſtolam a *Presbytero Iohanne*, rege Indorum in regno *Tanchut*. *Eſkillus*, aepus Lundenſis, ſuffecto *Abſalone* Roſchildenſi, diſcedit in *claram vallem* monachus. *Raimundus* 5 toloſan. comes epiſtolam ſcribit ad *ciſtertienſe capitulum*, de *haereticis*. *Lambertus* balbus inſtituit *beguinas* Leodii, cum epiſcopus in foro rerum venalium praebendas venderet, Pagi; ille *Lambertus* vertit *actus Apoſtolorum* de latino in *Romanum*, Alberici chronic. *Saladinus* a cruceſignatis victus, Ioannes *Cinnamus*, Manuelis imper. notarius ſeu grammaticus, floret. Coruus, qui annulum furatus erat, Corbeiae excommunicatus; annal. corbej. *Henrico* duci Auſtriae ſuccedit. fil. Leopoldus. *Miecislao* polon. pulſo ſuccedit frater *Caſimirus*.

1178 Hegiræ 574. d. 19 Iun. *Calliſtus* 3 a pontificatu abit, atque ab *Alexandro* iam honorifice habetur; tamen *Innocentius* aliquis 3, antipapa deſignatus, quem Alexander in carcerem miſit. Reges Angliae et Galliae aduerſus haereticos *toloſanos* profecti; *Albigenſes* quidam in Bohemiam ſecedunt, *Dubrau*. *S. Hildegardis* abbatiſſa prope *Bingam* moritur. *Halberſtadium* exuſtum per ducem *Henricum*; *Bertoldus* fit aepus bremenſis in locum *Baldewini*. *Euermodo*, raceburg. epo ſuccedit *Iſfrid*, praepoſitus Ierichontin.

1179 Hegiræ 575. d. 8 Iun. Concil. *lateran.* 3. oecumenicum XI; vid. Wilhelm. Tyr. lib. 21, 16. et Spicileg. *Dacheri* tom. 12. edit. primae; contra ſchiſma et haereticos vid. canon. 27; in hoc concilio nihil contra *Petrum Lombardum* fuit decretum; interfuit autem epus Hibernicus, cuius reditus tres vaccae lactantes faciebant. *Sifrid* epus brandeburg. in ſedem *bremenſem* eligitur, filius *Alberti* Marchionis. Hic Pagi aetatem *pſeudo Turpini* deſignat, paulo ante finem ſeculi fabulam ſcriptam fuiſſe. Martyrium pueri ſancti, *Richardi*, a Iudaeis occiſi, hoc anno deſignatur. *Petrus Comeſtor* moritur. *Theodorus Balſamon* floret. *Philippus* Galliae rex annorum 15 coronatus Remis, viuo patre.

Sala-

A. Chr. 1180 Hegiræ 576. d. 28 Mai. *Saladinus* cruceſignatos vehementer premit. Moritur *Manuel* imper. graecus, qui *Bertham*, Conradi regis german. ſororem habuit, a graecis *Irenen* dictam; ſucceſſit filius *Alexius*. Moritur *Ludouicus* 7; et *Amalricus* patriarcha Hieroſolym. In comitiis *Ratisbon. Henricus Leo* prouinciis ſuis exuitur; ſtatuta *ciſtertienſia* ab hoc a. per ſequentes annos habentur tomo 4 theſauri noui anecdot. pag. 1251 ſeqq.

1181 Hegiræ 577. d. 17 Mai. Comitia *erfurtenſia*, alii minus bene in annum ſequentem; *Henricus* cardinalis albanus cum exercitu pergit contra *Albigenſes*; vid. chronic. *Gaufredi* prioris Voſienſis. *Alexandro* 3 ſucceſſit *Lucius* 3 Moritur *Ioannes Sarisber.* Inuentio corporis S. Virgilii epi Salzburg. *Philippus* rex annum Iubilaeum fecit, remiſſo aere, quod chriſtiani Iudaeis debebant. Imperator *Lubeke* in deditionem accipit; *Henricus* dux fines imperii abiurauit.

1182 Hegiræ 578. d. 6 Mai. Controuerſia de aepiſcopatu *dolenſi* inſtaurata; hic epus nolebat *Turonenſi* ſubeſſe, ipſe Britanniae minoris aepus. *Iudaei* e Gallia pulſi, bona in fiſcum redacta. Cpoli turbae ſub *Alexio* puero; *Andronicus* imperium vſurpare conatur. *Wilhelmi* Tyrii narrationem de *Maronitis* Pagi hic reprehendit. *Henricus* abit in Angliam. *Franciſci Aſſiſinatis* natiuitatem hoc anno quidam deſignant. Floret Iohannes *Beleth* in eccleſia Ambianenſi, qui ſcripſit de *diuinis officiis*.

1183 Hegiræ 577. d. 26 Apr. Odia romanorum *Lucium* vrbe exire cogunt. *Otto* palatinus, qui ducatum Bauariae acceperat, moritur; *Chriſtianus* etiam aepus *Moguntinus*, cuius *hiſtoriam Friderici* et varias epiſtolas vidit *Trithemius*. Multi *haeretici* in *Flandria* combuſti, a *Wilhelmo* aepo remenſi, et *Philippo* comite Flandriae; eorum bona inter ſacerdotes et comitem diuiſa. Conſtantinopoli ſaeuitum in *Latinos* per *Andronicum*, qui imperatoris nomen vſurpat; Theodoſio *patriarchae* ſubſtituitur ibi *Baſilius Camaterus*; *Guido* de *Luſignano*, loco *Balduini* leproſi, adminiſtrat regnum Hieroſolym. Pariſiis ſynagogae *Iudaeorum* in eccleſias mutatae.

Ro-

A. Chr.

1184 Hegiræ 580. d. 14 Apr. Romani porro *Lucio* infenſi; ad Lucium ſcribit *Saladinus* de redemtione captiuorum. *Wilhelmi* Tyrii hiſtoria hic finit. Matrimonium inter *Conſtantiam* (annorum 60), Siculam et *Henricum*, filium imperatoris, confirmatum, in curia Moguntiae. *Florianus* martyr Roma in Poloniam ducitur.

1185 Hegiræ 581. d. 3 Apr. Concil. *Veronae*, praeſente imper. et papa, contra *haereticos*, *humiliatos*, *paſſaginos* &c. (Pagi in annum praeteritum ponit.) Legati ex oriente ad papam, de ſtatu miſero Palaeſtinae, hoc anno in Galliam veniunt, inde in Angliam. *Lucius* 3 moritur, ſuccedit aep. mediol. *Vrbanus* 3. Rex Siciliae claſſem mittit contra Graecos; interdicit crucefignatis portus *Aputiae*. *Andronicus* occiſus; *Iſaac*, Angelus, fit imperator. *Balduinus* 4, rex Hieroſ. moritur; ſucceſſit nepos *Balduinus*, et ei *Guido*, comes Ioppenſis; vnde indignatio fere publica orta. *Alfonſo* primo *portugall.* regi ſuccedit filius *Sanctius*.

1186 Hegiræ 582. d. 24 Mar. *Ioachim* abbas venit ad *Vrbanum*, qui latentia *Apocalypſeos* myſteria tractauit. Diſſenſio inter papam et imperatorem, quia papa ſibi nimium ſumit; epiſcopi *Germaniae* per epiſtolam *Vrbanum* reprehendunt; (eſt apud Radulfum de *Diceto*;) Secta *Vendicoſorum* in Sicilia. Papa concedit, vt rex Angliae filium, quem velit, faciat *regem Hiberniae*. Epiſcopatus *Rigae* inſtituitur. *Godfridi* viterbienſis *chronicon*, et *Saxonis* grammatici hiſtoria libris 16, finit. *Bogislaus*, dux pomeran. factus eſt homo *Canuti* (ſexti) regis *Daniae*. Henricus 6 coronatus ſine papae conſenſu. *Baſilio* camatero deiecto *Nicetas Mundanus* fit patriarcha Cpolit. Moritur *Robertus* de Torigni (de *Monte*) cuius chronicon edidit *Dacheri*. *Walachia* a Graecis deſciſcit.

1187 Hegiræ 583. d. 13 Mar. *Saladinus*, ob fractas ab Antiochiae principe indutias, Palaeſtinam inuadit; regem *Guidonem* et ſ. crucem capit; comes tripolitanus *Reimundus* moritur circumciſus. Chriſtiani tantum *Antiochiam*, *Tyrum* et *Tripolin* retinent; Aſcalonem dedit rex Guido pro ſua liberatione. *Vrbanus* ex moerore moritur; *Gregor.* 8 ei ſufficitur; cui poſt menſem

A. Chr.

ſem ſucceſſit *Clemens* 3. Pax inter *Iſaacum* et regem Siciliae. *Petrus* cellenſis moritur.

1188 Hegiræ 584. d. 2 Mart. Rex Angliae et Franciae crucem accipit; *decimae Saladinae* inſtitutae, in ſynodo pariſina. *Guilhelmus* Tyrius in Franciam venit. *Fridericus* agit de ſacra expeditione, Moguntiae; *curia dei* dicta; 68 magni principes crucem ſumunt cum Friderico. In Gallia diſputatur, vtrum aqua, quae calici ante conſecrationem infunditur, etiam *conuertatur*. Moritur S. *Gilbertus*, fundator ordinis Sempringhamenſis in Anglia; vid. acta SS. d. 4 Febr. *Clemens* 3 hortatur *Ioachimum*, vt expoſitionem *Apocalypſeos* &c. abſoluat, licet monachi eius eum quaſi ſuperſtitioſum reprehenderent. *Suriani* redemerunt ſ. ſepulcrum 40000 aureis annuis.

1189 Hegiræ 585. d. 19 Febr. Pax reſtituta inter regem Angliae et Galliae poſt *Turonum* captum, *Henrico* 2 ſuccedit fil. *Richardus*. Exercitus magnus ſub *Friderico* et ducibus multis viam S. ſepulcri aggreditur. *Otto*, Pomeran. apoſtolus canonizatur. *Wilhelmus* 2 Sicil. rex moritur; ſuccedere debuit *Henricus*, fil. Friderici, qui amitam habebat coniugem; ſed *Tancredus*, fil. naturalis electus. In epiſcopatu *mindenſi* argentifodinae aperiuntur. *Henricus Leo* ſuas ditiones recuperare ſtudet.

1190 Hegiræ 586. d. 8 Febr. Rex Angliae et Galliae in terram ſanctam proficiſcuntur. De *Ioachimo* abbate florenſi hic multa *Pagi* collegit; vid. et acta SS. d. 29 Maii. *Henricus* Leo ab Henrico filio Friderici in gratiam receptus. in *Armenia* rex *Gedeon* coronatus auctoritate *Friderici*. *Fridericus* imperator moritur in ſancto itinere. *Iudaei* in Anglia paſſim trucidati ab iis, qui contra Saracenos profecturi erant. Floret *Stephanus* epus Tornac. *Belae* regi Hungar. 3 mortuo ſuccedit *Emericus* fil. *Conradus* in ſedem moguntinam, poſt *Marcualdum* Chriſtiani ſucceſſorem reſtituitur; *Albertus* fit aep. Salzburgenſ. *Corbeienſibus* datur immunitas a telonio Werthenſi.

Cae-

A. Chr. 1191 Hegiræ 587. d. 29 Ian. *Caelestinus* 3 succedit Clementi papae. *Henricus* 6 ducit in Italiam, et coronatur Romae. *Acconem* expugnant crucesignati. *Cyprum* insulam rex Angliae vendit *Guidoni*, regi quondam Hierosol. *Philippus* rex in Galliam redit. Hoc aut sequenti anno *Leontius*, post abdicationem Mundani, fit patriarcha Cpolit. cui post annum successit post alium, *Xiphilinus*. Post *Heraclium Albertus* Eremita fit latinus patriarcha Hierosol. per caelestinum. Interfectores comitis Christiani de *Aldenburg*, qui redierat e terra sancta, post *iudicium* 22 *vomerum*, suppliicio *rotae* affecti; Albertus stad.

1192 Hegiræ 588. d. 17 Ian. *Vbaldus*, eugubinus epus, a Caelestino sanctis adscribitur. vid. acta SS. d. 16 Maii. Confirmatur *ordo teutonicorum* militum, apud Accon anno superiori institutus. vid. chronic. *Hirsaugiens.* *Conradus*, marchio Montisferrati *Tyri* occiditur a sicariis. *Richardus* rex capitur in reditu e Palaestina, *Wiennae*. Dissidium ingens in *Accon* inter *pisanos* et *genadenses Pagi* miraculum illud in Turingia, (antea pag.) illustrat, et affert testimonia negantium conuersionem *aquae* in sacrum sanguinem. *Albertus*, ep. leodiensis occiditur, vt alter ab imperatore designatus, *Lotharius*, episcopatum adiret. *Alexius* rebellionem mouet contra *Isaacium* Angelum. Nicetas *Mundanus* a sede Cpolitana deiectus; ei *Leontius* succesit; iam *Dositheus* e sede Hierosolym.

1193 Hegiræ 589. d. 6 Ian. *Caelestinus* prodit epistolam ad omnes principes christianos, vt terrae sanctae portionem seruare contingat. Filia imper. graeci *Rogerio*, filio *Tancredi*, in matrimonium data. *Richardi* mater *Eleonora* papam filii caussa epistolis fatigat. Tractatum in comitiis *Wormatiae* de redemtione Richardi. Rex Franciae ducit Ingelburgam *danicam*. Mortuo *Saladino* frater et filii de imperio litigant. *Waldemarus* slesvicensis epus. regnum Daniae volens vsurpare, in vincula ponitur a rege. Iudaei, qui permittente comitissa Campaniae, Christianum aliquem cruci affixerant, magna clade affiçiuntur; 80 combusti &c. *Leopoldus* dux Austriae fit monachus. *Albertus Magnus* nascitur. *Richar-*

A. Chr. 1194 Hegiræ 591. d. 16 Dec. *Richardus* in libertatem restituitur, datis obsidibus. *Rogerius* moritur et pater eius *Tancredus*; *Henricus* imperator regnum *Siciliae* occupat. *Dositheo*, qui a fede abiit, sufficitur *Georg Xiphilinus* patr. Cpolit. *Casimiro* polon. succedit fil. *Lescus*. *Hermannus* Landgrau. Thuringiae defendit generum *Dietericum*, contra fratrem ipsius *Albertum*, misnenf. marchionem.

1195 Hegiræ 592. d. 6 Dec. Papa sententiam diuortii, inter Philippum regem et *danicam* Ingelburgam, irritam pronuntiat; epistola papae a. sequenti missa ad aepum senonensem. Synodus *eborac.* canones 12 pro reformatione disciplinae. *Alexius Comnenus* fratrem *Isaacium* imperio et oculis priuat. Priuilegia in concil. *monspelienſi* data iis, qui in Hispaniam contra Saracenos pugnarent. *Fridericus* 2 nascitur imperatori in valle spoletana. *Henricus* in Germaniam redit, cum Wilhelmo 3 et aliis multis optimatibus captiuis. *Berno* epus Suerinensis moritur; ei *Bernardus* suffectus; moritur *Henricus*, *Leo*. *Bertoldus*, ordinis grisei, epus in Liuonia. *Dietericus* succedit fratri in marchionata *Misniae*. *Wilhelmus*, e palaestina redux, obtinet *Frisiam orientalem*, contra fratrem Theodoricum. Apud Leodium floret Magister *Iohannes* praedicator, cognom. *Dalich*, qui fecit *sermones* per anni circulum. *Fulco* presbyter in Gallia praedicat contra vsuras; idem multos haereticos populicanos conuertit.

1196 Hegiræ 593. d. 24 Nou. Epus bellouacensis, a *Iohanne*, Richardi fratre, captus; cuius loricam rex papae misit, pro eo deprecanti: vide an sit tunica fratris tui. Vetuit papa reges Hispaniae facere foedus cum Saracenis. De expeditione in terram sanctam *Argentinae* agitur. *Philippus* rex ducit filiam ducis Meraniae; papa *interdictum* ei opponit; de *Mariae* genealogia *Albericus* in chron. *Mauritio* epo parisiensi succedit *Odo*. *Montis pessulani academiam* quidam iam floruisse scribunt.

Hen-

A. Chr. 1197 Hegiræ 594. d. 13 Nou. *Henricus* poenas ſumit a *Siculis*, conſpirantibus aduerſus ipſum. Moritur paulo poſt; *Friderico* filio annum tertium agente; *Philippo* fratri, regi German. obſtitit papa; alii *Ottonem* brunſuicenſ. eligunt. *Hartwicus* aep. bremenſis, *Henricus*, palatinus princeps, et alii in terram ſanctam proficiſcuntur; vid. *Godefridi* annales. alii Germaniae proceres, Conradus aep. mogunt. *Conradus*, herbipolenſis &c. inde redeunt. *Wilhelmus* Neubrig. abſoluit hiſtoriam; *Radulfus* de Diceto, *Ioh. Brompton*, finiunt hiſtoriam a ſequenti. *Petri* Arag. regis ab a. ſuperiori, et comitis barcinon. conſtitutio aduerſus haereticos, *valdenſes*, qui alio nomine dicuntur pauperes de lugduno; (in appendice ad *Marcam Hiſpan.* num. 487.) Moritur Cantor pariſienſ. Mag. *Petrus*; *Albericī* chronic. *Aimarus* ſuccedit *Henrico*, terrae ſ. principi, qui e feneſtra lapſus fuit. Legatus papae in *Poſoniam* miſſus ad reformationem eccleſ.

1198 Hegiræ 595. d. 3 Nou. *Auerroes* abſoluit paraphraſin in *Ariſtotelem* de partibus et generatione animalium. Caeleſtino mortuo ſufficitur *Innocentius 3*; *Feſtum fatuorum*, in calendis Ianuar. tollitur; vide *Pagi* ad a. 1187. n. 17 ſeq. Bellum in Germania inter 2 reges. *Ordo fratrum* domus ſ. *trinitatis*, per Mag. *Ioh.* de *Francia* inſtituitur; congregationes 600 numerat Albericus. *Iacobitae*, noui praedicatores in Italia orti, non ſine papae venia.

1199 Hegiræ 596. d. 23 Oct. Hermannus Landgrau. thuriug. accedit ad Philippum. *Conradus* aep. papae legatus pacem inter fratres *Hungaros* de regno contendentes componit, eis in terram ſ. miſſis. *Hartwicus* aep. bremenſ. ex terra ſ. refert *Petri gladium*, quo Malcho auriculam amputauit; idem aep. opponit ſe fratri *Canuti*, regis Danorum, qui aliquot vrbes voluit expugnare. *Richardus* rex, in pago lemouicenſi, telo occiditur in expugnatione turris cuiusdam; ſuccedit ei frater, *Iohannes*. *Primislaus* Bohemus Philippum adiuuat; regio titulo inde au-

A. Chr.

ctus. *Gervasius*, monach. dorobern. seu *cantuar. chronicon* absoluit.

1200 Hegiræ 596. d. 11 Oct. Tumultus ob electionem noui aepi Moguntini, *Conrado* in territorio patauiensi mortuo; electus *Lupoldus* per *Sifridum* alium electum eiicitur. *Albertus* epus rig. Liuoniam intrat cum peregrinis. *Noua ciuitas* a Leopoldo duce Austriae exstructa contra Vngaros. *Wernerus*, seu *Irnerius* praecipuus Ictus in haec tempora a Trithemio ponitur. Venae *metallicae mansfeldenses* apertae. *Guido* abbas cistert. a papa factus epus cardinal. praenestinus, legatus in Alemanniam, Coloniae instituisse dicitur, vt ad *eleuationem*, ad sonitum nolae populus prostratus iaceret vsque post consecrationem calicis; etiam vt campanarius sacerdotem, qui ad aegrotum portat sacramentum, comitetur, nolam pulset, et audientes adorent; miraculum de milite, qui in lutum procidens, ad reuerentiam sacramenti, ne guttulam quidem luti in veste habuit; Albericus.

SE-

SECVLVM XIII.

CAP. I.

De propagatione publicae religionis.

Quod inde a pluribus seculis vidimus, *romani* praecipue pontificis auctoritate consiliisque et adiumentis illa studia fere continua viguisse, quibus publicae religionis, vt inter Latinae linguae homines florebat, dabatur opera: eam rem et huius seculi historia satis confirmat. Nos in breuitate illa, qua iam maxime opus est, potiora tanti consilii capita attingemus. Primum igitur locum occupant *sacrae* illae toties repetitae *expeditiones*, pro recuperanda Palaestina. *Innocentius* et ipse per epistolas, et per legatos, (nec *Fulco* ille praedicator in Gallia rei defuit,) inde a seculi initiis *Gallos* praecipue commouit, quorum, vt obseruabamus, fuit semper non exigua pars in exsequendo isto consilio, ipsis satis frugifero; anno iam 1201 multi e Galliae *Comitibus* crucem sumserunt; sed ex iis non pauci a *Venetis* eo adducti, vt *Iaderam*, vrbem in oris Dalmatiae, Hungaris eriperent; adeo propriis commodis Veneti malebant, quam papae consilio obsequi, cuius et *excommunicationem* non obscure contemsisse dicuntur. Hic ad *Iaderam* accessit *Alexius* iunior, Isaaci filius, quem aduersus patruum, Alexium, *Philippus* Sueuus, qui sororem duxerat, vt optime poterat, commendauerat; nec defuit *Alexius* promissis ingentibus, vt militum duces commoueret. Itaque, omissis rebus Palaestinae, Cpolis terra marique oppugnata fuit a. 1203, capta etiam; de re omni leg. *Epistola* Baronum in stolio Venetorum &c. apud Arnold. lubec. lib. 6. c. 19. tomo 2. brunsuic. *Leibnitii* pag. 72, et copiosissime historie de l'empire de *Cple* sous les empereurs *François* par Geoffry de *Ville Hardouin*, in corpore by-

zantino Venet. 1729. Papae et haec res displicuit, qui *Syriam* recuperatam malebat, et latini sacri imperii fines prolatos. Creuit autem atrocia rei, cum *Murzuflus* et alii, compositi a Venetis Gallisque imperii rationem a. 1204 euertere auderet; foedus iam inter hos cruciferos sancitum, vt Graecorum imperium inter se diuiderent; *Cpolis* certe occupata, atque Latinus imperator, quia Philippus germ. rex locorum interuallo longius remotus esset, *comes Flandriae*, *Balduinus* designatus, a 12 electoribus; nec defuerunt litterae, quibus papam inuitarent, vana illa vsi formula, ad perficiendam vnionem vtriusque ecclesiae. *Graeci* tamen *Theodorum Lascarin* imperatoris nomine ornarunt, qui Nicaeae in Bithynia regnabat; minores alias prouincias alii arripuerunt principes graeci; solet autem *trapezuntini imperii* nomine iam ab isto Cpolitano distingui. Atque inde *latini graecique* imperatores vsque ad a. 1261 recitantur; tum vero *Michael* palaeologus *latinum* vrbe excedere et in Italiam abire coegit. Ista historia diues est variis vitiorum scelerumque exemplis; facile autem perspicimus, quaenam studia et consilia eos maxime rexerint, qui de religione proferenda solebant venustis illis formulis abuti. Zelus in Saracenos adeo deferbuit, vt vsque in a. 1217 nulla expeditio susceptа fuerit; nec fere operae est pretium, hanc commemorare, licet reges Hieros. et Cypri, rex *Hungariae* (sed mystica munera non deferentes, vt scribit Iacobus de Virriaco;) dux Austriae, Bauariae, epi 7, et multi alii principes bello interessent; nihil enim gestum est; vid. Iacob. de *Vitriaco* libro 3. pag. 1129 in corpore *Bongarsii*. *Colonienſis prouinciae* studium hic auctor collaudat, quae fere 300 naues parauerit; tandem 1220 *Damiata* capta, sed, vt ille fatetur, sola diuina virtute. A. 1228 etiam *Friderico* 2 extorqueri potuit, per excommunicationem, nouum iter sacrum; id certe facere visus est; plerique enim scriptores ei fere subiratos se praebent, (vid. *Sanutum* libro 3 parte XI. cap. X. seqq. p. 210 tomi secundi Bongarsiani) quod et sine magnis copiis proficisceretur, et contra papae vo-

lun-

luntatem isto tempore, quo nondum ab excommunicatione solutus esset; et quod vrbem Hierosolymam, (templo tamen manente Saracenis) Bethlehem et pauca minora loca et inducias in X annos sibi a *Sultano* (Melic *Camel*, Equemel, Meledin &c. nominant aut scribunt;) pactus esset, ceteris, qui supererant ibi, terrae sanctae adiutoribus quasi omnino neglectis. Facile intelligimus *Fridericum* perspexisse papae domestica consilia, qui Siciliae inhiabat. Renouatum etiam inde fuit foedus *Friderici* cum Saracenis, adeo, vt eius praefectus nihil contra Saracenos molitus fuerit, cum a. 1239 rex Nauarrae *Theobaldus* iter sacrum faceret, cum aliis comitibus et diuitibus de Francia; nec dissidia, vt solebat fieri, inter ipsos hos crucesignatos defuerunt. Papa *Gregor.* 9 pro redemtione *Amalrici*, com. Montisfortis, a Saracenis, qui spe lucri et praedae (nam sola religionis vis tantum imperitos mouit,) temere pugnauerat, scripsit a. 1240 ad poenitentiarium suum Wilhelmum, in Gallia, vt ex pecunia, quae cogebatur e redemtis votis (si quos crucis iam poeniteret,) 5000 marcas solueret. Solebat enim papa *redemtiones votorum* per prouincias ecclesiasticas sic distribuere, vt adiuuarentur crucesignati. Isto a. 1240 *Richardus* comes Cornubiae a papa excitatus fuit, vt in Syriam duceret; sed nec huic praefectus Friderici auxilio fuit; itaque et Richardus induciis iisdem subscripsit, et particulam *sanguinis Christi* reportauit, loco victoriarum. A. 1249 *Ludouicus* 9, rex Galliae, qui diu in Cypro haeserat, ad portum *Damiatae* appulit; metu hostes vrbem deseruerant, bello non opus fuit; sed a. 1250 plerique peste, a palustribus locis, perierunt, aegrique alii facile ab hoste victi, rex ipse et 2 fratres capti; coniux, (nam et istae in sacrum iter saepe adsumtae,) e dolore *Ioannem* filium non sine periculo vitae edidit, cui *Tristando* nomen dederunt. Inducias in annos X pactae; praeterea 80000 byzantii; et Damiata Saracenis reddita; (vid. *Ioinuillii* historiam *sancti* huius regis.) De vindicta sumenda vt semper admoneretur, dicitur Ludouicus nouam monetam cudi iussisse, in

qua *vinculorum* inſtar et torques conſpiciebantur; atque a. 1269 bello in Saracenos denuo ſe parauit, litteris etiam a *Clemente* 4 impetratis, quibus abſentis regnum et comitum omnium res omnes interea defenderentur. Cepit igitur a. 1270 Carthaginem, vix vmbram veteris vrbis; *Tunetum* iam expugnandum erat; ſed peſtis multos abſtulit, regem tandem ipſum; quem, vt par erat, in ſanctorum numerum *Bonifacius* 8 retulit ſub finem ſeculi. Iam vero nulla nobis porro narrantur armatorum in *palaeſtinam* paſſagia; ſiue quod defecit ſuperſtitionis illa ſacra vis, ſiue quod perſpiceretur, vana omnino eſſe talia conſilia; ſiue, quod praecipue huc pertinere videtur, quod paparum auctoritas ſenſim alio conuerſa. Videbatur tamen vel inter *Tatarorum* principes aliquid adiumenti ad frangendam potentiam *Califae* Saracenorum *Babylonii* ſperari poſſe; itaque nec paparum ſtudia defuerunt, ſiue ad ſacra chriſtiana traducendis *Tataris*, ſiue impetrandae armorum communium ſocietati. Ea igitur, quae a *romanis* pontificibus hac in cauſſa geſta aut ſuſcepta ſunt, ſatis copioſe collegit doctiſſ. *Moshemius*, *in hiſtoria eccleſiaſtica Tartarorum*; quibus, etſi poſſunt hic ibi quaedam adiici alia, tamen a noſtro conſilio ſunt ſatis aliena; nec enim eius ſunt indolis, vt ad rem vtilitatemque chriſtianam aliquid colligi adiumenti queat; quia narrantur fere a *romanis ſcriptoribus*, quibus vix fides haberi poteſt, res ſic omnino geſtas eſſe. Praeterea facile perſpicitur, quod et alicubi fatetur *Raynaldus* ipſe, (annal. 1278. n. 17 ſeqq.) Tatarorum reges *aduerſus Saracenos* per foedera cum chriſtianis res ſuas ſtabilitum iuiſſe; *Abaga* Can certe, aliis foederibus, nimirum chriſtianorum, aduerſus Saracenorum partes, ſuas augere meditatus fuit; itaque *Nicolai* 3 litteras omnino ſpreuit, cum intelligeret, non ſubſequi exercitum cruceſignatorum, qui Syriam concuteret. Nempe, quod iam ſaepe vidimus, iſti terrarum principes, ſi vtilitatem certam ſe colligere poſſe crederent, bona verba dabant, et vel *baptiſmi foedus* ſpondebant, vt narrat *Sanutus* (*Bongarſ.* tomo 2 p. 215.)

p. 215,) de *Soldano* de Haman; sed paulo post patuit, *hostium timore id promissum* fuisse. Ipse autem *Nicolaus* a. 1291 (Raynald. ibi num. 32,) non solum *Eduardum*, regem Angliae, aliosque Europae principes vehementer sollicitauit, sed et *Argon*, regem Tatarorum hortatus est, vt arma sua in *Saracenos* conuerteret &c. Doctrinae autem christianae formula, quae Tataris aliisque gentibus solebat per Romanos ministros tradi, minime eius fuit ingenii, vt christianam religionem homines imbiberint, et illa incomparabilia axiomata virtutis felicitatisque ad omnes homines communis; sed, praeter ieiuna dogmata de trinitate, Maria, et de historia illa humana Christi, *purgatorium* descriptum fuit, et adiumenta illa, seu suffragia viuentium pro mortuis, *missarum sacrificia — de 7 sacramentis*, de *primatu* ecclesiae romanae &c. Hanc formulam, quae haec capita contineret, dicit papa ipse esse *purissimam* et *solidissimam orthodoxae fidei* veritatem; quam fas non sit, nouae discussioni et diffinitioni subiicere, &c. Vid. Formulam *Clementis* 4 ad *Michael* Palaeologum missam, apud *Raynaldum* a. 1267. n. 75 seqq. Etsi igitur per *dominicanos* et *Franciscanos* ministros, laicos etiam fratres eorum, noua haec religionis, si placet, forma fuit per istas *Asiae* prouincias hic ibi dicitur propagata: tamen equidem non ausim affirmare, christianam religionem ad istos populos propagatam, et Christi saluberrimum consilium romanis caerimoniis expletum fuisse. Narratur vel in *Francisci conformitatibus* (folio CXXVIII. b. edit. Mediolan. 1510) de Vicaria *Tatariae*, vnde patet, non defuisse monachos rei suae; in *Chambaleg*, in palatio magni *Cani*, habent fratres locum; in magna Tartaria habebant plura loca, in quibus, expellendo daemonas ab infidelibus, *qui ad ipsos ducebantur*, multos ad fidem sua praedicatione ducebant. In *Armalech*, vbi martyrizati sunt ob fidem catholicam, frater *Richardus*, epus armalech, &c. in partibus Tartariae fratres fecerunt et faciebant fructum magnum; sed quia modo propter itinera, prae solito peri-

culoſa, illuc nequeunt accedere, Tartari per Saracenos ad legem deducuntur Muhammeti. Multa loca erant in dictis partibus tam immobilia, quam mobilia &c. Nec dubitandum eſt *Neſtorianos* etiam ſacras ſuas conſuetudines et opiniones latius propagaſſe inter Tartaros, cum documenta hiſtorica non deſint. Similiter ex Vngaria in *Cumanos* etiam, miniſtros ſacros papa Nicolaus 3 miſit, vt et ſtudia illa non defuerunt, ad *Graecos* cum Romana eccleſia coniungendos, *Iacobitasque* et *Armenos* alliciendos; ſed iſtae narrationes breues ſunt, et ſine ſanguine quaſi; quas, ſi opus eſt, facile ex *Moshemii* illa commentatione et *Aſſemanii* bibliotheca vaticana tomo 3. parte 2, colligere aut repetere licet. Quod ad *Cumanos* attinet, narrat *Raynaldus* plura ad a. 1227. n. 50, aepum *Strigonienſem* dediſſe multum operae, vſum miniſtris *dominicanis;* ſcribit papa *Gregor.* 9, in Epiſtola ad aepum: cum (vt ſcripſerat aepus) *auctoritas ſemper conſueuerit* multum fauoris habere, rogaſti, vt in *Cumania* et *Brodinia* terra, illi vicina, de cuius gentis conuerſione ſperatur, *legationis officium* tibi committere dignaremur, per quod habeas poteſtatem, vice noſtra praedicandi, baptizandi, ordinandi &c. concedimus tibi hanc licentiam — .

Breuiter autem et ea attingemus, quae ad amplificatam publicam religionem verſus ſeptentrionem pertinent. *Ciſtercienſes* quidam monachi, *Innocentii* 3 auctoritate, inter *Pruſſos* chriſtiana ſacra propagare ſtudebant, quorum operam idem papa *Gneſnenſem* aepum iuſſerat ſtudioſius adiuuare; ſub idem tempus (1210. Raynald.) papa *Waldemarum*, daniae regem in ſuam ſacram tutelam accepit, qui, *ſigno crucis accepto*, ad reprimendam feritatem incredulae nationis (finitimae,) regalis exſerere dextrae gladium parauerat. Ex eiusdem tamen papae epiſtola (ad *Poloniae Pomeraniaeque* duces, Raynald. a. 1211. n. 6) ſatis patet, quonam conſilio iſta ſtudia impenſa fuerint: *quidam veſtrum*, quam cito intelligunt aliquos *ex gentilibus* baptiſmum ſuſcepiſſe, *ſtatim oneribus eos ſeruilibus aggra-*

grauant, et venientes ad fidei libertatem, *deterioris conditionis* efficiunt, quam antea fuerant — Iam fere continuae lites et pugnae diuisae gentis, cum nouos christianos alii pati nollent; tandem *Honorius* 3 a. 1218 ad aepos et epos plures misit epistolas, quibus *crux*, cui iam fere nulla via in Palaestinam supereſſet, in has prouincias conuerteretur, et cruciferi hoc iam sacrum iter arriperent, aduersus immanes et barbaros *Pruſſos*. Iam et *Masouiae* dux a papa adiumenta petiit, quia *dominicanorum* sacra, et ordinis fratrum Hospitalis S. Mariae *Theutonicorum* bellica auxilia, nondum sufficerent, ducis piis, si placent, consiliis; papa itaque a. 1230 omnes fideles per prouincias propiores, *Magdeburgicam*, *Bremenſem*, *Poloniam*, *Pomeraniam*, *Morauiam*, *Holſatiam* et *Gothlandiam* suscitauit, vt zelum domini habentes in sacrum bellum aduersus paganos *Prutenos* proficiscerentur. Nostrum iam non est istam armatorum praeconum sollertiam describere; facile enim petuntur, quae ad omnem gestae rei ordinem et modum pertinent, ex scriptoribus rerum *polonicarum*, (qui solent *crucigerorum* maligna consilia in ditiones *polonicas* obseruare;) et auctoribus, qui historiam *ordinis teutonici* describunt; *Petrus Duisburgenſis* in chronico Prussiae per *Hartknochium; Matthaei* analecta veteris aeui tomo 5 pag. 631 seqq. vbi exstat *chronicon* belgic. ordinis teutonici. *Codex diplomaticus Poloniae*; et quaedam msta chronica *ordinis teutonici*, cuius generis vnum et nos seruamus, ab a. 1199, cum appendice priuilegiorum *ordinis*, a papis indultorum. Ex codice isto diplomatico poloniae e.c. tomo 5 multa iam ad historiam colligi possunt, quae antea ignorabantur, quae et ad *Curones* pertinent, ad *Lettiam* &c. A. 1237 *Gregor.* 9 iunxit ordinem *Militiae Christi* cum ordine fratrum domus *Teutonicorum*; idem papa iam a. 1236 per legatum apostol. sedis iussit de consilio et assensu Praeceptoris et Fratrum Hospitalis tres episcopatus definire, atque ex ordine dominicanorum tres episcopos creare. Ceterum rixae et contentiones inter ipsos christianos et episco-

pos et dominos fere continuae fuerunt, de limitibus, finibus, decimis &c. *Innocentius* 4, eodem iure sacro vsus, duci Cracouiensi et filiis ducis Lanchisiae et *Cuiauiae* concessit, vt terras ethnicorum armis opprimerent, modo non sub dioecesi quadam illae iam contineantur; idem *Polexiam* terram duci huic Cuiauiae dedit, quia populus paratus dicebatur ad sacra christiana sponte amplectenda; qua ratione fratres domus *teutonicorum* queri non possent, quibus tota terra Prussiae concessa iam fuerat, scil. quam *armis* occuparent. (similiter a. 1256 Alexander 4 populum, *Ientuosos* addixit duci *Cuiauiae*;) Eodem tempore illi fratres teutonici cum cruciferis peregrinis terram, quae dicitur maior *Bartha*, dioces. Warmiensis, et terram *Galanda* receptis obsidibus, ad christianam vitam adduxerunt; vid. Innoc. 4 epistolae apud *Raynaldum* a. 1254 n. 29, qui papa et crucem sacram commendauit aduersus *Tataros*, christiani nominis inimicos &c. Sic longo ordine narrantur nobis christianae religionis successus eximii; sed satis iam intelleximus, bellorum vi et metu tandem prouincias aliam post aliam dominis christianis subiectas fuisse; ad eas regendas opus fuit, pro temporum indole, monachis, monasteriis, episcopis, ecclesiis; itaque baptizati homines magno numero, vel inuiti; atque sic diuitiarum copiarumque multitudo incredibiliter succreuit clericis, vt statuere liceat, magnam partem, tantam vitiorum flagitiorumque vim, qua religionis fere omnes ministri conscelerati esse solebant per ea tempora; ex illa felicitate enatam, quae feritatem ex bellandi consuetudine secum tulit ad clericos non minus, quam ad ceteros ciues. Eminuerunt autem *Minoritarum* et *Dominicanorum* continua studia in legationibus ad cunctas fere nostro vtrique orbi notas gentes, vt mirari liceat, laboris tanti patientiam. *Rodericum*, minoritam, *Marrochitanae* ecclesiae in Africa Nicol. 4 praefecit epum, legati munere addito; *Carelios*, populum inter *Moscouitos* et *Suecos*, *Turgillus*, qui *Birgeri* regis inertiam supplebat, armis oppressit et regno subiecit Sueciae;

ciae; *Petrus* autem epus *Aroſienſis* caerimoniis ſacris, quibus opus eſſet, diligenter operatus eſt; ſic partim caerimoniis, partim caſtro *Viburgenſi* erecto, Carelii in noua religione retenti fuerunt. Totum hoc ſeculum ſacris bellis, ordinibus, ſtudiisque ingentibus, ad propagandam romanae eccleſiae auctoritatem, praecipue, ſiue aduerſus haereticos, ſchiſmaticosque, ſiue ad gentes barbaras, inſigne eſt.

Nos hic breuiter etiam recenſebimus, quae in *haereticos* decreta fuerint, quia ſatis certum eſt, publicam iſtam religionis chriſtianae formulam, quae papae et clero inerti atque improbo maxime placuit, hac ratione maxime defenſam et propagatam fuiſſe, quod illa ſaniorum hominum ſtudia et molimina vehementiſſime repreſſa fuerunt.

Innocentius tertius inde ab a. 1198 opprimendis haereticis, praecipue in *Narbonenſi* prouincia, omnem impendit operam, per epiſtolas, excommunicationes, legatos, indulgentias. A. 1207 in terris de patrimonio *Petri* ſeueras leges tulit, aduerſus *Patarinos:* vt ſtatim capiantur, *ſeculari curiae* tradantur puniendi, bona eorum publicentur; partem capiat, qui aliquem ceperit, partem curia; tertia ad murorum conſtructionem detur. Domus, in qua fuerit haereticus, funditus deſtruatur &c. A. 1209 in Pariſienſi dioeceſi cremati, qui *Amalrici* ſententiis fauerent; ipſe poſt mortem anathemate petitus, oſſa cremata. Aduerſus *Albigenſes* a. 1212 cruciferorum exercitus ducti; (interfuit *Petrus*, Valſernenſis, auctor hiſtoriae Albig.) crucem plures praedicabant, tam in Germania, quam in Gallia, praecipue *ciſtertienſes* 2 abbates; *Montfortius* comes praecipuus ſacrae militiae dux, qui *Raymundi* toloſani ditiones ipſe lubenter ſibi ſubieciſſet, iſto expulſo. Eosdem *Albigenſes* in ſuis partibus *Alfonſus*, rex Caſtellae et Legionis vehementer oppreſſit, atque, quaſi *victimarius* ipſe arſuris regia manu ignem et ligna ſubiecit, (*Mariana* lib. 12, c. 11. Raynaldus;) Nec tamen iſtis atrocibus ſtudiis et tyrannicis ſanae rationis amor opprimi potuit; *Gregor.* 9, a. 1231 non ſolum in Inſubria atque Siciliae parte citeriori,

ſed

ſed etiam *Romae Patarenos*, tam in *clero* quam in plebe multos reperit, atque quaeſtionem ſeueram aduerſus eos haberi iuſſit; *presbyteri* et *clerici multi* ſacris veſtibus publice ſpoliati et depoſiti; alii in ignem coniecti, alii autem in carcerem miſſi, donec poeniteant. Deſcripſit *Raynaldus* capitula Senatoris *Annibaldi* aduerſus haereticos, ſeueriſſima, vt Innocentius nuper iam ſtatuerat; ſi quis non reuelauerit, quos ſciuerit haereticos, 20 librarum poena mulctetur; nec huiusmodi perſonae audiantur; nec impendant aduocati aut ſcriniarii officium ſuum. Eaedem leges ad Mediolanenſem miſſae aepum; etiam a *Friderico* imp. triſte carmen impetratum: ſancimus, vt quicunque fuerit conuictus, illico capiatur, *auctoritate noſtra ignis iudicio concremandus*, aut *linguae plectro* priuandus — per imperialis banni cenſuram — a. 1224, atque iam hoc anno renouatum. *Ferdinandus* a. 1236 infamiae notam candenti ferro inuri iuſſit haereticorum vultibus; in *Boſnia* aduerſus haereticos *Gregorius* legatum fecit epum Boſnenſem, eique Strigonienſem aepum cum ſuffraganeis argentum praeſtare iuſſit, *cruciatamque* praedicari inter Hungaros. Talia autem fere per omnes annos narrant ſcriptores, quaſi rem ſatis iuſtam et aequam, imo chriſtiano ingenio dignißimam; atque atrociae publicae et ſacrae inuſitatam malignitatem vel ex eo metiri licet, quod, vt narrat *Matthaeus* Paris, atque ex eo *Raynaldus* a. 1238. n. 52, *Robertus* aliquis ſacrae tyrannidis in Belgio et Gallia praeſes, ex ordine *dominicanorum*, tanta inſania iſtam prouinciam inſigniuit, vt zelum *in furorem* vertiſſe dicatur ab ipſis Romanis; quare et inquiſitoris munere deiectus *et perpetuo carceri* mancipatus fuit, papae iuſſu. Intelligere licet, quanta ferocia et atrocia in homines tranquillam vitam viuentes, in ciues ſollertes et probos, ſaeuitum fuerit: qui ab eadem ratione dicuntur haeretici, qua maiores noſtri a romanis iſtis ſacris ſeculo 16 diſceſſerunt. Vt vero pateat, quaenam fuerit haereſis, licet iam e ſeculis ſuperioribus nobis adſit quaſi διαδοχη, et perpetua ſanae mentis

tis et probioris religionis per manus traditio:, ex *Alberto*, stadensi, describemus, quae ille a. 1248 narrauit. (*Reineccius* in margine addit, viderit auctor, an omnia bona fide referat; nempe haud dubie, multa veriſſime et commodiſſime a praedicatore iſto Halenſi dicta, tacuit, quia bilem iſta non mouerent.) Ita igitur ille ſcribit: Coeperunt in eccleſia dei mirabiles et miſerabiles haeretici pullulare, qui pulſatis campanis et conuocatis baronibus et dominis terrae in *Hallis Sueuorum* ſic praedicauerunt in publica ſtatione. Quod *papa* eſſet haereticus; omnes epi et praelati ſimoniaci et haeretici, inferiores quoque praelati, cum ſacerdotibus; quia in vitiis et peccatis mortalibus, non haberent auctoritatem ligandi et ſoluendi; et quod omnes iſti ſeducerent homines; quod ſacerdotes in mortalibus peccatis non poſſent conficere; quod nullus viuens, nec papa nec epi, poſſent interdicere diuina, et qui prohiberent, eſſent haeretici et ſeductores. Et licentiauerunt in ciuitatibus interdictis, vt miſſas audirent ſuper animas ipſorum, (i. e. ipſorum periculo;) et ſacramenta libere perciperent, quia ipſis perceptis, mundificarentur a peccatis. Quod *Praedicatores* et *Franciſcani* peruerterent eccleſiam falſis praedicationibus, et quod *omnes iſti monachi*, *ciſtertienſes* quoque, prauam ducerent vitam et iniuſtam. Quod nullus eſſet, qui veritatem diceret, et qui fidem iuſtam opere ſeruaret, niſi ipſi et ipſorum ſocii; ſi ipſi non veniſſent, antequam deus in periculo deſeruiſſet ſuam eccleſiam, prius ipſos de lapidibus ſuſcitaſſet, vel alios, qui eccleſiam dei vera doctrina illuminaſſent. — Huc vsque veſtri praedicatores ſepeliuerunt veritatem et praedicarunt falſitatem; nos contra. Indulgentiam, quam damus vobis, non damus fictam vel compoſitam ab apoſtolico, vel epis, ſed de ſolo deo et ordine noſtro. Non audemus habere memoriam *papae*, quia ita peruerſae vitae eſt, et tam mali exempli homo, quod eum tacere oportet. — Orate pro Friderico imperatore et Conrado — papa non habet poteſtatem ligandi nec abſoluendi, quia non habet vitam apoſtolicam &c.

Erit

Erit autem et postea forte locus, quo quaedam alia copiosius exponamus, *de dogmatibus*. Instaurauit *Alexander* 4 inde ab honoris sui initio seueras leges aduersus haereticos, quas *Ludouicus* sanctus praecipue ab eo petiisse dicitur; *inquisitoribus* autem, et eis, qui eos adiuuerint, indulgentiae promissae. Similes leges postulauit rex *Bohemiae* Primislaus; suscitauit et *Vrbanus* 4 dominicanos contra haereticos in Italia; *Nicolaus* 4 renouauit sanctiones *Friderici* imper. idem a. 1289 leges *Innocentii* 4 ad magistratus omnium vrbium Italiae misit, atque a *Venetis* impetrauit, vt semper pecunia apud eos parata esset, si inquisitoribus ea opus esset; decretum publicum ducis *Ioh. Danduli*, habet *Raynaldus*, num. 57. tandem et a. 1291 noui sacri censores e *Franciscanis* aduersus haereticos in *Bosnia* missi; ibi silentio transire nec *Raynaldo* licuit, vtramque familiam, *dominicanorum* et *Franciscanorum* tantum abfuisse, vt bene consenserint, vt potius non defuerint, qui *ex liuore suffusi se mutuo lacessere* coeperunt, atque *haereticorum ludibrio*, vt papa ipse queritur, exponere. Operae pretium esset, accuratius annales colligi illorum studiorum et negotiorum sacrorum, quae ad opprimendos haereticos pertinuerunt; boni enim omnes ex tam illustri historia multum liberalis gaudii haurire possent, ob diuinam atque immortalem vim veritatis et bonae mentis; quemadmodum etiam sacrum odium et perpetuum aduersus superstitionem, improbitatem et insciitiam, ex istis exemplis, non subnasci nobis non posset; qua re ingenuum fructum ex societatum ecclesiasticarum historia capimus, qui et ad nostram aetatem redundabit; sed eam causam etiam illa, quae sequuntur, capita copiosius illustrabunt.

CAP.

CAP. II.

De ſtatu publicae religionis; de conciliis, nouis ordinibus &c.

Religionis publicae inuenuſtam rationem et fere pudendam turpitudinem iam inde a multis ſeculis, quaſi noſtris oculis ſpectauimus; ſed ſuccreuerunt porro malignitatis et foeditatis exempla alia, prioribus, quod ad quaedam attinet, haud dubie longe turpiora. Nam, vt ſit inde initium, *monaſticorum ordinum*, qui noui hoc ſeculo exorti ſunt, tam eſt aut anceps aut turpis cauſſa, ſi cum religionis chriſtianae ingenua formula comparetur: vt vix inter Graecos, Romanosque et barbaros, quos tamen ethnicos ſolent dicere et facile ſpernere, tantae et tam immanis ſacrae turpitudinis, ſcelerumque et flagitiorum ſacroſanctorum tam horrida documenta, inueniantur. Multum iam inſaniarum, artium, fraudumque et fallaciarum ſuperius ſeculum habuit, tot nouis ordinibus inſtitutisque ſanctis, ſodalitatibus, tam militum ſacrorum, quam fratrum, ortis, vt rem fere omnem publicam continuae quaſi coniurationes turbauerint. Sed et hoc ſeculo noua ordinum ſeries ſatis longa recenſeri poteſt, etſi iam *Innocentius*, cum *Dominicus* noui ſui inſtituti auctoritatem publicam poſtularet, difficilior fuerat, et *concil.* illud *lateran.* 1215 c. 13 decreuerat, potius reformandos eſſe iſtos, qui iam orti fuerant, ordines, quam nouis ſemper ſubortis perturbationem eccleſiaſticae rei augendam; igitur viſione nocturna admonendus fuit pontifex, qui *Dominicum* vidit, in ſomnis, labantem eccleſiam *lateranenſem* humeris ſuis ſuſtentare; (vid. *Touronii* la vie de S. *Dominique* de Guzmann pag. 181.) Atque, vt aliorum quaſi e minori loco querelas, non repetamus, epiſcopus *Olomucenſis* (apud Raynaldum e MS. *Vatic.* a. 1273) ſuper deliberandis in *concilio* lugdunenſi, non tacuit, *dominicanorum* et *Franciſcanorum* ſtudiis populum ab epiſcopis et parochis auerti;

ti; multos autem nouas quasi in sectas coire, vt obsequio dioecesanorum se subducant; feminae tales religiosae suscitant seditiones contra clericos — itaque tandem in *concilio lugdunensi* 1274 c. 23 illae sententiae produntur: importuna petentium inhiatio *religionum* multiplicationem extorsit — aliquorum praesumtuosa temeritas diuersorum *ordinum*, praecipue *mendicantium* effrenatam quasi multitudinem adinuenit; itaque concilium tantum 4 mendicantium ordines, ab isto tempore approbauit, *dominicanorum*, *franciscanorum*, *carmelitarum* et Augustini *Eremitarum*. Breuissime *ordines* istos varios recensemus: 1) SS. *trinitatis* (in Gallia) de redemtione captiuorum, quem a. 1209 confirmauit Innoc. 3; idem 2) a. 1210 confirmauit ordinem et militiam S. *Iacobi*, seu de *Spatha*. 3) congregationem *pauperum catholicorum*, per *Bernardum* et *Durandum* de *Osca*, qui a Waldensibus transierant ad romanam religionem. 4) ordinem *Eremitarum* in *Hungaria* in annum 1215 ponit Onuphrius; certum est autem 5) ordinem *Eremitarum* Augustini sub Innocentio hoc instauratum; (huc forte pertinet, quod de ordine S. Augustini *montis dei* legitur, in dioecesi Spirensi, in chronic. belgico.) Iam 6) ordo Praedicatorum, seu Dominici; 7) ordo S. *Mariae* mercedis, a rege Aragon. *Iacobo* institutus, quem *Gregor.* 9 approbauit a. 1235, qui continebat partim milites, partim monachos. Ordo 8) *vallis scholarium*; et 9) fratrum *de valle caulium*; 10) congregatio *canonic. regular.* S. Marci, Mantuae, auctoritate *Innoc.* 3 et *Honorii* 3. Ordinem 11) seu congregat. *Siluestrinorum* a Siluestro Guzolino, confirmauit *Innoc.* 4 a. 1247 12) ordo *seruorum b. Mariae*, quem postea *mendicantibus* addidit Martinus 5. 13) Ordo S. *Mariae gloriosae*, ad pacificandas ciuitates in Italia, confirmatus postea ab *Vrbano* 4; *fratres gaudentes* etiam dicti. 14) Ordo *fratrum de poenitentia domini* nostri I. C, ex mandato Innocentii 4. 15) in Palaestina equestris *ordo poenitentiae* SS. Martyrum. 16) a. 1254 Innoc. 4 confirmauit ordinem. *Le-*

pro-

proſorum S. Lazari, qui iam ab aliquo tempore coierat. 17) Congregatio *ſeruorum* S. Mariae matris Chriſti, (ad imitationem eius in Italia,) apud Maſſiliam, ab *Alexandro* 4 a. 1257 confirmatus. Iam his addendus 18) ille S. *Franciſci*, et tam multa ſodalitia *tertiariorum* tam fratrum *maiorum* quam minorum, praeter Fratres *ſaccatos*, quorum quidam ad Eremitas pertinebant; *Flagellantes* &c. Iam facile arbitrari licet, quanta fuerit rei publicae omnis et priuatae perturbatio, cum nec *Benedictinis*, *ciſtertienſibus* &c. deeſſent ſtudia, res ſuas propagandi et defendendi.

De *Dominico* ſcripſit ampliſſime ſocius huius ſodalitii *Turonius*, quem iam excitauimus, e quo commentario (pariſ. 1739. 4. Gallice) pauca hic colligemus, quae ſint vtiliora. Inde ab a. 1207 repetenda initia conſilii, de nouo ſodalitio, cum aduerſus *haereticos* ſtudium omne iam impendiſſet ab aliquo tempore; nec ante a. 1208, ante *cruciatam* iſtam celebrem, nomen *Albigenſium* auditum fuit; praecipui certe ſcriptores ſeculi ſuperioris iſto nomine nondum vtuntur (Tour. pag. 43.) *Diſputationes* non ſolum continuae narrantur aduerſus *Haereticos*, ſed etiam miracula, doctrinae, quaſi per *ordalium*, comprobatae; epiſcopus *Oxomenſis Didacus* et *Dominicus* hic, tum canonic. regularis, qui quaſi *generalem miſſionarium* egit; quidam ex ordine *ciſtertienſi*, (e quo *Fulco*, inde ab a. 1207 toloſanus epus,) praecipue ſuas operas contulerunt; hiſtorias longas narrant Guido de *Podio Laurentii*, *Petrus* valſernenſis &c. *Toloſanus* comes *Raymundus* 6, quia *haereticos* in terris ſuis habitare pateretur, tandem excommunicatus fuit, ſupereſt papae *Innocentii* vehemens et ſuperba epiſtola; (hiſtoire de Languedoc, tome 3.) *Petrus* de *caſtro nouo*, papae legatus, dicebatur non ſine *Raymundi* conſilio occiſus fuiſſe, 1208; iam igitur querelis et mandatis ſacris papa omnia impleuit. Iam miſſionarii e ſociis *dominici* quaſi perpetui per iſtas prouincias deſignati; ipſe *Dominicus* totus martyrii honorem quaerebat, ob deſiderium *animarum*; papa autem regem *Galliae*, comites

barbonesque, et aepos ad arma sacra capienda incitabat, vt periculum animarum vel caede hominum auerterent. *Dominico* facile credimus a papa datum fuisse potestatis sacrae illud instar, quod *Bernhardus* suo tempore habuit; praeterea facultatem, *apostatas*, qui erroribus renuntiarent, recipiendi, alios autem puniendi; quae res tandem ordine quodam suo ita succreuit, vt *sacrae inquisitionis auctoritas* hinc omnino deriuanda sit; licet *primordia* sacrae potestatis iam ex superioris seculi fine repetenda sint; (vid. *Touron* pag. 88 seqq.) Nec sine specie ad *Dominicum* refertur nouum ardentioris orationis adiumentum, quod *Rosarii* nomine dicitur, vt *Mariae* misericordia moueretur; non desunt nouitatis sacrae rudimenta, iam superiori seculo, imo iam antea, cum vel sexcentas *metanoeas* paruas magnasque quidam instituerant; *psalmorum*que quorumdam et carminum, sententiarumque sacrarum creberrimam repetitionem; sed id honoris *Dominico* et papae plures, inde a *Leone* X vsque ad *Benedictum* 13, et alii scriptores studiosissime tribuunt, quod ad omnes christianos tam praeclarum deuotae mentis exercitium propagauerit; (*Touron*, pag. 94 seqq.) De *cruciata expeditione* in hos haereticos nos iam in illa breuitate accuratius exponere non licet; *Biterris* deletis *Carcassonam* et alias vrbes expugnarunt cruciferi, vnde iratus fuit Rex Aragoniae *Petrus*, ad quem dominium Carcassonae pertinebat, quod *Simon*, *Montfortius* comes, eam teneret; igitur et ipse armis arma opposuit. Miracula *cruciferis* non defuerunt, quod facile credimus; sagitta e balista e. c. resiluit, quia miles in pectore signum crucis gerebat affixum &c. eo id fuit magis mirum, quod satis multi ex cruciferis occisi fuerint ab hostibus; nec *abbati cistertiensi* et 2 aliis monachis crux profuit, quos haeretici sine miraculo occiderunt captos. His in turbis *Dominicum* instituisse *militiam Iesu Christi*; in *tertium* ordinem etiam feminae et virgines adsumtae, qui precibus et virtutibus rem sacram adiuuarent, atque eleemosynis; (vid. *Touron* pag. 115 seqq.) Nempe sacra con-

coniuratio familias amplas ita coniunxit, vt non parum commodi inde ad *Monfortium*, cruciferorum ducem, certius redierit, quem crucigeri, ſi res iam diſpliceret, ſolebant ſaepe fere ſolum relinquere. Is igitur hac continua militia non mediocriter adiutus fuit; dicebatur poſtea ordo *Tertiariorum poenitentiae* S. Dominici, eius ſodales nec hodie deſierunt; noſtra parum refert, quod *Bollandiſtae* putant bulla *Gregorii* 1227 (Egrediens Haereticorum) minime confirmari *Dominicanorum* ſententiam, qui iſtum ordinem *Militiae* a *Dominico* deriuant; eamque forte potius ad S. *Petrum* martyrem in Italia, pertinere, vid. *Touron* p. 122 ſeqq. Idem *Touronius* negat contra *Bollandiſtas*, *Dominici* vllas partes fuiſſe in diris ſententiis et iudiciis contra Albigenſes; nempe tantum animabus ſaluandis incubuit; ſed vel iſtud exemplum (pag. 132), haeretici, in quo Dominicus radium diuinae *praedeſtinationis* intuitus fuit, et quem rogo ſubtraxit, ſatis contrarium oſtendit; aliter enim et ceteros, ſi vitae parci voluerat, ſubtraxiſſet. Atque quomodo papae mandatis hic, eius inquiſitor, auſus fuiſſet ſuam ſententiam opponere? Itaque iſta bona verba, *de zelo animarum* &c. facile ſpernimus, atque barbaricum ius inquiſitoris proiicimus. A. 1217 vel 1218 *Magiſter ſacri palatii* creatus fuit Dominicus, auctor ipſe deſignandi noui muneris; (priuilegia confirmauit Calixtus 3, a 1456.) *Miracula Dominici* multa narrantur, praecipue *Romae*, quam in vrbem ſaepius venit; ſolebat fratres ad menſam vocare, et preces menſae conſecrandae facere, licet commodum audiſſet, nec panem nec vinum, quod menſae imponatur, adeſſe; precari iuſſit; deus fecit, vt homines alii cibos mitterent; multiplicauit etiam cibos, vt, qui vix 2 ſufficerent ſtomachis, fratres omnes 40 replerent &c. Ab a. 1218 iam in *Poloniam* ordo traductus fuit; inde in aliis prouinciis romanam rem, *praedicando* et ſacra auctoritate adhibita, eximie iuuerunt (vid. *Touron* lib. 5 et 6,); vt dubitari non poſſit, *maiores fratres* (in Italia, canonici *Bononienſes*, *Touron* p. 293), iſtos minores, ſeu *Franciſci*

ciſci ſocios longo interuallo ſuperaſſe. Hi enim ſacro ſtupore, atque inuſitatis moribus religioſis rem ſuam praecipue agebant, quarum ſtoliditatum ſedularum ipſe *Franciſcus* inſignis exſtitit auctor et magiſter. Documenta ſacrae inſaniae omnino inaudita atque inuſitata continet ille *Conformitatum* liber, quem in *Franciſci* honorem *Franciſcani* non ſolum ſed et romani pontifices publice eccleſiae oſtentare, vt tum fuerunt foeda tempora, auſi fuerunt. Liber barbarus, horridus et diuina humanaque iura ficto et compoſito ad religionem vultu tollens; Chriſti hiſtoriam omnem et ingenuam prouinciam riſui exponens; ſuperſtitionibus hetruſcis ſcatens, miraculis ſeu mendaciis ſacris turgens; vt omnium hominum aut publicam ſtultitiam ſecure experiri, aut religionis improba auctoritate ſuperbire voluiſſe infandi libri auctor non videri non poſſit. Vel iſtae turpiſſimae nugae, de *conformitatibus*, et de *ſtigmatibus* Franciſci, quem tandem probum et rationis compotem hominem non ad iram et indignationem prouocant! Nempe cum Dominicani *fratres S. Mariae* dicerentur, *Franciſcus* hac ratione alter Chriſtus effectus eſt. Haec tamen etiam *ſtigmata* romani pontifices credere, et *indulgentiarum* iam praecipuam virtutem ſperare iubebant omnes chriſtianos; ſatis certe confiſi, tantam eſſe publicae religionis auctoritatem, tantamque hominum aut amentiam aut miraculorum ſemper nouorum legendorum conſuetudinem: vt impune et tuto liceat tam turpes et infandas nequitias et ſtultitias conſecrare. Iam *Nicolaus* 4, vt aliorum pontificum ſimilia litteraria ſcelera iam praetereamus, a. 1291 ſcripſit, (*Raynaldus* etiam repetere auſus eſt,) iſtas foedas ſententias: attendimus, quod rom. eccleſia de B. *Franciſco* et ſtigmatum eius infixione, ſolicita, *per teſtes legitime comprobauit*, illa, ſtigmata, in carne ipſius non ſuperficialiter, ſed in interiora *per carnem et neruos et oſſa*, in quinque partibus, manuum, pedum et lateris, in certos et congruos fines ingreſſa; ita, vt non virtute naturae, ſed miraculoſo *gratiae* (o gratiam!) dono ſic fieri

vel

vel esse potuerit; et *vt sic* de stigmatibus ipsius B. Fr. *teneatur, et venerabiliter obseruetur*, irrefragibili sanctione *firmauit*. Ex quo ambiguum videri non potest, *sacrilegii subire discrimen*, quicumque *negare vel improbare audeat*, quod ipsa mater ecclesia tantae sanctimoniae spiritu, non omisso humanae iustitiae molimine, *confirmauit*. Nec huius, si placet, noui mysterii puduit eos, qui editionem *Conformitatum bononiensem* postea procurarunt; in qua multa desunt obscoena et putida mendacia, quibus ad honorem Francisci primae editiones superbiebant; sed istas nugas de *stigmatibus et peciis sacris* impudentissime repetiit. Iam vterque nouus ordo paparum potestati conseruandae et augendae sic dedit operam, vt ecclesiasticos ceteros ministros fere omni iure et honore simul exuerint, ingentibus priuilegiis romanis aucti. Haec noua malignitas, quae hoc seculo per istos monachos vtrosque rei sacrae christianae illata fuit, sua pestifera indole superiora secula, eorumque turpitudinem, longo interuallo superauit. *Dominicani* et *Franciscani* ipsi inuidia mutua conflagrarunt; alter ordo altero praestare volebat, partim auctore, partim sanctis et bene meritis viris, partim vtilitatibus, ex oppresso veteri more et iure comparandis. *Dominicani*, etiam *cathedram theologicam* occuparunt; et cum locum duplicem concedere nollet parisiensis academia, paparum fauore tamen mendicantes vicerunt, vt cathedras erigerent, quot vellent. ab a. 1259 etiam *Franciscanis* concedenda fuit docendi publica facultas; de ista longa controuersia *Bulaeus* tomo 3. et *Waddingius* in annal. ordin. minorum; atque iam *Franciscani* ipsi, caerimoniarum et morum sacra sedulitate alii alios superare conabantur; *regulae* enim *Francisci* interpretatio iam in varias partes trahebatur; alii *seueriores*, a seueriissima interpretatione sententiae, quae fratres *iubebat nihil sibi appropriare*, vel paululum recedere nefas esse statuebant; alii, communiter societatem possidere res statuebant. Interceſſit tandem *Innocentii* 4 subtilitas, qui pronuntiabat, *vsum* rerum esse penes fratres, sed

ius et *dominium* esse S. *Petri* et romanae ecclesiae. Pauciores numero erant *zelatores* illi et *spirituales*, vt dicebantur; sed creuit sensim eorum numerus, ab a. 1260, post reuocatam auctoritatem pristinam. Interea nouum argumentum odiorum subnatum erat, celebri isto *Euangelio aeterno*, (ex Apoc. 14, 6.) Opusculum fuit trium partium de quo *Echardus* in *bibliotheca* scriptor. dominic. tomo 1 p. 202, atque d'*Argentré* pag. 163; eius auctor *Ioachim* ille abbas esse ferebatur; *Spirituales* huius vaticinii auctoritate *Franciscum* suum praecipue ornabant; se ipsos autem fratres noui Euangelii, per Franciscum angelum prolati, adiutores esse atque ministros. Praeter ipsum illum librum, *introductorium* in Euangelium aeternum circa seculum medium manibus hominum terebatur, cuius auctorem, cum inuidia magna inde nata esset, *Franciscani* ad *Dominicanos* hi autem ad istos referendum esse iactabant; nuper *Echardus* effecit, vt non dubitetur amplius, *Gerhardum* aliquem, e Franciscanis, esse turpis libri auctorem. Intelligimus, quo in loco *religio christiana* iam fuerit, bene - maleficiis tot monachorum; vt in ludibrium conuersa sit, et conculcato rationis humanae, etiam in religione amplectenda, iure, stoliditates *Franciscanorum* religionis optimae auctoritatem tantum non publicam nactae fuerint; *vetus testamentum* e. c. *stellis* et *sanctuario* comparabat illud *euangelium* aeternum seu *spiritus*; *nouum* vero testam. Lunae et Sancto; hoc autem Euangelium, quod ab hoc seculo 13 vim suam exserere credebatur, *soli*, et *sancto sanctorum*. Euangelium Christi esse tantum litterale, hoc autem *ducit ad perfectionem*; excellit enim doctrinam Christi; ideo euacuandum est N. T. sicut vetus; huic autem aeterno euangelio nullus est idoneus, nisi, qui nudis pedibus incedunt, s. Franciscani &c, vid. d'*Argentré*, qui etiam ex *Bulaeo* tomo 3 excerpsit, papae *Alexandri* damnationem libri, *introductorium* in id Euangelium, noluit tamen Franciscanis creari inuidiam. In concilio *arelatensi* a. 1260 doctrina *concordantiarum*, (sic liber *primus* Euangelii nominabatur)

tur) damnatur; nec defuerunt doctores *parisienses* suis rebus, atque aduersus mendicantium ordines, praecipue *Franciscanos*, infamiam, vt potuerunt, suscitarunt: e quibus eminuit Guil. de S. Amore, qui libro satis honesto, de *periculis nouissimorum temporum* aduersus monachos istos, qui paupertatem prae se ferebant, et mundi contemtum, sententiam libere dixit, quem librum papa damnauit; d'*Argentré* pag. 168 seqq. Sic et academia *parisiensis* publice reprehendit istam fictam humilitatem, cum tamen vterque ordo *magistri* et cathedrae honorem sibi vindicaret, vid. *Bulaeum* tomo 3. p. 251. Ante quam hanc *Euangelii aeterni* caussam mittimus, cum qua et *Fratricellorum* celebris historia quodam modo cohaeret, pauca superioribus adiicimus. Isti enim *Fratricelli* quasi *independentes* fuerunt, auctoritati certe papae et praesidum sacrorum non obsequebantur; itaque solent et a *Franciscanis*, *Dominicanis*que quasi haeretici vehementer exagitari; *Iohannes* XXII igitur scripsit in extravagante: *profanae multitudinis viri*, (non sub *ordinis* regularibus legibus et institutis viuentes,) qui vulgariter Fratricelli, *Bizochi* seu *Beguini* nuncupantur in Italiae partibus et Sicilia, — non nulli etiam de *tertio ordine* Franciscí, poenitentium vocato, suum (proprium, et peculiarem) statum, sub velamine talis nominis satagunt palliare. — Ex his igitur, vt addere sustineo, orti sunt fratres et *sorores de libero spiritu*; *Martinus Crusius* certe, (cuius narrationem *Moshemius* attulit pag. 553:) ad a. 1261, (hoc ipsum tempus, quo de Euangelio perfecto alii varie vaticinabantur,) fuisse in *Sueuia*, qui persuaderent monachis et nonnis, vt sine regula viuerent; *per libertatem* spiritus deo melius seruiri posse. Nempe, vt scriptoribus huius temporis non omnem fidem negabimus, tamen nec omnino fidem habere possumus iis, qui publicas ecclesiae caerimonias et istas consuetudines solebant ad ipsam christianam religionem, quasi eximiam partem, referre. Fuerint igitur homines, qui tandem seruitutis latinae romanae pertaesi, ausi fuerunt ipsi, patria in lin-

gua, de Christi doctrina cogitare et reperire; quae inde a multis seculis, partim ob gentes parum cultas, partim ob diuturnam consuetudinis vim, externis adiumentis et ritibus multis onusta fuerat. Illi igitur homines recte sic statuerunt: non *semper* eodem religionis publicae modulo et pede opus esse; christianos etiam intelligendi profectibus non carere debere, si sit opportunitas; igitur istis *sacramentis* et aliis caerimoniis, aquae sacrae, crucis, reliquiarumque &c. adiumentis non ad omnes christianos opus esse. Iidem nec pepercerunt papis et clericis improbis; atque sic dicere fas fuit, fore, vt *Euangelium* hoc, tale, prout inuolutum esse solebat latinis multis caerimoniis et pompis, cessare contingat, hominesque mentis perfectione nobiliori augeantur. Eam sententiam proborum hominum facile credimus ab aliis malam in partem tractam; sed et *Franciscani* quidam repertis suis institutis primas dediſſe partes, quia plebs talibus sanctis spectaculis et exemplis videbatur longe magis et facilius commoueri, quam ista solita sacrorum sermonum in Euangelii partes historicas recitatione.

Pergimus autem in describenda religionis publicae indole, vt perspiciamus, vix fieri potuisse, vt homines probi non irascerentur, aliamque viam deum colendi ipsi non ingredi auderent. Magnus supereſt numerus sacrarum ineptiarum. *Simon Stockius*, e carmelitarum sodalitio, celebratissimo inter iuniores ὁράματι, praecipuum honorem suis sociis tribuisse narratur; ita enim ipse *Simon* narrasse dicitur: cum in omni fiducia dominam meam *Mariam* deprecarer, quod, sicut volebat nos appellari *fratres suos*, ita se monstraret matrem, aliquo signo gratiae hos recommendando — da carmelitis *priuilegia* — apparuit mihi cum grandi comitatu, *tenens habitum ordinis*, dixit: hoc erit *Carmelitis* priuilegium; in hoc habitu *moriens* non patietur aeternum incendium — Iam miraculis etiam diuina vis habitus caelestis (*Scapulare* dicitur confraternitatis Marianae signum,) confirmata fuit — Reges, reginae, principes sacrum scapulare nocte dieque portarunt; sed nobis iam non

non licet copiosius de his nugis nouis exponere; digna est autem *Launoii* commentatio, de *Simonis Stockii* viso, de *Sabbatinae* Bullae priuilegio, (suppositio et falso,) et de scapularis sodalatitate dissertationes 5; tertia editio auctior, in *operum* tomo 2 parte 2 pag. 379-448. *Launoii* certe ingenio et pectore praeditos esse oportebat etiam inter nos, qui historiae ecclesiasticae operantur.

Reliquiarum exsistimatio hoc seculo fuit non minor, quam antea; praecipue cum vel *Angeli* erga sacras *reliquias mirae deuotionis officium* sategerint; vt narrat *Guntherus* in histor. captae Constpoleos (apud *Canisium* et ex eo ap. *Raynaldum* a. 1205. n. 40.) Iam, capta Cpoli, magna reliquiarum multitudo in nostrum orbem ablata fuit; et simul ingens auri argentique thesaurus, qui non minus certe homines commouit, quam deuotio erga sanctas *reliquias*. De *sanguine Christi* iam olim tantum in Europae fere omnes maiores ecclesias allatum fuerat, vt sine miraculo in humanis multis corporibus locum habere non potuerit: tamen semper superfuit, quod ex *Palaestina* ad nos mitteretur. A. adhuc 1247 Portio *sanguinis Christi* in Angliam missa, sub testimoniis patriarchae, eporum, et magistrorum, templi et Hospitalis; Henricus rex ingenti pompa publica sacrum sanguinem excepit, ipseque per longam viam portauit in ecclesiam; non defuerant tamen, qui dubitarent, quia Christus post resurrectionem sanguinem suum omnem receperit. Sacram foeditatem ingentem vel ex eo licet colligere, quod in concilio iam *lateranensi* a. 1215 can. 62, (qui etiam in *extrau.* de reliq. habetur,) vetitum fuerit: *reliquias venales exponere;* nec nouas aliquem venerari fas esse, nisi antea a pontifice romano approbatas. Solebant autem reliquiae hoc tempore etiam *pignoris loco* dari; e. c. *coronam spineam* oppignerauit rex Hierosol. *Iohannes Pisanis*, quam S. *Ludouicus* 200000 libris redemit. Aduenienti coronae epus paris. et totius clerus, in cappis sericis obuiam processerunt; in hac delatione *coronae* sanctae tot *miracula* euenerunt, quod non esset leue narrari; (chro-

con S. *Bertini* pag. 720. tomo 3 Marteniani thesauri anecdot.) *Miraculorum*, quae risum provocabant, nisi plebis impetus et monachorum solertia sacra obstarent, catalogum scribere nobis non licet. *Puer* adeo *simulus* miracula patrabat, si quis assistentium crucis signum faceret et infirmum, qui sanandus erat, nominaret; rei fidem *Raynaldus* a. 1253 fine ita adiuuat, vt abieget ad Theologorum scita, (quae multis etiam loquendi miraculis constare solebant,) *de gratiis gratis datis*, ex 1 Cor 12; nempe tales nugas et fabulas Paulus ibi descripsit! De *Edmundo*, cantuar. aepo, cumadhuc puer esset, narrat *Vincentius* bellouac. (apud *Bulaeum* tomo 3 pag. 100) ei apparuisse puerum nitidum, qui ei dixit: tu me non nosti? ego vero in scholis ad latus tibi sedeo; respice in meam faciem et lege nomen meum. Legit in fronte, *litteris caelestibus*, (vnde eas legere potuit? scriptum, *Iesus, nazarenus* rex Iudaeorum. Puer igitur ille dixit: hoc nomen imprime fronti tuae; quisquis sic se munierit, tutus est a subita morte. Idem *Bulaeus* pag. 8, in ipso seculi initio, aliud miraculum recitat, de magistro quodam parisiensi, *Simon Churnay*. Hic post triuium et quadriuium in Theologia legit, incomparabiliter; soluit quaestiones difficillimas; vna die *de trinitate* subtilissime disputauit; post determinationem venerunt, qui petebant, vt eo dictante, quaestiones ipsi perscriberent; esse enim iacturam irreparabilem, si memoria tantae scientiae deperiret. Hic ille iam elatior dixit: *o Iesule, Iesule*, quantum in hac quaestione confirmani legem tuam et exaltani! profecto, si malignando et aduersando vellem, fortioribus rationibus et argumentis scirem illam infirmare et deprimendo improbare! Sed hoc dicto elinguis obmutuit, et ridiculose infatuatus; nec postea legit vel determinauit — vix a filio suo potuit docente discere *pater noster* et *symbolum* retinere. Hoc miraculum multorum scholarium suppressit arrogantiam; sic narrat *Matthaeus* Parisiensis, et ex eo *Bulaeus*. Liceat hac occasione obseruare: miserrimam omnino esse theologiam

istam,

iſtam, cui adeo opus ſit ſubtilitate doctorum, vt, ſi hi audeant, *legem Chriſti*, ſeu religionem, tales homunculi, quaeſtiunculis aut cauillationibus ſedulis conuellere poſſint. Talis autem eſt iſta religio aut, vt hic dicit, *lex* illa Chriſti, e formula illa publica *Romana*; ſed nefas erat, ad Chriſtum quaſi conuertere beneficii ſpeciem; ad illam matrem eccleſiam dicere fas erat: o romana eccleſiola, quantum in iſtis quaeſtionibus nos Scholaſtici confirmauimus legem tuam! Nempe talis fuit horum temporum religio, vt homines erectioris ingenii et firmioris pectoris proiicere eam et contemnere auderent; quid enim vel nos agere ius fas eſt, qui iſtam ſacram turpitudinem memoria repetimus! Haeccine ſunt diuinioris legis exempla atque documenta, quae nos inde a pluribus ſeculis notabamus? *Ladislaus* rex Hungariae, a *Nicolao* 4 vehementer fuit obiurgatus, poſtquam vanae fuerant admonitiones Nicolai 3 et Honorii 4: rex ſuae ſalutis immemor, — in deuium lapſus erroris, *et a fide exorbitans*, *Tatarorum*, Saracenorum — et paganorum nefandos ritus amplectitur, cum quibus in diſpendium fidei — horrendo foedere eſt coniunctus — (apud Raynaldum a. 1290. n. 38.) Nempe foedus inire, *cum Tataris* rei publicae iuuandae cauſſa non licebat. Fidem ſtatim Chriſti abiecit, qui ſine papae aut clericorum conſiliis rebus ſuis prouidere audet. Collaudant tamen *Armeniae* regem, *Archonum*, qui cum *Mangu Chano* foedus ipſe iniit; vt pax et amicitia perpetuo eſſet et allega inter Chriſtianos *et Tataros;* nam, etſi narrant conditiones inter alias fuiſſe et hanc, vt *Chanus* cum tota ſua gente ad legem Chriſti conuertatur omnibus aliis ſectis relictis, et baptiſma percipiant: tamen ſatis ſcimus, bona verba eſſe et formulam ſine omine; copioſius de iſta confoederatione cum Tataris narrat chronicon S. *Bertini* pag. 728 ſeqq. Obſeruauimus, et *Friderico* vitio datum fuiſſe a romanis iſtis, quod foedus inerit cum *Saracenis*; is enim hac ratione chriſtianam legem violauit! Atque hic, cum de ſtatu religionis publico exponimus, non videtur eſſe alienum attin-

tingere istam infamiam *Friderici* 2 publicam, in quam ab istis legis Christi statoribus coniectus fuit, quia ius et auctoritatem regni imperiique auderet fortiter defendere, aduersus papae et ecclesiae arrogantiam sacram; *quia spreuit excommunicationem*, et ius in Italiam Siciliamque sibi eripi non passus est. Talis autem imperator *fidei peruersor*, libertatis ecclesiasticae *subuersor* iam dicebatur: atque vt eius nomen omnibus christianis exosum fieret, confictae fuerunt satis ineptae fabulae; leg. doctiss. *Harenbergii* commentatio *de secta non timentium deum*, seculo 13 vel enata vel efficta; brunswigae 1756. 8. Non abfuit *Fridericus* ab eruditione omni; multo autem propius a salubri politica scientia; sed non fit verosimile, eum ex latino-arabica graecaque philosophia eo adductum fuisse, vt christiana vera sacra ipse sperneret; spreuit autem ridiculum istud systema *romanum*, quod *fidei* et *obsequii* nomine vel rationis vsum regibus et terrarum dominis auderet auferre, atque sacro plebis furore, cui *crucem* tam facile persuadebant, metum incutere, atque sic vel iusta consilia perturbare. Ecclesiae *romanae* reformationem vel *per gladium* praedixerat *Ioachim;* eiusque discipuli, qui caesaris caussae fauebant, multi per totum hoc seculum fuerunt; itaque *Gregor.* IX tandem a. 1239 publice *Friderico* tribuebat: quod dicere ausus fuisset, *a tribus baratatoribus totum mundum deceptum fuisse*; *Christo* scil. *Mose* et *Muhammede*; vnde haud dubie occasio fuit longae fabulae *libri*, *de* 3 *impostoribus*, qui aut ad *Fridericum*, aut ad πολιτικωτατον *Petrum de Vineis* solebat referri auctorem. Nec placere potest testis *Henricus*, *Raspo*, qui *Friderico* fuit oppositus; hostis enim testimonium aequiores arbitri reiiciunt; *Friderici* autem defensio per Petrum de Vineis (lib. 1. epist. n. 31.) non est obscura aut dubia; vid. de omni hac caussa libellum iam excitatum, *de secta non timentium deum*, pag. 62 seqq. Sed iam ad *concilia* huius seculi nobis veniendum est.

Con-

Concilia.

Non omnes ſynodos *Germaniae* hic recenſebimus, quas *Harzheimius* collegit; nec omnes aliarum prouinciarum aut partium; ſed res quasdam notatu dignas. *Caminenſis* ſynodi ſtatutum a. 1204 fuit: vt *meretrices* poſtea non admittantur die Paſchatis ad ſynaxin; ſed *die veneris* tantum, vt inter honeſtas et turpes perſonas diſcrimen conſtitueretur. In conuentu *Herbipolenſi*, a. 1209, (poſtquam *Goslariae* rex ille *Otto* 4 ab abbatibus *ciſtertienſ.* 50 ſuae fraternitatis et orationum ſocius factus fuerat,) *Ottoni* legatus papae *Hugo*, in *remiſſionem peccatorum ſuorum praecepit*, vt duceret occiſi *Philippi* filiam; idem ab epis ceteris iuſſus 2 congregationes monachorum praeclaras conſtruere. *Hugo* loquebatur *latine*; epus Wirceburgenſis *fuit interpres*; (germanice enim iſta acta.) In Epiſtola *Innocentii* 3, a. 1214, qua inuitat ad concil. *lateranenſe*, generale 12, ad aepum Mogunt. et ſuffraganeos, multa de recuperatione terrae ſanctae leguntur, et Apoc. 13. *numerum beſtiae*, 666 ad tempora imperii *muhammedici* ſurgentis trahit. — iubet accingi ad expeditionem iſtam, et ſpondet, per hunc temporalem laborem, *quaſi quodam compendio*, ad requiem venturos aeternam; concil. autem hoc *lateranenſe* iuſſerat, *omnes clericos* XX partem prouentuum conferre in ſubſidium terrae ſanctae; *exceptis* tamen *religioſis* ſeu monachis. De eo decreto in ſynodo Salzburgenſi 1219 et *patauienſi* 1220 actum. *Fridericus*, per haec tempora, praeter celebre iſtud iuramentum, quo ſe papae obligauit, edidit etiam conſtitut. de *libertate eccleſiaſtica*, et conſtit. aduerſus haereticos (1224) praecipue contra *Patarenos;* quae formulae in *Goldaſto* facile legi poſſunt. In ſynodo *colonienſi*, a. 1222 *Hugo leod.* ep. reprehenſus, quod *iudaicam* puellam, quae in coenobium *ciſtert.* poſt baptiſmum conceſſerat, extrahere ex parentibus Iudaeis reddere conatus fuit. In ſynodo *Hildeshemenſi* 1224 per legatum papae quaeſtio habita de *Henrico*, prae-

po-

posito Goslariensi, qui *haeresin* sequebatur, statuens: spiritum s. esse *patrem* filii; et quod maior *domina* esset in coelis, beata virgine; et *in scriptis* eius inuentum fuit: quod matrimonium reprobaret, et *quod diabolus vellet redire ad gratiam*, (seu αποκαταστασιν statuit.) Concil. in *Germania*, incerti loci, (quidam *Coloniae* dicunt, forte *Mogùntiae*,) a. 1225, aduersus *concubinarios clericos*; praeside legato papae *Conrado*. *Synodi treuirensis* 1227 acta exhibet primus *Harzhemius;* de baptismo, confirmatione, invnctione, eucharistia, confessione, matrimonio (dicat vir: *accipio te in meam vxorem*; et mulier contra; et haec verba sint *de praesenti*, non de futuro.) de ecclesiis &c. (multa plane conueniunt cum iis, quae exhibet *Martene* tomo 4. thesauri noui pag. 158, ex concilio incerti loci.) de *vsurariis*; ne *Iudaei* medicinam et potionem dare permittantur christianis &c. Responsio *Gregorii* 9 ad synodalem quaestionem argentin. epi, a. 1230, puerum hebraeum, cuius pater christianus factus fuit, non in matris Iudaeae potestate esse, sed patri assignandum. A. 1230 legatus papae concilium voluit *Herbipoli* cogere; sed intercessit *Albertus*, dux Sax. *Henricus* frater eius, comes Ascaniae et alii nobiles per Saxoniam, litteris ad epos Alemanniae: — Cardinalis tam in partibus Saxoniae, quam in aliis imperii partibus *praebendas dare* dispositi, insuper alias seruitutes et *oppressiones ecclesiis nostris inducere meditatur*; si vultis *euadere iugum seruitutis perpetuae* — dignitas clericalis *hodie* maiori subiacet seruituti, quam tempore Pharaonis — an nescitis, quod estis inter epos aliarum terrarum *singulari priuilegio* decorati? cum non tantum epi, sed *et principes et domini* sitis. Itaque legato papae abeundum fuit; *Alberici* chronic. Memoria nostra praecipue digna est haec historia, qua libertas eccles. germanicarum defenditur. Synodus *treuirensis* dioecesana a. 1231 aduersus nascentes Haereses, *Tres scholae* haereticorum ea in vrbe repertae; et plures erant eorum sectae, et multi instructi erant SS, *quas habebant in teutonicum*

trans-

translatas; (antiquiſſima haud dubie mentio *teutonicae* translationis, poſt *Otfridi* &c. rudimenta;) non credebant *corpus* domini; confirmationem, vnctionem, et ſuffragia defunctorum, papam, clerum et *religionem* contemnebant. Nempe *religionem* monaſticam. Tres haeretici exuſti, et mulier *Luckardis*, quae luxiſſe dicitur Luciferum iniuſte e coelo iectum. Conſtitutio *Friderici*, qua gentibus in *Liuonia*, *Eſtonia*, *Pruſſia*, *Semigallia* — quae ab infidelitate recedere volunt, cauetur *libertas* priſtina; — timent ne poſt baptiſmum per principes orbis libertates eorum ad ſeruitutis onera deducantur — eximimus eos a iurisdictione regum, ducum — vt non niſi *matris eccleſiae* et romano *imperio*, quemadmodum alii *liberi homines*, teneantur. *Goldaſtus* habet tomo 2 ſed ſine loco et tempore; (non meminit huius conſtitutionis *praefatio* in tom. 5 codic. *diplomatici* Poloniae, quae imperii iura in Liuoniam negat.) A. 1233 per Alemanniam *tanta facta eſt haereticorum combuſtio*, quod non poſſit numerus comprehendi — et multi, vt dicebatur, *iniuſte dehoneſtati;* hae de cauſſa concil. *moguntinum*, praeſente rege et epis. habitum Epiſtola ad Gregor. 9 archiepi moguntini narrat, quam falſae accuſationes locum habuerint; valuerat ſcilicet lex, vt teſtibus ſimpliciter crederetur, et ſemel accuſato daretur optio, aut ſponte confiteri, et viuere; *aut innocentiam iurare et ſtatim comburi* — (Quis non horreat et ſtupeat ad barbaricam tyrannidem, qua dicebatur Chriſti doctrina defendi?) — Confeſſus eſt *Anfrid*, quod multos innocentes, alios ad ignem, alios ad tonſuram, teſtimonio ſuo coegerit — a ruſticis accuſatio coepit paulatim aſcendere ad *burgenſes* honorabiles, inde ad *caſtellanos* et *nobiles*, in fine ad *Comites* — Magiſter, nulli, quantumuis altae perſonae, dedit locum legitimae defenſionis — ſed accuſatum, *oportuit confiteri*, ſe haereticum eſſe, *buffonem tactum*, (notemus inſaniam et atrocitatem publicam) *pallidum virum*, et huiusmodi monſtra — pacis in oſculo ſalutaſſe. Taliter quidam catholici maluerunt *innocentes*

cre-

cremari, quam mentiri; alii mentiri, quam cremari; — et cum proponeretur de comite N. de comitissa N, dixerunt: ita illi rei sunt, vti ego; *et illi in scholis fuerunt*, sicut ego. — Conuenimus Magistrum Conradum, vt discretius ageret; sed *crucem publice praedicauit;* exstat lectu dignissima epistola in *Alberici* chronico; quae ad acta *magica* praecipue pertinet, et facile persuadet, non defuisse homines, qui tam horridum et diabolicum religionis instar, ac romana publica occupabat, porro admittere nollent; nec miramur hunc magistrum eiusque socium occisum fuisse. Hos igitur *atheos* dicebant tales censores fidei, qui fidem ideo tantum crepabant, quia hominibus fallendis et vexandis sic certo pares erant. Quam foeda et plane insana doctrina tum regnarit inter catholicos, intelligimus, ex *Gregorii* 9 epistola ad *Henricum*, filium *Friderici:* ille coluber, quem de cordibus hominum carnalibus eductum legimus, contra eos *pugnat extrinsecus*, in quibus *intrinsecus iam non regnat*; et quorum dominium intus perdidit, bella molitur foras, per haereticos — Iam narrare papam non pudet, quae *Conradus* ille de *Marburg*, e dominicanis (vt dicit *Trithemius)* scripserat: inter *nobiles* non deesse talem haeresin. 1. dum nouitius recipitur et *scholas* primitus intrat, apparet ei species *ranae*, quam *bufonem* nominant alii; hanc a posterioribus osculantur, et linguam saliuamque bestiae in ora sua admittunt; apparet quandoque in modum *anseris*, *anatis*, plerumque *furni* quantitatem assumit. 2. occurrit nouitio pallidus homo, nigris oculis, macer; hunc nouitius osculatur, et sentit frigidum, quasi glaciem; post osculum *catholicae fidei memoria de corde eius euanescit totaliter.* 3. post conuiuium per quamdam statuam in scholis descendit retrorsum ad modum canis, mediocris catus, niger retorta cauda, quem a posterioribus osculantur. 4. iam extinguuntur candelae, proceditur ad foedam venerem. 5. si plures sunt viri, hi in viros incenduntur; sic et feminae in feminas. 6. Candelis reaccensis, de obscuro scholarum angulo quidam

dam homo procedit, a renibus ſurſum fulgens, ſole clarior; deorſum ſicut catus; — dicunt iniuſte *Luciferum* detruſum fuiſſe — Iam papa declamat, vbi Zelus Moſis, Zelus Phinees! Zelus Eliae? vbi auctoritas Petri, qui *Ananiam* et Sapphiram exarſit? — Sed ego iam lectoribus, ſi pectus non eſt frigidum, haec trado, vt ipſi arbitrentur, vtrum vincat malitia ſacrificulorum, an hominum ſtultitia, quod tam foedae tamque ſtolidae ineptiae, vultu ſerio, hoc tempore dici et ſcribi potuerint. Quis bonus non maluerit ab his peſtibus et furiis famam et corpus conſcindi, quam profiteri talem religionem chriſtianam, quae ſacra deliramenta ſimul hominibus ingerat cum malignitatis et tyrannidis ſuperbia! Perſpicimus igitur ſectam *non timentium deum*; qui indignabantur ob iſta miniſteria malitiae perfectae, qui ridebant tales ſacros aſinos, dominicanos, et papae pedellos ſedulos: illi omnes deum non timebant; his autem debemus, poſt deum, quod latinum orbem iſti execrabiles, turpes, foedi, immanes inquiſitores latinae ſuperſtitioni et malignitati ſubiicere non potuerunt. In conuentu *Francofurtenſi* 1233 poſt moguntinam ſynodum haec eadem cauſſa diligentius acta; honor reſtitutus *comitibus* quibusdam, et *Conradi* iſtius atrocia improbata; etiam *hildesheim.* epus, *Conradus*, (qui antea *pariſiis* cathedram theolog. rexerat, atque *crucem* contra *Albigenſes* praedicauerat,) reprehenſus a rege *Henrico*, quod *ſupra haereticos cruce ſignaſſet populum;* interfuerunt epi 25 et multi abbates ordinum. *Conſtitutiones* etiam editae in hac curia; prohibitum fidelibus imperii, *ne in reiſa publica* procedant; principes et comites promiſerunt, 4 dies ſaltim per menſem iudiciis ſe interfore ipſos, vt aequitas iniuſto iudicio praeferatur. *Raiſam*, *Königszug*, ſi quis commiſerit (in cruciata?) proſcribatur; de iure *conductus* praebendi; vid. *Albericum.* Hoc eodem tempore 1233 *crux* contra *Stedingos* prodita, papae auctoritate; epi enim *bremenſis*, *mindenſis*, *lubec.* et *Raceburg.* eos accuſarant, quod eccleſiae doctrinam vilipenderent; —

ſimulacra feceruut cerea conſulentes in ſpurcitiis ſuis *Pythoniſſas*, viaticum ſalutis aeternae horribiliter tractantes; clericos et religioſos tormentis cruciabant; ruſticos praecipue in perfidiam ſuam traxerunt — itaque multi *nobiles* crucem aduerſus eos ſumſerunt (hic iam occurrit hymnus, media in vita.) *Albertus* ſtad. Nempe clericorum malignis artibus ſe ſubducere et hi *haeretici* auſi ſunt. Superſunt *Gregorii* epiſtolae plures, quae ad hanc cauſſam pertinent. Iſtis epis papa impoſuit, vt per ſuas dioeceſes *veniam peccatorum* fidelibus *polliceantur*, ſi qui contra haereticos bello intereſſent. Praecipuus et proprius error *Stadingorum* fuit, vt *Harzhemius* dicit, quod *decimas* aepo bremenſi negarunt. Concil. *treuir.* 1238 can. 48, qui miſerum ſtatum relig. publicae deſcribunt; vltimus reuocat *annum domini gratiae*, propter abuſiones. (ſcil. clerici legabant filiis et vxoribus ſuis, vt in concil. *Frizlar.* 1246 c. 11 exſtat.) *Apologia Friderici* 2, quem papa 1239 in die *palmarum* excommunicauerat; 14 *propoſitionibus eccleſiae* totidem opponuntur reſponſiones imperiales. n. X de nepote regis *Tunicii*, quém imperator non permiſit venire ad ſedem apoſtolicam, et baptizari; reſp. negat ſe baptizari velle; fugit de *Barbaria* in Siciliam, metu mortis. Synodus *Frizlarienſis*, a. 1246, can. 12; canone 4 ſacerdos iubetur nihil reuelare ex confeſſione. A. 1249 ſynodus in *Mühldorf*, ab aepo Salisburg. vt *Otto* dux Bauariae abduceretur a partibus *Friderici*, ad *Wilhelmi;* dux negauit, quia epi antea ipſi ipſum ad *Friderici* partes tuendas traxerint; papa dicit, ſic ducem *ab vnitate eccleſiae* recedere. Ex ſtatutis *Petri*, legati papae, ſuper ordinationibus eccleſ. *leodienſis*, patet, quas ineptias et nugas egerint praelati, quaſi rei ſacrae propria adiumenta; in *matricula* ſcribatur, quis per ſeptimanam cantare debeat *epiſtolam*, euangel. *miſſam*, *graduale*, *inuitatorium* cum *venite*, quis turibulum, candelabra ferat &c. eſt verboſiſſima ſcriptio. Concil. *colonienſ.* prouinc. 1260, capitum 14, contra *concubinarios*, *negotiatores* clericos; de *canonicis*;

ſta

ſtatuta 28 de *monachis.* Concil. *Moguntinum* 1261; multa conueniunt, cum ſuperioribus, e. c. a. 1227 *treuir.* niſi quod ibi baptiſmi formula *gallica* et *teutonica* etiam legitur; *verba eadem* in *fritislarienſi*, numeri canonum tantum mutantur; vnde et *falſae lectiones* corrigendae; debebat certe *Harzhemius* vel hanc operam impendiſſe, vt iſta obſeruaret. Inſunt his canonibus 54, (c. 44 concil. *Fritislar.* nominatur;) multa notatu digna; licet *duplices* tituli etiam ſint, (e. c. de anno gratiae c. 27 et 54 ſepulturis c. 9 et 51 &c.) vnde videntur canones alii etiam adiecti aut immiſti eſſe; c. 17 de *quaeſtuariis praedicatoribus* (etiam can. 48, de *quaeſtuariorum* exceſſibus tollendis;) atrociſſime deſcribuntur iam hoc tempore, vnde fingere licet atrociam ſeculi 15. 16. Contra *Eberhardinos* vagabundos clericos, quorum vita et laicos ſcandalizat; iis nihil dandum eſt. c. 22 *feneſtrae parlatoriae*; c. 31 feſtum *conuerſionis Pauli* celebretur. 39. clerici nonnulli lumbos ſuos *cingulo continentiae* non accingunt — 46 vt per preces et ſupplicationes imminens *Tatarorum* auertatur irruptio — pulſetur campana; indulgentia eſt X dierum. 47 de monachorum auaritia; non contenti diuitiarum fluuio, quem abſorbuiſſe noſcuntur, *vt in os eorum totus Iordanus influat* — ; paucae in Alemannia eccleſiae, de quibus clerici poſſint ſuſtentari; *nullae eccleſiae quibuscunque monachis* deinceps *conferantur* — . Iſti canones miſerum publicae religionis ſtatum eximie deſcribunt; adiecit *Harzhemius* articulos 9, ad can. 48 de *quaeſtuariis (mendicantibus)* pertinentes; dixit ille magiſter: ſacerdos in mortali peccato, ſoluere alios non poteſt; monialis ſi cum monacho ſcortatur, minus peccat, quam cum laico; *excommunicatio* inuenta tantum eſt ad terrorem; auctoritas ipſorum eſt maior, quam plebanorum; non tenentur homines accedere ad parochiam propriam; nec *plebano* confiteri; plurima ſcandaloquia proferunt in ludibrium et vituperium cleri argentinenſis — per quod populus a frequentatione *Parochiarum* retrahitur. (Intelligimus, perturbata

bata fuisse mendicantium studiis omnia iura.) Concil. dioecesan. *colon.* 1266, canones 45, de immunitate ecclesiastica plerique. A. 1267 *Wratislauiae* per legatum papae, e cistercienſibus, cardinalem, praesentibus Epis *Poloniae*, *synodus* coacta: in qua pro *subsidio terrae sanctae*, anni *Iubilaei gratiam* et *crucem* contra Saracenos praedicauit; in maioribus ecclesiis *capsae* constitutae, ad pecuniam colligendam, (*Michou.* lib. 3, 57.) Concil. *Viennense* in Austria, per eumdem legatum *Guidonem*, a. eodem; canones 19, exigui momenti, praeter 4 vltimos, de *Iudaeis*, quos *cornutum pileum* gestare iubet; ne *stubas* christianorum intrent; si coierit cum christiana muliere; si sacramentum ante domos Iudaeorum ferri contigerit, claudant fenestras et ostium; non *praesumant disputare de fide*, nec christianos alliciant; *synagogam* nouam non erigant. Concil. *Salzburg.* 1274. c. 24, non magni momenti; tolluntur *indulgentiae*, praecipue *quaestuariorum*. 16 contra *vagos scholares*. 17 contra ludum, *episcopatus puerorum*, nisi tantum 16 annorum et infra sint pueri. Synodi *monasterienſis* 1279 statuta 23; c. 8 de *aqua* in calicem (multae sedulae praeceptiones aliae insunt;) apponantur guttulae 2 vel 3. c. 9 si musca, aranea &c. sit in calice. 12 si infirmus vomitum patiatur, nullatenus ei corpus domini conferatur, *sed credat* et sufficit. *quia spiritualiter accepit* — interrogat, si credat, quod *sub illa forma et specie panis* sit corpus Christi; — si euomuerit, partes colligantur; contritae cum vino dentur alicui fideli, residuum comburatur; 14 moneant, vt saepe veniant ad confessionem. 15, locus ad confessiones sit aptus, non obscurus et tenebrosus — sacerdotes non respiciant vultum confitentis, maxime mulieris — distincte *mortalia peccata* confitenda — et circumstantiae: *quis*, *quid*, *vbi*, *cum quo*, *quoties*, *cur*, *quomodo*, *quando*; venialia autem sufficit generaliter confiteri. Concil. *Salzburg.* 1281. can. 18. c. 8 de immoderatis sumtibus *visitatorum*. 17 de *falsariis* clericis. Synod. *Colonienſis* a. eiusdem, c. 18. de vita et honestate

cleric.

cleric. conra concubinarios — 4 de administratione *sacramentorum* — si timeatur de morte infantis, *antequam nascatur*, et caput eius *appareat extra vterum:* infundat aquam, quae adfuerit, super caput, et dicat — si *praegnans* moriatur, teneatur *os eius apertum*, et vterus eius aperiatur; si viuus sit infans, baptizetur; si mortuus, tumuletur extra coemiterium. (Intelligimus, quanta fuerit superstitio etiam baptismo admista!) c. 6 admoneant populum, vt infirmi, si habuerint annos 14, *inungantur*, nec *propter paupertatem* omittatur; sufficit vna candela, et extergi potest cum *stuppa*, quae postea comburitur. Multa iam adfuerunt; cap. 7 de eucharistia est plane idem ac *monasterienſe* 1279 cap. 8. et caput 8 est monaster. 14 sq. citatur etiam ille epus *Engilbertus*, vt supina sit negligentia *Harzhemii*, qui nihil huius generis obseruauit — Iam *indulgentiarum*, quas dederunt epi varii, sequuntur plura exempla. Synodus *patauienſis* 1284. can. 34. pleraque iam saepius adfuerunt, humilia et leuia, vt solent; can. 9, si quis presbyter *de suis filiis et filiabus* solemnes nuptias praesumserit celebrare, *suspendatur*. c. 31 hi sunt defectus et culpae, de quibus clerici quilibet accusandi — concubinas habentes, aut tabernas, vsurarii, *antiquam monetam* pro noua mutantes, item *Alchimistae*, et qui conuentionem faciunt, antequam sepeliatur defunctus, &c. 33 excommunicati sunt, qui feuda nostrae ecclesiae et proprietates, quae dicuntur *minder aigen* vsurpant — additio ad hoc concilium — praeter religiosos non admittantur, nisi suas *formatas* habentes — proprietates, quae dicuntur *ein fast aigen* — Conuentio 1286 eporum, *numburg. misnenſis* et *Merseborg.* vt filii eorum, qui clericorum aliquem caperent aut tenerent, ad ordines et beneficia non admittantur, nec *filiae* illorum ad *coenobia virginum* — (Hinc apparet 1) *nobilium* liberos hoc adhuc tempore ad sacra beneficia praecipue admissos. 2) damni et poenae loco fuisse, si excluderentur; itaque non praecipue spirituale fuit consilium.) *Statuta synodalia leodienſia*

1287. c. 2 de baptismo: vt caueatur periculum baptizandi, *non mergatur* caput pueri *in aqua*, sed sacerdos *super verticem ter infundat* — si caput *nascentis* appareat extra, vel *aliud membrum principalius* (notemus superstitionem!) et timeatur de morte infantis, infundat, qui adest, aquam, dicens: *infans*, ego te baptizo &c. Si autem venerit viuus ad ortum, *de nouo baptizetur* sic: *non te baptizo* (hic desunt ista: *si es baptizatus*;) sed si non fuisti baptizatus, ego te baptizo &c. ista iam omnia in concilio *colonienſi* 1281 cap. 4; sed negligentissimus *Harzheimius* nihil vidit. cap. 3 de *confirmatione*, mirae nouae caerimoniae. Ceterum hic numeri canonum saepius diuisi; in *colonienſi* autem capita sunt maiora; de *festis* exstat catalogus hic *per omnes menses*; multa de *Archidiaconis* et *decanis* c. 29 de *Beghinis:* intrent curiam *beghinarum*, aliter non ferant habitum *Beguinarum;* omnes mercatrices manifestas, amplius, quam X marcas in negotiatione habentes, excludimus a priuilegiis *Beguinarum.* c. 33 *quaestuariis* non licet *indulgentias* ostiatim deferre, aut praedicare in platea; a. 1290 accesserunt *modificationes* horum statutorum. Concil. *Herbipolense* sub Legato papae, praesente *Rudolfo* imperatore, 1287. capita 42. c. 5, contra clericos, qui *focarias* habent et concubinas; 8 de *portatione* corporis Christi ad infirmos, aut *praegnantes* (nempe his praecipue opus erat caerimonia ista;) c. 28 non licet incastellare campanilia; 34 *leccatores* seu reprobatos *apostolos*, (an *apostatas*?) in eorum reprobata regula remanere vetantes, nemo recipiat. 40 contra imponentes *noua passagia;* sequuntur plures *indulgentiae*, ad reaedificationem ecclesiarum — decretum *germanicum* de *pace publica*, *Landfried.* In *supplemento* huius tomi 3 *Harzheimii* habetur synodus *Bardeuici* 1224, ad confirmationem Synodi *Hildesheim.* in causa praepositi *Henrici*, qui spiritum s. dixit patrem filii, *affectu;* virginitatem nimis extollebat; diabolum veniam a deo postulasse; esse in caelo dominam maiorem Maria, (*sapientiam.*) Hunc *Henricum*

cum abbatiſſa de *Horto* S. Mariae *Goslarienſis* cum conuentu dicebatur digniorem habere *Benedicto* et omnibus ſanctis; itaque et *Fridericus* 2 eas moniales reprehendit; iſta habet *Harzhemius* e *Schannati* ſchedis; ſed dubium non eſt, *Henricum* haud paulo meliora ſenſiſſe, quam iſtis ſententiis proditur; vnde eius doctrinam *Benedicti* regulae praeponere quidam coeperunt. A. 1261 ſynodus *patauienſis:* epiſcopus, quem papa iuſſerat *de negotio Tartarorum* conſilium impendere, et *Romae* procuratorem deſignare, per VIII *taxatores* centum Marcas eccleſiis aequa lance imponit, pro neceſſariis expenſis. *Magdeburgici* concilii 1266 ſtatuta 23 *Lünigius* iam edidit, ad procurandas res eccleſiaſticas; ſi quis *aepum* magdeburg. ceperit, aut epiſcopum prouinciae, canonicum &c. qui clericos membro quodam mutilant, vulnerant, *eorum liberos* in nulla noſtrarum eccleſiarum ad beneficium admittimus — 22 ne *imagines* circumferant eleemoſynam rogantes, aut reliquias, quia ex auaritiae radice prouenit — preces publicae contra *Tataros.* In *ſupplementis* Tom. IV adiectis, exſtat concil. *Moguntin.* 1259, in quo de *Beghardis* et *Beguinis* reprobandis: (tamen in ſynodo 1261, c. 23 fine, *Beguinae* vetantur iuniores eſſe annis 40.) quod ſecta et habitus et conuenticula *Beghardorum*, clamantium per plateas et vicos, *Brot durch Gott*, ſint penitus reprobati; *non praedicent in cauernis* vel aliis locis ſecretis — idem etiam de *Beguinis* peſtiferis ſtatuimus, *vt*, *ſingularitatibus relictis*, *ſe teneant ſicut alii* chriſtiani — *Iudaei* habitu diſtinguant ſe, mancipia chriſtiana et officia publica dimittant; aliter, *in poenam* potentum chriſtianorum, ceſſetur a diuino officio, donec per iſtos dominos Iudaei compellantur. Concil. *bremenſe* per legatum papae *Guidonem*, (qui plerasque prouincias circumuiit, auctoritatis papalis firmandae cauſſa) 1266: — *filios clericorum* infamiae nota comitetur; aliud *bremenſe* 1292, quidam perditiones filii vel epiſcopos capere audent et includere carceri, itaque — *Gerhardi* aepi mogunt. ſtatuta eccleſiaſtica,

1290 (alii 1298.) — ne clerici famulas, *bekinas*, seruicii nomine secum habeant. Tomus 4 habet Concil. *Salzburg.* 1291, de ordine *Hospitalar. Templar.* et *Teutonicorum* coniungendo. Nempe, non sine ratione putabatur, *Ptolemaida* Saracenos non expugnare potuisse, nisi scelera christianorum et dissidia rem adiuuissent; post epistolam humiliter declamantem de terra sancta, ad papam, sequuntur constitutiones; tertia est de *secta vagorum scholarium*, qui se clericos profitentur; prohibitum, ne quis in hac *secta* permaneat. Concilium *Aschaffenburgense* 1292, sub aepo *Gerhardo* moguntino; nequis statuat, sacerdotem in mortali peccato existentem non posse conficere corpus Christi; est haereticum. c. 5 de testamentis: contra illam corruptelam, quod nemo vltra 5 solidos piis locis aut personis legare possit; liberum potius esto, legare, quantum volent, modo *haeredes* contra legitimam non saedantur. (Eius generis iam adfuerunt querelae;) 9, de laicis, non curantes *interdictum;* (eorum sat multi erant, qui nugas istas spernebant.) — Si quis per annum non semel ad minus confessus fuerit, negetur ei sepultura ecclesiastica. 17. vt vterque sexus Iudaeorum sibi signum eligat, quo distinguantur a christianis. 21. nouas exactiones, *Vngeld*, nulla ciuitas instituat. Synodus *Vltraiectina* 1293, canones 31. ne clerici ad *potus aequales* se prouocent; *caput baptizandi* ter in *aqua ponatur*, nisi fuerit debilis, vel frigidum tempus; tunc aqua per manum sacerdotis *super caput* pueri profundatur; ne clerici vasa sacra apud *caumertinos* pignori exponent; can. 25 *caumertini* et vsurarii publice excommunicentur. Alia synodus Vltraj. 1294. c. 11, praecipimus districte, rectoribus et presbyteris, vt in suis parochiis *pater noster*, *credo*, praeter articulos fidei, qualibet *die dominica*, nec non X *praecepta* et 7 *sacramenta* ecclesiae semel in mense, vel saltem ter aut quater in anno, populo intelligibiliter et *lingua materna exponant*; (*catechismus* est.) Sacramentorum 5 sunt *necessaria*, 2 *voluntaria*, ordo et matrimonium; sine istis

ne-

neceſſariis homo ſaluari non poteſt, ſi negligantur. *Synodalis* epiſtola epi Traiectenſis *Bertoldi*, de iis, quibus *defectus natalium* obſtat; diſpenſatio papae ſimplex non facit, vt poſſint *canonici* fieri. Synodus *Herbipol.* dioeceſana, 1298, c. 2 ſi puer in neceſſitate a laico baptizatus fuit, iam *exorciſmo* non opus eſt. 3. ſacerdotes poſt ſuſceptionem corporis et ſanguinis, *ab exſpuendo abſtineant*; (ſuperſtitionem iam antea notauimus, et liberalem aliorum cenſuram.) — ſi ineſt muſca, *aranea* — *ſi fides id*, quod ceciderit, ſumere fecerit, Deo gratias (vt *Franciſcus* araneam bibit.) — X tantum *praefationes* recipiuntur *ad Miſſam*. — nullus clericus artem *chirurgicam* exerceat, nec quisquam *purgationem* aquae fluentis, ſeu ferri candentis ante conſecrationem (ſuam) impendat. — ne ſacerdotes *ſecum habeant prolem*, quem in ordinibus genuerint, ob ſcandalum. c. 17 eſt catalogus *feſtorum*. c. 19 e concil. *lateranenſi*, vt medici corporum infirmos ante omnia moneant, vt *medicos animarum* aduocent. ſi infirmus adeo fuerit arctatus, vt ſub *forma magna* corpus Chriſti ſumere non poſſit, ſub *minima* ei detur *in calice* comminutim, vt cum modico vino ori inſtilletur. Pleraque iam adfuerunt in *Fritislar.* et *monaſterienſi* ſynodo; quaedam hic auctiora, — ſacerdos quaerat primum: vnde es tu? clericus, laicus, ſeruus, ruſticus — tunc *ſtet inclinatus ad terram*, vt Euangeliſta dicit: *inclinato capite* emiſit ſpiritum — de 7 *peccatis mortalibus* eum roget, (hic ſatis copioſe —) de X *praeceptis*, de *quinque ſenſibus*; de *officio* — Synodus *colon.* 1300. cap. 22. pleraque tantum repetuntur e ſuperioribus. c. 13 contra *quaeſtuarios* concionatores; presbyteri ſingulis diebus dominicis et feſtis moneant parochianos, ſub excommunicatione, *ne tales audiant*, propter pericula errorum, quos ſeminant — 17 ne *campanarii* ſint illiterati. 20, contra ſuſpendentes taedas aut litteras comminatorias.

Habentur per annos fere ſingulos *ſtatuta* monachorum, praecipue *Ciſtertienſium*, edita a *Martenio* in the-

ſauro anecd. tomo 4 pag. 1293 ſeqq. ſtatuta ordinis *vallis caulium* p. 1652 ſeqq. acta Capitulorum generalium *ordinis praedicatorum* pag. 1670 ſeqq. Habentur inter multa leuia et vulgaria, etiam quaedam notatu digna; pag. 1298, queſtus fuit papa, quod per ciſtertienſes laicorum petitiones ad curiam romanam ferantur; rex Galliae, quod monachi *negotia guerrarum* procurarent; a. 1204 abbatiae, quae ſunt infra 12 monachos, expirent; abbas de *ſtella*, qui regi *Saraceno* litteras direxiſſe, et pergamenum vacuum, cum ſigillo, monacho dicitur credidiſſe — de *truncis* ſeu gazophylaciis, quae indecentis quaeſtus cauſſa in abbatiarum ingreſſibus ponuntur &c. ſed iſta recenſere nobis iam non licet. Acta *Dominicanorum* ab a. 1239 copioſiora ſunt, quam antea. a. 1239, quatuor *prouinciae*, *Polonia*, *Dacia*, *Syria*, (poſtea dicitur, *Hieroſolymitana*,) *Graecia*, *aliis octo* prouinciis per omnia adaequentur. 1240, non habemus *imagines ſculptas*. 1243, admonemus fratres, qui *poteſtatem habent ab epiſcopis indulgentias* in ſuis ſermonibus faciendi; (id ad *Tezelii* cauſſam pertinet;) Fratres non ſtudeant in libris *phyſicis* — non impediant eleemoſynam tribui *Templariis*, qui deuoti amici ſunt ordinis. 1244, concedimus Lombardiae *tres domos*, *Teutoniae* 2, *Daciae*, *vnam* — Epiſtola Magiſtri ordinis p. 1687, vt fratres ſapienter agendo aliis ſe commendent; *laicos*, doctrina allicite — in *theologiae* ſapientia *operatio* eſt intellectui praeuia, alibi ſpeculatiua practicam praecedit, 1245, fratres nullo modo extremam vnctionem *mulieribus* impendant — concedimus vnam domum in Dacia, tres in Prouincia, tres in Hiſpania, vam in *Saxonia* — mandamus fratribus, qui aliquod miraculum de b. *Dominico* ſciunt, vt ſcribant, idem dicimus de magiſtro *Iordane*. 1246 ſemper in aliquo conuentu ſit *generale ſtudium* et ſolemne; nullus ſit publicus doctor, niſi ad minus 4 annos theologiam audierit &c. Alia *concilia* in *tabula* indicabuntur.

CAP.

CAP. III.

De Haereſibus et doctrina publica.

Operae non eſt pretium legere, quae *Harzhemius* in digreſſione ad ſec. 13 compilauit; comparat edicta *Friderici* aduerſus *Haereſes* cum legibus imperatorum, *Conſtantini*, *Theodoſii*, *Gratiani* &c. Agit de *Albigenſibus*; de *vſu gladii* aduerſus haereticos, §. 8, ſubiunxit animaduerſionem Ludou. *Thomaſini*. §. XI, de origine *Inquiſitionis*. Vtiliora ſunt, quae §. 15 habet, de *primo abuſu* ſcripturae ſacrae in *linguam vulgi* verſae, ex *Rainerio* narrat, *Waldenſes* habuiſſe biblia in lingua *francica*, ſed corrupte; e. c. *ſui* non receperet eum, i. porci, quaſi *ſues* eſſet; feras *arundinis*, Schwalben, quaſi *hirundinis*; pſalmis ridiculos titulos imponendo. *Innoc.* 3 ſcripſit lib. 2 ep. 468, tam in dioeceſi quam in vrbe *metenſi* laicorum multitudo non modica, tacta quodammodo deſiderio ſcripturarum, *Euangelia*, *Epiſtolas Pauli*, *Pſalteria*, *Moralia Iobi*, et plures alios libros, fecit in *gallico ſermone* transferri; talia inter ſe laici et mulieres eructare praeſumunt, et ſibi inuicem praedicare; (o ſcelus haereticum, ſi placet!) — contra ſacerdotes parochiales, qui ſuper his eos corripere volebant, conantur *rationes inducere ſcripturarum*; alii *ſimplicitatem* ſacerdotum ſuorum faſtidiunt; ſe melius iam habere in libellis ſuis, et poſſe prudentius eloqui — (de quo profecto dubitare non licet, quia immanis fuit et imperitia et improbitas ſacerdotum plerorumque.) Sequemur hic temporis ſeriem, quam d'*Argentré* praeiuit, pag. 127 ſeqq. et pauca tantum hic ibi addemus iis, quae breuiſſime excerpimus. *Simon* ille de Tornaco, de quo pag. recitabamus, dicitur et iſtam ſententiam protuliſſe: tres ſunt, qui mundum ſectis ſuis et dogmatibus infatuarunt, *Moſes*, *Ieſus* et *Muhammed*; ſed ſtatim, poſtquam iſta locutus eſt, pro *humana voce mugitum* emiſit, et epilepſia corruit; ſic narrat *Thomas*

can-

cantiprat. lib. 2, de apibus, c. 48. *Almarici* errores inde ab a. 1204 et porro 1209 publice damnati. *Parisiensis* academia comitia habuit aduersus *Almaricum* de Bena; appellauit ad papam; sed papa confirmauit sententiam; eumque abiurare oportuit publice 1207. Laudat *Wilh.* Armoricus, in historia Philippi Augusti, parisiensem academiam isto tempore, non modo a triuio et quadriuio, sed et ab expositione *iuris canonici* et *ciuilis*, et a facultate *medica;* praecipue autem *theologicam. Almaricus* ibi, qui semper *suum modum* docendi *separatum habuit*, et opinionem priuatam, statuit: necessario vnumquemque christianum credere debere, *se esse membrum Christi*; (dicitur intellexisse, *naturale*; ohe!) Post eius mortem surrexerunt, qui docerent: potestatem patris viguisse, quamdiu viguit *lex Mosaica;* Christus aboleuit omnia V. T. sacramenta, et viguit noua eius lex ad hoc vsque tempus. Iam sacramenta N. T. finem habere *et tempus S. spiritus incepisse*, in quo dicebant *confessionem*, baptismum, eucharistiam et alia locum de cetero non habere; sed vnumquemque per *gratiam* spir. s. interius, sine actu aliquo exteriori inspiratam, saluari posse. — Huius sectae *plures sacerdotes*, *clerici et laici*, ac mulieres; feliciter detecti, capti et in concilio paris. damnati; *cremati sunt* extra portam, in loco, qui dicitur Campellus; mulieribus peperceerunt; ossa *Almarici* effossa — *Martinus Polonus* addit: Almaricus docuit, *ideas* in mente dei creare et creari; omnia reuersura sunt *in deum*, vt in eo immutabiliter quiescant, et vnum indiuiduum manebunt — sicut alterius naturae non est Abraham et Isaac, sic *omnia esse vnum et omnia esse deum*; deus videtur non in se, sed in creaturis — si homo non peccasset, non partitus fuisset in duplicem sexum — isti errores inueniuntur *in libro*, qui intitulatur, *περι φυσεων*, (est commentarius *Iohannis Scoti*, vt addit *Nicol. Triuet* in chronico, in *Spicilegio* Dacherii;) is liber cum eo combustus fuit; iidem errores *de deo* habentur in quaternulis M. Dauid de *Dinant. Haereses*, pro

qui-

quibus quidam clerici *Pariſiis* cremati ſunt, a. 1210. *pater* a principio operatus eſt *ſine filio* et Spiritu ſ. vsque ad incarnationem; (non noua ſententia;) pater in Abraham incarnatus; filius in Maria, Spiritus ſ. in nobis quotidie. Omnia vnum; quicquid eſt, eſt deus. — Quod iam ante conſecrationem panis corpus ſub accidentibus fuerat, prolatione verborum ſubeſſe oſtenditur. — Spiritus ſ. eis omnia reuelabat; ideo ſe dicunt *reſuſcitatos*. Paruulos ex iis propagatos non egere baptiſmatis bonorum — 4 ſacerdotes, 2 diac. 3 ſubdiac. cremati. In *decreto* eporum multi clerici nominantur, — non legantur libri *Ariſtotelis* de naturali philoſ. nec commenta, nec publice nec ſecreto; libri theologici ſcripti in *Romano*, tradantur epis, *praeter vitas SS.* (*Prohibitorius* index.) Copioſius deſcribit *Caeſarius Heiſterbac.* in hiſtoria miracul. lib. 5, 22. — non aliter eſſe corpus Chriſti *in pane* quam in qualibet re; deum ſic locutum in Ouidio ſicut in Auguſtino; qui habet cognitionem dei, habet in ſe *paradiſum;* qui mortale peccatum, habet infernum; idololatria eſt, altaria ſanctis exſtrui et imagines thurificari; ridebant eos, qui oſſa martyrum oſculabantur — *Wilhelmus*, aurifaber dixit: praelati, ſunt membra Antichriſti; papa eſt Antichriſtus, Roma Babylon — regi Francorum ſubiicientur omnia regna et filio eius — Epiſcopus pariſ. cui iſta narrabantur, iniunxit ſacerdoti cuidam *in remiſſionem peccatorum ſuorum*, vt ſe fingeret eſſe de illorum ſecta, donec omnia exploraſſet. — Errores M. *Dauidis* de *Dinando:* deum eſſe materiam primam vsquequaque fuſum in omni rerum natura (*Thomas* in 2. diſtinct. 17. q. 1. a. 1.) omnia diuiſit in tres partes; *corpora*, e quibus primum indiuiſibile eſt ὑλη; *animas*, primum indiuiſibile, e quo animae conſtituuntur, νους, et *ſubſtantias aeternas*, in his primum indiuiſibile *deus*, et haec tria eſſe vnum et idem. Errores a. 1215 in concil. *Lateranenſi* ſub Innoc. 3 reprobati — ſtatuit papa, *formam* verborum, canonis Miſſae, apoſtolos accepiſſe a Chriſto. Haeretici quidam *Argentinae* dicebant: licere per omnes

dies

dies *carnes* comedere — 80 iudicio ferri candentis reseruati, pauci innocentes apparuerunt; reliqui per adustionem manuum damnati et combusti. A. 1216 quaestio Parisiis, de *concursu diuino* ad omnes actiones. A. 1222 rusticus quidam, se ipsum crucifigens, et *stigmata vulnerum* Christi, superstitiose circumferens, perpetuo immuratur; (felicius cessit Francisco.) Ea, quae ad historiam *Aristotelis* et Philosophiae pertinent, hic omittimus; papae enim decreta plura prodita, vt, si placet, sine *fermento mundanae scientiae* doceant magistri puritatem theologicam (hinc et inter nos eius formulae anceps auctoritas diu viguit;) haeresis *Stedingorum* extinguitur; (adfuit iam ex *Alberto* stadensi.) Multi haeretici, e secta *Catharorum* in Germania puniuntur, *Trithem.* Hirsaug. 1230. scil. contemnebant ecclesiam vniuersalem; suam sectam dicentes solam esse ecclesiam; papam, cardinales, epos et clericos irridebant; *omnes monachos* damnabant; ieiunia et ritus paruipendebant, etiam confessionem et poenitentiam; in XL, carnes comedebant; Vnum *Mediolani* erroris sui patriarcham habebant; — capti quidam *Argentinae* memoratos articulos *in tortura confessi sunt*, et cremati. Signa quaedam ante fores domorum vel in tectis habebant, qualia per singulos annos nouus Magister Mediolani dabat. Nempe per infamem hominem *Conradum* de *Marpurg* haec gesta. In *chronico* magno *Belgico* 1233 de arte illa necromantica turpes fabulae narrantur; *Toletanus* quidam magister negromanticus Traiecti *fecit circulum*, in quo octo clerici erant, *cum caracteribus;* tres sedes posuit in vna parte circuli, pro 3 *magis* ex Euangelio; extra circulum, magnum sedile ornauit; excoriauit media nocte *catum vnum*, et 2 columbas scidit per medium. Iam *tres daemones*, quos habebat pro regibus, aduocauit, et magnum illum principem, Epanamon, dicens se eos ad coenam paruulam inuitare. Catum appositi 3 daemonibus, quem totum in momento deuorarunt. — tum coniurauit magnum daemonem, vt se in tantum exinaniret, et in vasculum vitreum intraret.

Quo

Quo facto vas cera ſignauit, α et ω ſuperſcripſit, et iuſſit, vt clerici peterent, quid vellent. Vnus petiuit conſenſum certae mulieris; alter vero familiaritatem ducis Brabantiae; &e. et omnes, quicquid petierunt, habuerunt — ſic creuit infidelitas illa de cultu Luciferi. (Atras nugas certe et horridas monachi ſolebant diſſeminare.) 1234 decem Haeretici *Duaci* comburuntur, *die dominico*; e ſecta populicanorum ſeu Bulgarorum. Quaeſtio pariſiis 1238 agitata, de pluralitate beneficiorum eccleſiaſticorum; item, de *raptu mulierum per daemonem*. A. 1239 errores impoſiti *Friderico* 2 — Gregorius 9 in litteris ad aepum Mogunt. — quod omnes ſint fatui, qui credant *deum de virgine natum*, (nempe aduerſus Mariolatras, et atroces multas notiones, recte hoc dixit;) — homo nihil aliud debet *credere* niſi quod poteſt vi et ratione naturae probare, (aduerſus myriades miraculorum recte dicitur.) — Fridericus autem ſe defendens ſcripſit, *papam eſſe belluam*, de qua ſcriptum eſt in *apocalypſi;* imperatorem, etſi edicta aduerſus *haereſes* prodidit, ſimulatione vti *Innocentius* 4 dicebat. A. 1238 Cenſura ſ. animaduerſio *pariſienſium* magiſtrorum in libros *Talmud;* et Bulla papae *Gregorii* 9, de impiis dictis libri *Talmud*. Deſcribitur *Talmud* per libros, ſectiones, et partitiones; multa *nomina* explicantur; difficultas multa eſt, ſi ſcribere quis hebraica gallice velit. *Blasphemiae* in Chriſtum et Mariam occurrunt in — et in libro, *initium creationis* Ieſu nazareni; imponunt noſtris ritibus haec *nomina* blasphemiae — a. 1236 deus Iudaeum, *Nicol.* de rupella, vocauit ad fidem, in hebraeo plurimum eruditum; hic acceſſit ad ſedem apoſtolicam et librorum praefatorum detexit malitiam, et quosdam expreſſit articulos, ſuper quibus litteras papae impetrauit *ad reges Franciae*, *Angliae* et *Hiſpaniae*, vt tales libros facerent cremari. Collectis igitur de toto regno Franciae cunctis Talmud, et Pariſios deductis, *vna die cremati* ſunt ad 14 quadrigatas, et alia vice *ſex*! Iſti ſunt *articuli* — ſtatuta die, vocatis peritioribus Iudaeorum magiſtris coeperunt inquire

re

re — Confeſſio Magiſtri iudaici, nomine *Vino*, vel *Vi-uo*, meldenſis — (mira miracula ſententiarum) confeſſus eſt, quod non permittunt pueros ſtudere in bibliis, quia hoc abſtrahit ad aliam fidem. Pars nominum magiſtrorum, ex quorum dictis et ſtultitiis Talmud compilatum eſt. — De *Beguina* Sibylla, de Marſal, a. 1240; videns ea, plurimas mulierculas *ſub doctrina Praedicatorum* ſub ſpecie religionis florere, quae *Beguinae* appellantur, volens ipſas imitari, eccleſias maturius frequentauit ſicut moris eſt *Beguinarum*; recepta in domum piae mulieris finxit ſe cibo caeleſti veſci, ſed clam ſacerdos aliquis cibos et odoramenta afferebat — (ſi recte memini et ſeculo 15 redibit illa narratio.) Paulo ante a. 1250 narrat *Cantipratenſis* de *ſeptem* cruciferorum generibus; cruces *colorum* varietate diſtinctae; 2 contra Albigenſes 2. in terram ſanctam; contra *Stedingos* &c. M. *Robertus* de *Groſſe-teſte*, epus lincoln. definiuit quaeſtionem de *ſanguine Chriſti* remanente in terra: duo ſunt ſanguines: vnus eſt, qui ex nutrimento generatur, aliquando ita ſuperfluus, vt e naribus prorumpat; de *tali ſanguine Chriſti* habemus in terra, licet ſane non fuiſſet ſanguinolentus; deo volente, vt habeatur recentior memoria paſſionis. Alius ſanguis eſt corpori animato ſubſtantialis — de illo forte non habemus — (quam futiles quaeſtiones!) — Ad haereticorum confeſionem *Richerius* in chronico ſenon. narrat, a. circiter 1250 *Rambaldum* militem dubitaſſe de reali praeſentia corporis Chriſti; aegrotanti ſacerdos dixit — reſpondit miles: quomodo tantillum panis me ſaluare poterit? ſed, amore veſtri, paniculum illum manducabo — ſed corpus domini *ita iuxta palatum* ſtetit, vt plene palatum non tangeret, nec ad linguam deſcenderet; miles vero balbutiendo dixit, ſubuenite, iam ardeo — ſic mortuus eſt, et anima inferno — ſacerdos autem corpus Chriſti de ore illius ita extraxit, vt prius impoſuit — 1251 paſtores de diuerſis regionibus congregati, *ſub crucis titulo*, in multis Galliae partibus clericos et populos inuadere auſi — (ſeculo ſequen-

quenti, 1320 de *Paſtorellis* ſimilis redit narratio, qui terram ſanctam dicebantur recuperaturi. A. 1252 reſponſio ſacrae facultatis, quod poſſint *parochiani confiteri*, inuito et contradicente parocho, papae poenitentiariis. A. 1256 liber de *periculis nouiſſimorum temporum*, aduerſus Mendicantes, a Guil. de S. *Amore* compoſitus, cenſura *Alex.* IV proſcribitur; liber combuſtus fuit pariſiis; defendit mendicantes *Thomas* aquin. et *Bonauentura*. Opera *Guil.* de S. *Amore* 1632 pariſ. edita; temerarius quidam magiſter Sorbonicus promotor fuit; ſed *Ludou.* 13 editionem aboleuit; minus certum eſt, ſcriptorem hunc fuiſſe ſocium collegii *ſorbonici*; fuit enim ante magiſter, quam fundamenta domus *ſorbonicae* iacta eſſent. A. 1268 multi ciues et *ruſtici* Hollandiae conſpirarunt contra principes terrae, et *nobiles prouinciae* (adeo turbae ruſticorum iam diu *ante Lutherum;)* chriſtianos enim liberos eſſe, nec ſeruituti, decimis, aut tributis ſubiacere; *Trithem.* in Hirſaug. Pariſienſis epus *Stephanus* 1276 libros aliquos, de *amore*, ſeu deo amoris; librum necromantiae, quaternos ſimiles, in quibus inuocationes daemonum, condemnauit; et errores 219 varios; quod trinitas non ſtat cum ſimplicitate; deum *generare* non poſſe; nihil aeternum a parte poſt, quin et ſit a parte ante. In 36000 annis redibunt omnia; ſemper fuit et erit generatio hominis ex homine; reſurrectio per rationem inueſtigari non poteſt, nec debet concedi a philoſopho; anima nullo modo patitur ab igne. Omnia fiunt de neceſſitate; intellectus humanus aeternus eſt; vnus numero eſt intellectus omnium. Nihil eſt credendum, quam quod ex ſe notis declarari poteſt. Cauſa prima non habet ſcientiam futurorum contingentium. Deus eſt aeternus in agendo, ſicut in eſſendo. Omne quod non habet materiam, eſt aeternum. Infinitas non eſt impoſſibilis, niſi in materialibus. Mundus eſt aeternus quantum ad omnes ſpecies in eo contentas. — mundus factus ex nihilo; tamen *το non eſſe* mundi non praeceſſit eſſe duratione, ſed natura. Aliud verum eſt ſecundum philoſo-

phiam, aliud ſecundum fidem — deus non facit *accidens eſſe ſine ſubiecto*, de cuius ratione eſt, ineſſe ſubiecto. Homo non debet eſſe contentus *auctoritate*, ad habendam certitudinem. Sermones theologi fundati ſunt in fabulis. — effectus ſtellarum ſuper liberum arbitrium, ſunt occulti. — voluntas non poteſt ab eo abſtinere, quod ratio dictat, (quod firmiter creditum eſt a ratione;) nec eſt coactio, ſed natura voluntatis. — *fabulae et falſa ſunt in lege chriſtiana, ſicut in aliis; confitendum eſt*, ad apparentiam; creatio non eſt poſſibilis; ſed contrarium ſecundum fidem tenendum. Fatum, diſpoſitio vniuerſi, procedit ex prouidentia diuina, non immediate, ſed mediante motu caeleſti; nec imponit neceſſitatem, quia habent inferiora contrarietatem. Vniuerſum non poteſt deficere. — Intelligimus ex his, fuiſſe iam iſto tempore, qui perſpexerunt, quam multa falſa ſint et incerta ex iis, quae ſolebant *ad fidem* referri; nec *Fridericus* imperator ſolus ſententiam ſuam dixit, ſi dixit, de tot ineptis decretis fidei latinae. — Errores condemnati ab aepo cantuar. in *grammatica*; in *logica*; in naturali philoſophia; contra catholicam veritatem; ſequuntur multi *articuli damnati*; de deo; angelis; anima; libero arbitrio; toto homine; mundo; coelo, ſtellis &c. (affuerunt iam, ſed alio ordine;) ſequuntur obſeruationes, et annotationes ad iſtam cenſuram; *reale vniuerſale*, quod vna communis eſſentia ſpecificet plura eiusdem ſpeciei ſuppoſita, (vt intellectus vnus numero omnium hominum) ſtatuit *Wiclef* etiam — in ſcriptis S. *Thomae*, quid olim a quibusdam reprehenſum ſit, ab aliis approbatum. A. 1277 de fide Iohan. 20 ſeu 21, quid nonnulli veteres ſcriptores dicant; quia parum amabat *Minores*, hi varia in illum confinxerunt. Errores *Petri* Ioannis Oliui, minor. baccalaurei formati in acad. pariſ. theologiae; 1280. Hic in ſuis *quodlibetis*, quae excuſa habentur, impugnauit 37 articulos aliorum doctorum — Litterae magiſtrorum, qui articulos de *Poſtilla* Petri Ioannis ſuper apocalypſi extractos examinarunt; hanc poſtillam, cum alia in

Mat-

Matthaeum et super *canonicas*, Ioh. 22 condemnauit; per babylonicam meretricem intelligit romanam ecclesiam, quam et carnalem dicit; antichristum, papam esse; angelus ille, Franciscus est; Christi militia, *Begardi* — per euangelicam vitam, intelligit *nihil habere*, nec in proprio nec in communi, sed habere simplicem vsum facti, (sine iure et dominio.) A. 1284 censura *Roberti* aepi cantuar. confirmata per *Ioh. Peckam*, aep. cantuar. A. 1285 *Aegidius Columna*, Romanus, quosdam ex articulis per *Stephanum* paris. aepum damnatis, quos *Aegidius* pro veris asseruerat, reuocare coactus fuit ab *Honorio* 4. A. 1286 quaedam secta, *ordinis apostolorum*, sine permissu papae introducta, et multis erroribus fauens, ab *Honorio* 4 deleta fuit, (in *Bullario* exstat.) Eodem anno subtiles lites *Oxoniae* ortae, cum *Knapwellus*, dominic. e suggestu quaedam asseruisset catholicae fidei non satis congrua; de *vnica forma* — 8 articuli a *Peckamo* damnati; quod corpus Christi mortuum non habuit eam formam, quam viuum; quod in morte eius fuerit introducta noua forma substantialis et noua species; modo, post resurrectionem Christi, totus panis conuertitur in totum corpus Christi viuum; materia panis in materiam corporis, et forma panis in formam corporis, scil. in id, quod est *anima intellectiua*, secundum quod (illa) est forma corporis — qui vult ita docere, non tenetur in talibus fidem adhibere papae, Augustino, aut cuicunque magistro, sed tantum bibliae et sanae rationi. (Hac lege autem et aliis vti licet, aduersus *Thomistam*.) Collectio *Parisiis* circa 1290 facta: de variis erroribus Philosophorum; primo de *Aristotele;* eius commentator *Auerroes* ista omnia pertinaciter defendit, cum *derisione fidei* (scil. parum rectae aut sanae doctrinae, quam solebant christiani frigide defendere, ex auctoritate, aut mysterio.) Haec *sunt Auerrois* — sequitur de *Auicenna*, — *Algazel* vt plurimum *Auicennae* abbreuiator, errauit ponens — *Alkindus* in libro de *Theorica* artium magicarum multos errores posuit — Rabbi *Moses* (Mai-

monides) in expositione legis, errauit, dicens non esse in deo aliquam multitudinem nec re nec ratione, inde sequeretur, non esse trinitatem; esse sapientiam et bonitatem in deo *aequiuoce*, et *in nobis*; sed sunt in nobis vt ab agente; attributa non proprie dici de deo — esse corpora caelestia ζωα — dicens, esse quaedam deo impossibilia, vt *accidens* esse sine subiecto; prouidentiam dei esse partim quoad speciem et singularia, vt in homines; partim quoad speciem tantum, vt foliorum cadentium. - circa mores: simplicem *fornicationem* non esse peccatum iuris naturalis, sed prohibitionis. A. 1287 controuersia inter omnes epos Franciae et fratres *praedicatores* et *minores;* hi enim dicebant, quod confessi ipsis, non tenerentur eadem peccata numero iterum confiteri parochis. *Raymundi Lulli* errores, 1290; is (mercator, tertio ordini Francisci addictus) multa scripta ante finem seculi diuulgauit tum Parisiis, tum in Catalaunia, quae scatent erroribus, sed nec defensoribus destitutus fuit; seculo sequenti adhuc haec causa agitata fuit. Ista dogmata creditur habuisse a diabolo, licet ipse asserat, quod suam doctrinam in quodam monte habuit a Christo, qui ei apparuit crucifixus. Illa doctrina tandem per Nicol. *Eymericum*, inquisitorem, diligenter examinata; papae viginti volumina praesentauit, causa commissa est cardinali *Hostiensi* et 20 magistris in theologia, qui de fratrum consilio, illa vt *haereticalia* damnarunt; plus quam 500 articulos continebat, e quibus, vt prolixitati parcatur, hic centum ponuntur. Sunt autem: deus habet multas essentias; in diuinis essentia essentiat; infinitas, infinitificat, bonitas bonificat; vt homo ad hominificandum, sic et multo plus diuinitas ad diuinificandum — in diuinis sunt 3 personae, *vniens*, *vnibilis*, et *vnire*, actio, spiritus s. — sequuntur multae nugae de trinitate, de incarnatione; de Maria, quod relaxat peccatoribus culpas et poenas; voluntas Mariae fuit contra iustitiam, quia non dilexit filii sui mortem, quem deus cum iustitia interemit, et in hoc est stulta et inobediens Mariae voluntas. — anima *Iudaei* et *Saraceni*, qui credit esse in

veri-

veritate, nec peccat mortaliter in peccato actuali: *non habebit poenam spiritualem*; (haec et quaedam aliae sententiae non sine ratione dicebantur;) nullus homo ita est peccator, qui, qualibet hora, qua velit, non possit esse dei amicus — in bono faciendo non oportet sperare, quod deus *incipiat*, quia iam incepit, quando nos creauit — homo potest venire ad saluationem per virtutes morales — qui non facit id bonum, quod potest, non videtur deum multum diligere; — qui non facit omne suum posse ad conuertendum infideles, errat — si plures essent damnati, quam saluati, misericordia Christi esset sine magna caritate — homo debet amare deum, quia bonus est, non autem propter vllam rem donatam (*amor purus* postea); homo qui deum multum amat et deus possunt esse, imo sunt, vnamet essentia — omnes articuli fidei, sacramenta, potestas papae, possunt probari per rationes euidentes; (nec vltra credendi sunt, quam ratio permittit;) *Fides* necessaria est hominibus imperitis, rusticis; sed homo subtilis facilius trahitur per rationem, quam per fidem — quod *interficientes Haereticos sunt iniurioſi* et vitioſi, Christus enim voluit suos discipulos esse simplices, qui neminem interficerent — *Theologi moderni nihil sciunt de vera theologia*, propter sua peccata; apostatabunt a vera fide, *Lullistae* autem reducent ecclesiam ad fidem cathol· Haec vera doctrina tantum habetur per spiritum s. in horis 30. 40. 60. Papa Gregor. 9. Cardinales et magistri, qui damnarunt hanc doctrinam, turpiter errauerunt. Ista ex *Eymerico* excerpta satis declarant, frugiferas et salubres multas sententias *Lullum* et socios tulisse; Idem *Eymericus* in secunda parte *directorii* q. 29 narrat multos libros damnatos fuisse sub finem seculi, necromantiae, geomantiae, pyromantiae, Hydrom. Chiromantiae; 10 annulorum Veneris, libros tot *graeci* et germaniae *babylonenſis*; 4 speculorum; imaginum Tobiae Bantricat; Ptolemaei; Hermetis magi ad Aristotelem; in omnibus insunt *pacta et foedera cum daemonibus*.

Ex istis, quae excerpsimus, multa ad historiam opinionum, superstitionum sententiarumque *theologicarum* colliguntur; praeterea et id intelligitur, semper fuisse homines probos, graues et christiano nomine dignos, qui alieni fuerunt a frigida ecclesiasticae fidei consuetudine, vt fere nullum dogma superfuerit non vellicatum aut reiectum, ex eorum quidem ordine, quae praeter ius et rationem imperari hominibus solebant christianae religionis nomine, sed quae clericorum istam πολιτειαν potius adiuuabant, quam hominum omnium felicitatem. *Transsubstantiationem* papa in *lateranensi* concilio publice sanxit; sed permansit vel inter scholasticos aut eruditiores sententiarum varietas, vt vel ex ista scriptione patet: determinatio Fr. *Iohannis* parisiensis, *de modo*, *exsistendi corpus Christi in sacram.* altaris; prodiit Londini 1686 in 8. Sub initium sequentis seculi hic scriptor, vt narrant alii, *nouum modum* introducere conatus fuit: per assumtionem paneitatis, vel substantiae panis in Christo; *nec credebat primum modum*, (transsubstantiationis,) esse ita necessario tenendum, quin et hic, popularis et fortassis magis rationabilis, possit teneri. Cum reuocare nollet, lectura priuatus fuit, atque ei silentium impositum, sub excommunicatione; appellauit autem ad papam, sed frustra; sic narrat continuatio *Nangii* a. 1304. — panem manere; inde *impanatum verbum* nominauit hic Ioannes; conuersionem panis, *non esse de fide;* panem vero manere, licet non in proprio supposito, sed tractum ad esse et suppositum verbi; *corpus* dici potest *impanatum*, non vero homo aut Christus est impanatus; deberemus facere *festum de impanatione* sicut de incarnatione. Fatetur autem iam *alios doctores*, ante ipsum, sic statuisse; vt Abbas *Rupertus* non admodum dissimilem sententiam praeiuit. Nec multum papa promouit per aliud concilii eiusdem decretum, quo *confessio* cunctis imperatur; mali enim atque improbi ecclesiastici seruî, eo quidem facilius alios premere potuerunt, sed multi boni et peritiores homines semper longe meliorem sententiam amplexi sunt,

sunt, quae externas leges et caerimonias iusto in loco ponit. Non parum ad conuellendum stuporem theologicum philosophiae succrescentis studia contulerunt; itaque et paparum graues et acerbae sententiae plures contra philosophiae et theologiae sodalitium ferebantur, quas mirum est vel nostris etiam temporibus multis bonis viris imposuisse, vt, papae exemplo, nusserint theologiae amatores abhorrere a philosophia. Fefellit enim eos ista phrasium, quibus abutitur romana curia, sacrarum diuina species: *sine fermento mundanae scientiae docendam esse theologiam, nec adulterandum verbum dei philosophorum figmentis*; sic Gregor. 9, qui *contentos* esse iubebat parisienses doctores *terminis* a patribus institutis et saginare mentes auditorum *fructu caelestis eloquii*, vt hauriant de fontibus Saluatoris. Similes plures sententiae facile ex *Launoii* libello, de varia *Aristotelis* fortuna, *Bulaeo*, d'*Argentreo* colligi possunt. Non ignoramus, plerumque sic omnino statui, per *scholasticos* hac ratione corruptam fuisse doctrinam christianam: sed certum est, nisi deus vsum philosophiae inter latinos homines excitasset, disciplinam omnem christianam in barbaricas et hetruscas vaticinationes tandem haud dubie fuisse mutatam.

Sub orientem solem.

Hic primum omnium *Graecorum* Historiae aliquam dabimus operam; quae quidem *historia sacra*, vt fieri assolet, nomine magis quam omine se commendat. *Innocentius* retinendum censuit imperium, *Latinorum* opera tam facile occupatum, itaque, vt maxime potuit, scriptis litteris ad Galliae praecipue episcopos et magistros *parisienses*, iussit, vt ad *Balduinum*, tam ob spirituales quam temporales diuitias capessendas confluerent quam plurimi. Atque iam bonis verbis et litteris non pepercit papa, vt *Graecos* etiam sacrae suae auctoritati subiiceret; *Pelagium* certe alban. epum fecit legatum orientalis imperii, a. 1213, qui Graecos adduceret ad vnum ouile, (*Raynald.* n. 6 seq.)

quem moribus immitem atque insolentem fuisse scribit *Georgius* Logotheta, apud *Allatium*; monachos in carcerem, sacerdotes in vincula coniecit, occlusis templis, vt tandem papam faterentur primum esse omnium eporum; sed vel imperator *Henricus*, inuito legato, templa Graecis et patrios ritus reddidit, captiuos etiam libertati restituit, quia intellexit, ita potius esse e re publica. Atque ex ipso *lateranensi* concilio intelligere licet, quo in *Latinos* animo religionis caussa *Graeci* fuerint; ita enim ibi c. 4. Postquam Graecorum ecclesia ab obedientia sedis apostolicae se subtraxit, in tantum coeperunt Graeci abominari Latinos: vt vel iis altaribus, quibus Latini vsi essent, ante non vterentur, quam altaria lauissent, tamquam inquinata. A latinis baptizatos *rebaptizabant*; praecipit igitur concilium, vt de cetero talia non praesumant; conformantes se, tamquam obedientiae filii, romanae ecclesiae matri, vt sit vnum ouile et vnus pastor. Similia studia inde numquam defuerunt, sed *Graeci* parum cesserunt. A. 1232 refert *Raynaldus* n. 46 graeci aepi, qui Niceae iam sedem habebat, *Germani* epistolam ad *Gregorium* 9, cum 5 *Minoritae* egissent cum ipso de tollendo antiquo schismate — obiicit martyres *Graecos* in Cypro insula a Latinis morte affectos; haeccine *Petrus* docuit et mandauit, *pascite gregem dei, non coacte, non ob lucrum, non dominantes cleris &c.* — nos vobis vniri, vel *vos nobis*, facta inquisitione veritatis, instantissime postulamus, nec amplius schismaticos, vel a Latinis defamari, vel *Vos* a Graecis deprauari. (Et vt veritatis medullam attingamus, multi potentes ac nobiles vobis obtemperarent, nisi iniustas oppressiones et opum proteruas exactiones et seruitutes indebitas, quas a vobis subiectis extorquetis, formidarent.) Haec ab isto signo *Raynaldus* putat suppositia fuisse, aut esse documentum mentis impotentis, quae *Matthaeum* Paris soleat ducere; exstant vero in editione *londinensi* pag. 388; romano autem historiographo talia videntur falsa esse. Hinc crudelia bella — sacerdotalis ministrationis prorsus vacat operatio, ne

in

in Graecorum climatibus deus collaudetur — cum vtrique ſibi veritatem tribuant, redeundum igitur eſt ad Chriſti euangelium, apoſtolorum epiſtolas, et libros theologicos patrum — Idem *Germanus* ſcripſit ad *cardinales*, exſtat apud eumdem *Matthaeum* — deſtruite maceriam veteris inimicitiae, quae eſt inter Latinos et Graecos — nos negotium pacis incepimus et ad papam ſcripſimus; deus deponat e *cordibus veſtris omnem* extollentiam cogitationum, extollentem ſe contra fraternam vnitatem — *diuiſio noſtrae vnitatis proceſſit a tyrannide veſtrae oppreſſionis et exactionum romanae eccleſiae*, quae de matre facta *nouerca*, more rapacis volucris ſuos pullos elongauit; quae humiliores et ſibi proniores, eo magis conculcat — ſedetur igitur, innata licet, *romana auaritia*, *deſcendamus ad veritatis ſcrutinium* — *Agapetus* et *Vigilius*, propter diſſenſiones Romae olim Cpolin fugerunt — ſi autem culpa et initium ſcandali *a veteri Roma* prodiit, et a ſucceſſoribus Petri: audite Paulum ad Galatas: cum Petrus veniſſet Antiochiam ei in faciem reſtiti, quia reprehenſibilis erat — Vos terrenis tantum inhiantes poſſeſſionibus, vndecunque poteſtis abradere, aurum et argentum congregatis; diſcipulos tamen vos illius dicitis, qui ait, aurum et argentum non habeo. *Regna* vobis tributo ſubiicitis; negotiationibus numiſma multiplicatis; factis dedocetis, quod ore praedicatis — Petrus, haec petra, mota fuit a baſe, a muliere miſera — ille autem faciem ſuam lacrimis abluit — haec ſcribo pro recordatione tantum — Sunt autem multae et magnae gentes quae nobiscum ſapiunt, et conueniunt cum Graecis, in omnibus; *Aethiopes*, *Syri*, *Hiberi*, *Lazi*, *Alani*, *Gothi*, *Chazari*, *Ruſſi*, *Bulgari* &c. Operae pretium omnino fuit, iſta a nobis hic repeti, vt accuratius de celebratiſſimis *pro vnione* ſtudiis arbitrari vnusquisque ipſe poſſit; nec enim Graeci ignorabant publicam iſtam malignitatem et improbitatem ſacram, quam Romani antiſtites iſti *religionis verae* nomine ornabant; licet et Graeci a cognitione liberali rerum ſacrarum haud parum

abeſſe ſolerent. Superſunt et ea, quae *Gregor.* reſpondit, ſed foeda atque illiberalia; Graecorum peccato et ſchiſmati hanc poenam veniſſe, quod imperium tam labefactatum ſit; romanae ſedis primatum confirmat; negat ſe eſſe lucri et honoris cupidum, eſſe enim ſeruum ſeruorum — reuertere, dic, pater peccaui &c. nec enim tanti eſt, impotentis hominis faſtum deſcribere. Iam facile praeuidemus, quo omine et auſpicio porro tractatum fuerit de *vnione eccleſiaſtica.* In *Cypro* inſula poſtea, a. 1248, cum S. *Ludouicus* ibi ageret, diſſenſiones inter *Graecos Latinosque* compoſitas ſcribit *Raynaldus*, n. 33, graecumque aepum ſub Latini obſequium redactum; ſed parui temporis et parum probi ingenii fuit illa coniunctio; licet multa dederit *Innocentius* 4 Graecorum precibus, (Raynald. 1250. n. 41 ſeq.) aepus Graecus a Latinis olim expulſus, tuſculano iam epo *obedientiam manualem* praeſtiterat, eccleſiae rom. nomine; iam petierunt Graeci, vt 14 epiſcopatus ſuae nationis, ſicut olim, in inſula tenerent, nec ſubiecti eſſent latinis praelatis, ſed *papae*; *decimas* repetierunt, et canonicam diſciplinam priſtinam in ſuos. Similiter *Albaniae* epus, non latinis praelatis, ſed papae ipſi ſubeſſe voluit; nominantur et prouinciae aliae, *Philot*, (Arbania,) et *Vnauia*, prope Hungariam, quae miſſo ſchiſmate Graeco, ſedi romanae acceſſerint, in quas papa iuſſit Magiſtrum ſummum *Praedicatorum* in Hungaria aliquos miniſtros mittere, qui populos ad romanum obſequium traducerent; *Raynaldus* a. 1250 n. 44-46. Narrat *Matthaeus* Pariſ. a. 1254, veniſſe quosdam nobiles et potentes de *imperio Graecorum*, veſtibus optimis amictos, cum ſaumariis 50 et familia copioſa optime parata. Conuenerunt dominum papam verbis acerrimis, quod enormiter errauit *a fide* (veteri formula) et per eum omnes *Latini*, quia dicunt Spir. ſ. procedere a patre et *a filio*, cum *tantum* a patre procedat. Certabant etiam, ſi ſit idem *proceſſio et miſſio? Simoniam* tamen et *vſuram* manifeſtam *curiae* romanae dicebant inhaerere, quod ſignis volebant et ex rationibus euidentiſſ. probare;

quod

quod enim fama generalis per circuitum consperſit, veritati, vel humanae credulitati contrarium esse vix poterit. — Verum examinati de articulis fidei et sacramentis satis tolerabiliter responderunt; et vbi vacillabant, instructionem *aliqui* benigne admiserunt. Papa autem dedit eis vestes preciosas, de scarlato cum pellibus exquisitis, et zonas sericas, repagulatas auro et argento, vnde merito poterant superbientes gloriari. Nempe partim *donis*, partim *accommodatione*, (vt *Raynaldus* scribit a. 1254. num. 6) papa *Graecos* adduxit. Sic enim papa ad epum *tusculanum* scribit: in *vnctionibus* circa baptismum Graeci morem romanum teneant; ritus vero vngendi per totum baptizandorum corpora, toleretur; nec refert, vtrum in frigida an *calida* baptizent; chrismate soli epi consignent — si *chrisma* ex sua consuetudine (per patriarcham aut aepum cum suis epis) volunt conficere, toleretur — de ieiunio sabbati, quadrages. tempore, teneant pro libito morem suum — *sacerdotes* quoque *coniugati* licite audiant confessiones — epi graeci 7 ordines romano more posthac conferant, cum huc vsque *tres minores* neglexisse dicuntur — cum quoddam peccatum nec in hoc nec in *futuro seculo* remittatur, et Paulus dicat, quod *ignis* probabit, et Graeci credere dicuntur *animas purgari* post mortem (sine *ignis* mentione) et iuuari suffragiis ecclesiae: nos quidem volumus *purgatorium* de caetero apud ipsos nominari, licet dicant ei loco ab ipsorum doctoribus nomen proprium non dari — Hinc perspicimus de rebus parui momenti *Graecos*, qui tanto conatu litigabant, certasse, ignaros multorum capitum et momentorum, quae sub occidentem solem iam diu solebant a peritionibus nec credi nec tolerari. *Alexander* 4 plus studii in eam vnionem collocauit; misso a. 1256 legato ad imperatorem *Theodorum*; repetit papa in litteris suis, quaenam imper. ille *Caloioannes* iam *Innocentio* concesserat, eminentiam rom. sedis; praerogatiuam *appellationis* et recursum liberum Graecorum ad papam, sed eo id praecipue consilio factum, vt imperium

Cpoleos

Cpoleos et patriarchales ſedes *Graecis* redderentur; itaque papa iam hoc negotium diligenter legato commendat, ne quid praeceps faciat; ſed nihil haec legatio profuit, vt facile credimus; nam Graeci principes aduerſus *latinorum* imperium conſilia omnia dirigebant, itaque ſacram communionem non magnopere curarunt. Controuerſiae certe in *Cypro* inſula, inter graecum et latinum archiepiſcopum, a. 1260, Graecis non multum deſiderii et ſpei ſuggerebant; *Alexander* iam ad *quatuor* redegit ſedes graecorum epos, formulam *obedientiae* in romanam eccleſiam praeſcripſit, et Latinis maiorem dedit auctoritatem; tres procurationes latini epi, aepus 5, a Graecis accipiant, vnam quamlibet 30 ſolidor. turon. vel byzantiorum; mortuo graeco aepo deſinit eius nationis metropolitanus; copioſius iſta narrat *Raynaldus* n. 36-50. Atque cum vel *Genuenſes*, odio in *Venetos*, auxilia ſubmiſerint *Michaeli* Palaeologo, a. 1263, qui Cpolin receperat, ſpreto Vrbani 4 legato et anathemate: facile perſpicimus, non obſcurum fuiſſe, his ſtudiis nec Graecos nec papam religionis chriſtianae commoda promotum ire, ſed propriis obſequi conſiliis; itaque nec Galliae nec Hiſpaniae epiſcopi faciles ſe praebuerunt, cum Vrbanus pecuniarum ſubſidia ab iis poſtularet, ad recuperandum imper. Cpolitanum, quod papa dicebat *ſubtractum ab eccleſiae vnitate*, i. papae poteſtati; nec Angliae clerus papae obſecutus fuit. Videtur tamen ipſe *Palaeologus* aut timuiſſe, aut ſtudioſius papam fefelliſſe (vſus certe fuit titulis honorificis); petiit enim vel inter ſuorum armorum felices ſucceſſus *coniunctionem* vtriusque eccleſiae. Papa verboſiſſime reſpondit; exſtat epiſtola apud *Raynaldum*, tantum non ridicula; adeo magnifice de re romana eccleſiaſtica et vnione papa loquitur. *Ianuenſes* negat, filios obedientiae, cum filiis inobedientiae, Graecis, foedus inire licere; miſit autem *Minoritas* cum ſumma auctoritate. Idem papa, vt verbis metum adderet, *crucem* in Graecos praedicari iuſſit, 1264; ſed *Michael* ad papam ſtatim ſcripſit, ſe a *crotonenſi* epo, quem papa miſerat legatum, *latina*

dogma-

dogmata didiciſſe, *conſonare* vtramque eccleſiam; nominat *Silueſtrum*, Damaſum, *Leonem*, Gregorium, Hilar. Ambroſ. Auguſt. Hieron. Fulgentium, quorum expoſitiones conueniant cum graecis doctoribus vetuſtis &c. *Comoediam* et fabulam agi potius, quam rem ſeriam, facile patet. Papa iam deo gratias agit, quod eccleſia in caulam ſic vnam ſub vno paſtore coeat — fatetur tamen ipſe *Raynaldus*, imperatorem ob periculi metum varium ſic ſe geſſiſſe; nihil porro peractum. *Clemens* autem 4. a. 1267, cum *Vrbani* nuntii a Graecis circumuenti fuiſſent in fidei quadam formula, nouam formulam, reiecta illa, ad Palaeologum miſit; ſine verborum ambagibus; de *trinitate* — Chriſti 2 naturis, Spiritu ſ. eccleſia — 7 ſacramentis; *primatus* rom. eccleſ. — iſta omnia non ſunt nouae diſcuſſioni ſubiicienda — ſi Graeci hanc formulam accipiant, tum in *concilio* rem confirmandam. Cum S. *Ludouicus* et *Carolus*, rex Sicil. Graecis metum incuterent, permiſit Michael *fidei cauſſam* S. *Ludouico*, hic ad cardinales miſit, ſede vacante, hi *Rudolpho* legato apoſt. ſedis rei perficiendae auctoritatem impertierunt, ſcripta etiam, ſi forte opus eſſet, *iuramenti* formula; clerici graeci obedientiam *manualem* exhibere iuſſi — Iam *Gregor.* 10. a. 1272 Palaeologum ad concil. *lugdunenſe* inuitabat, ſacra magna ſedulitate vſus; *fidem* prius procurandam, quam lites de imperio; ſimiles litteras et patriarchae *Graeco* miſit; interea vero humanis artibus etiam ſuus locus fuit, ne *Veneti* inducias Graecis renouarent, ſed *Carolum* adiuuarent; contra *Petrus* Aragoniae rex a Graecis magno aere inuitatus, vt *Siciliam* inuaderet; his in conſiliis enim a Graecis vnio dicitur cum latinis expetita et ab his ingenue optata fuiſſe. Nempe indignari legentibus licet ob tam ſedulas ſacras molitiones; hic enim curae cordique fuit dogmatum ſanorum informatio! Si *ſectam* quaeramus *non timentium deum*, facilius in curia *romana* inueniri poterit; noſtra certe ingenua probitas in deum et homines malis tantum exemplis publicis hic adiuuari poteſt, vt audeamus *dogmatum terriculamenta*

menta ipſi excutere. *Palaeologus* aliis litteris papae verba dedit, quas exhibet *Raynaldus* a. 1273. n. 44, etiam de Palaeſtina expugnanda ſcribit, quod non placere papae non poterat. Atque iam 1274 *Graeci* oratores *Lugdunum* veniunt, *contra opinionem quaſi omnium;* nempe ne fidem plane decoquerent, veniebant. Epiſtola imperatoris *formulam fidei* iam repetit, vt eam *Clemens* 4 iuſſerat; *ſeruato* tamen *ſymbolo*, et *retentis ritibus Graecorum*, quibus vtebamur ante ſchiſma, qui non ſunt contra fidem, aut V. et N. Teſtam. nec contra ſ. concilia — ſunt iam iſta parum fida et certa, vt facile patet; inter ipſos autem *Graecos*, cum in ſynodo Cpoli res ageretur, acerbae diſſenſiones ortae; nec obſcurae fuerunt voces: *haereticos* alios dici, et eſſe; alios dici, et non eſſe; alios eſſe, ſed non dici, quorum in numero *Latini* — vid. *Pachymeres* hiſtor. lib. 5 pag. 211 edit. venetae, et *Nicephor.* Gregor. lib. 5. Erant tamen etiam, qui imperatoris conſilio fauerent: metropolita *Epheſius* &c. quorum epiſtolam ad *Gregorium Raynaldus* exhibet; deiecto patriarcha *Ioſepho*, qui concordiae ſe oppoſuit. Iam in eo concilio *Georgius* acropolita recitauit ſacramenti formulam, imperatoris nomine, qua fidei illa formula recipitur. Papa iam ſacra declamatione vtitur in Palaeologum, *filium* in Chriſto; *Andronicum* vero, filium Palaeologi, hortatur, ceterosque epos, vt diligenter darent operam ſchiſmaticis ad eccleſiam transferemus. [Nec minus ſpectaculum fuit illud, quod *Abagae Cani* orator, qui pro occupatione terrae ſanctae adiuuanda, ſuaſu regis Armeniae, *Lugdunum* miſſus fuerat, cum 2 aliis nobilibus Tataris *Lugduni baptizaretur*; *de inſtitutione chriſtiana* nihil narratur, atque ea haud dubie ſatis *curialis* fuit, vt ſolent ſcribere hoc tempore — Communia conſilia politica *Abaga can* cum Europae regibus agitabat, aduerſus Saracenos, qui Palaeſtinam tenebant.] Itaque non opus fuit *rationibus* ad Graecos conuincendos, cui rei praecipue S. *Thomas* a papa deſtinatus fuerat, allaturus *librum contra errores Graecorum*, iuſſu *Vrbani* 4 ſcrip-

ſcriptum; in itinere mortuus fuit *Thomas*, particeps igitur orationum, quas papa ſeſſione 5 pro *Bonauentura* mortuo, (ne forte in purgatorio detineretur eius anima,) et pro cunctis iis fieri iuſſerat, qui *in itinere* ad concilium moriantur. Sic *Graeca* cauſſa ſatis compoſita videbatur; nam et a. 1277 nouos legatos miſit Palaeologus, quia *Iohannes* 21 miſerat ex ordine *Praedicatorum* 2, et 2 epos; epiſtola graeca rhetoricatione non caret; eius indolis eſt et *Andronici* epiſtola; praecipue autem *Iohannis Becci*, ſ. *Vecci* iam ſtudia innoteſcunt, qui cum *ſynodo* Cpolitana litteras Romam miſit, quibus et *primatum* papae et cetera ſic deſcribunt Graeci iſti, vti *Romanis* placebat, *proceſſionem* Spir. ſ.; licet Graeci hi id Latinis non dederint, vt praeſcriptam a *Clemente* et *Gregorio* formulam repetierint, aut ſymbolo *filioque* adiecerint. E *graecis ſcriptoribus* hic addendum, quod *Latini* vix tangunt, *reſtitiſſe Graecos* multos his nouis rebus, ipſum *Becum* antea fuiſſe ex aduerſariis, quem in carcere, poſt perlectos *Nicephori Blemmydae* commentarios, qui ante annos fere 25 ſimiliter pro confirmanda *latinorum* doctrina collegerat teſtimonia; iam, poſt 1273 et ipſum ad *Latinas* partes tranſiiſſe ſcribunt, atque ſic Patriarchae honore auctum. Nec tamen aut *Becus*, *Meleteniotes* et *Metochites*, Adiaconi aulici, *Georgius Cyprius*, aut alii, *cum Latinis* liturgiam celebrabat; vix τῶν φρερεων, (*fratrum* minorum) paucis ſemel in templo Blachernarum ſacra facere licuit; *Niceph. Gregor.* lib. 5, c. 2. Longe copioſius iſta narrat *Geo. Pachymeres* lib. 5 c. 15 ſq. de *filioque* quid ſenſerit *Beccus*; legatos Romam miſſos, ob formidatam *Caroli* expeditionem; itaque, cum clericos premeret Michael, *Xiphilinus*, magnus oeconomus, genua amplexus rogauit: vide, ne, qui externum bellum auertere ſtudes, internum difficilius excites. Nec abſtinuit imperator a violentis adiumentis. — lectus tandem ἀποστολος, ſeu pericopa ex *Actibus*, in Feſto *Petri*, καταθεσις ἁλυσεων, *graece et latine*, ſic et *Euangelium*, ſed iam exauctorato *Ioſepho*, patriarcha. Iam *ſchiſma* deſcribit,

bit, c. 23, quod vel ad *pocula* alterius partis non attingenda pertinuit; nempe praeter *Arſenianum* ſchiſma, (*Arſeniatae* memoriae *Arſenii* patriarchae fauebant,) iam et *Ioſephitae*, qui a *Veccо* abhorrebant; hic quidem ratione ceterae virtutis haud dubie imperatorem multum ſuperauit. Libro 6, 23 *Pachymeres* quorumdam ſapientem vocem non obſcure approbat, licuiſſe forte *de talibus dogmatibus litigare priuatim* eruditis, (ſi quidem tanti ſit;) ſed non introducendas eſſe tales rixas in domum dei. Plurimae ſcriptiones prodebantur aduerſus hanc pacem — ſcripſit itaque et *Veccus* plurima; ſed reprehendit eum *Pachymeres* quaſi minus prudenter egerit; recte; potius *Vecco* faciendum fuiſſe, vt *Latinam* additionem vtcunque molliret et graecis phraſibus accommodaret — in *Damaſceno* quidam προβολευς negarunt genuinum eſſe, παροχευς ſubſtituentes &c. Sed his iam immorari nos non licet, etſi praeclara documenta ad ſapiendum iſta cauſſa continet. *Chronologiam* rerum potiorum a *Pachymere* narratarum, informauit *Poſſinus*, lib. 3 obſeruat. Pachymer. c. 10. Illud autem non tacendum, tot turbas, operasque et ſcriptiones ſine omni vtilitate fuiſſe; ſub *Andronico* enim cuncta conuerſa et reiecta; Vecci in locum *Ioſephus* reſtitutus; quas res *Pachymeres* in hiſtoria *Andronici* libris 6 fuſius narrauit; nec hoc ſeculo paparum ſtudiis locus rurſus factus eſt. Operae non eſt pretium recenſere copioſius, quibus artibus per *Franciſcanos* et *Dominicanos* alias orientales ſocietates, e *Iacobitis* et *Neſtorianis*, romani pontifices ad latinas partes pertrahere tentauerint; caruit enim et ille labor fructu ſtabili.

CAP.

CAP. IV.

De ſtatu eruditionis et ſcriptoribus.

1. Sub occidente ſole.

Eruditionis lumen non exiguum per *orbem latinum* hoc ſeculo ſuccreuiſſe, facile perſpicitur vel ex iſtis libere ſentiendi documentis atque exemplis, quae antea recenſuimus; nec enim exiguam fuiſſe oportet vim ingenii et pectoris virtutem, quae tot impedimenta et tot calamitates ſuperare auſa ſit; licet paparum mala conſilia per *inquiſitionis atrox officium* et plebis ſacra illa ſuperſtitio vel ferrum et ignem obiiceret. Primae partes omnino *philoſophiae* exercitiis et miniſteriis debentur; *Ariſtotelis* enim libros partim *graecos* partim *arabicos* illae cruciferorum expeditiones in noſtrum orbem intulerant; e quibus libris iam magiſtri multi vel crudos quaſi cibos malebant congerere, atque ingenii vſum aliquem ea ratione experiri, quam anilibus fabulis obſequi, quibus religionis publicae priuataeque indoles infecta et corrupta fuit. Ipſe *Fridericus* 2, *Ariſtotelis* libros *latine* transferri iuſſit, *Neapoli* etiam, vt antea *Patauii*, et poſtea *Viennae*, inſtituit *ſtudium* litterarum; forte, vt *Bononienſibus* aegre faceret, ſed ea ratione philoſophia et rerum naturalium cognitio non parum promota fuit. *Priuilegia* dedit: vt in qualibet facultate *Neapoli* iam doctores et magiſtri non deſint; *ſcholaribus* ſit omnino ſecuritas, *hoſpitium* vero, quod melius in ciuitate fuerit, pro annua penſione 2 vnciarum auri locetur, nec vltra eius aeſtimatio aſcendat; de iſto vero pretio 2 ciues et 2 ſcholares iudicent; mutuum ſcholaribus fiat, vt eis neceſſe fuerit, vel ſine pignore, ſi fideiuſſores ſint, et ſcholaris iurauerit, ſe non de terra receſſurum, ante ſolutionem; omnes ſcholares vtantur *ſuo foro* doctorum et magiſtrorum. Nemo autem auſit extra regnum ſtudiorum cauſa verſari &c. vide *Bulaeum* tomo 3. pag. 116 ſeq.; e quo commentario de ſta-

tu eruditionis *Parisiensi* in academia copiose narratur; a. 1250 Rob. de *Sorbona* instituit collegium illud Theologicum, quod eius nomine solet adhuc insigniri. De *Oxoniensi*, in *Woodii* antiquit. *oxon.* Tomo 1. Nec *honores* et tituli defuerunt academiis; quam causam et Herm. *Conringius* et Ioh. Chr. *Itter* tractarunt. *Philosophiam*, quia dubitandi et refellendi occasionem facilem suggerebat, quam clerici imperitiores et papa ipse commode auertere non poterant, mandatis publicis et interdictis opprimere conati sunt; sed parum profecerunt; *Scholastici* tamen iam plerique his etiam armis, statum religionis publicae defendere ausi sunt, sic quidem, vt, nisi auctoritas illa ecclesiastica Episcoporum et Inquisitorum rem praecipue adiuuisset, parum, vel innumeris commentariis, procurari potuisset. Atque cum translationes *Aristotelis* et *Auerrois*, qui eum quasi diuinum scriptorem collaudabat, latinae parum fidae essent atque vtiles, *Thomae Aquinatis* cura *dominicanus* aliquis nouam interpretationem librorum Aristotelis quandam scripsit. Nec negari potest, fuisse inter *Dominicanos* praecipue, qui *graece* et *arabice* satis periti essent, pro temporis illius ratione, quia aduersus *Graecos*, *Muhammedanos*que istorum opera soleret praecipue aduocari; qua de re et *Antonii bibliotheca hispanica*, *Echardi* commentarii de scriptoribus *Dominicanis*; et *Colomesius* in *Hispania* et in *Gallia* orientali, copiosius exponunt. Fuit nec *Franciscanorum* societas plane aliena ab his studiis, quorum labores in missionibus sacris non sunt obscuri. *Rabbinici* etiam scriptores et *Talmudici* attingebantur, praecipue a Dominicanis in *Hispania*; quod vel *Raymundi Martini Pugio fidei* satis declarat. Praeter ista exercendi ingenii adiumenta etiam *sacra scriptura* hic ibi in consilium fuit adhibita. *Dominicanorum* certe studiis *correctorium* bibliorum latinorum collectum fuit, magistri ordinis *Iordani*, et *Hugonis*, de S. *Caro*, auspiciis; hic *Hugo* et quidam alii, etiam *concordantias* congesserunt; nec *biblici* aut *textuales* expositores omnino defuerunt, licet numero

mero pauciores fuerint. *Robertus Capito*, ſeu *Groſthead*, lincoln. epus ab a. 1235-1253, verſionibus latinis non contentus, linguarum graece et hebraice ſe praefidiis inſtruxit; earumdem linguarum ſcientia ſe ornauit *Rogerius Baconus*, ſeculi ſtupor; particulam ſcriptionis ad *Clementem* papam, de *linguarum ſtudiis eorumque neceſſitate*, et *vulgatae latinae erroribus*, exhibet *Hody*, de textibus bibliorum original. pag. 419 ſeqq. — ignorant linguas alienas, a quibus tota *philoſophia* et *Theologia* procedit; nec textum poſſunt intelligere, nec expoſitiones auctorum ſcire, quia mixta ſunt omnia *graeco*, *hebraeo* et *arabico* — in ſententia *Magiſtrali*, (e libro ſententiarum) eſt tota gloria Theologorum; qui (liber ſentent.) facit onus vnius equi, (ſcil. cum commentariis,) — bacalarius, qui legit *textum*, ſuccumbit lectori ſententiarum Pariſiis; hic habet principalem horam legendi, habet et ſocium et cameram apud religioſos. *Sed qui legit bibliam*, caret his, et mendicat horam legendi — *textus* ſubiicitur ſententiae magiſtrali — impoſſibile eſt, quod ſciatur *textus dei*, propter abuſum libri ſententiarum — *Textus* eſt *pro maiori parte corruptus horribiliter in exemplari vulgato*, hoc eſt pariſienſi — quot ſunt lectores, tot ſunt *correctores* ſeu *corruptores* e. c. marci 5, non dicitur, qui me *confeſſus* fuerit; debet eſſe, qui me fuerit *confuſus* — ergo exemplar *pariſinum* debet cedere *antiquis* — *graecum*, ad quod recurrendum eſſe dicunt Auguſtinus et Hieronymus, habet verbum, quod eſt *confundere*, *erubeſcere* — ſic et in *canonibus* Euſebii exſtat — circa 40 annos ſunt multi theologi infiniti et ſtationarii pariſiis — qui cum illiterati ſint, non cogitantes de *veritate textus ſacri*, propoſuerunt exemplaria vitioſa, et ſcriptores infiniti addiderunt ad corruptionem multas mutationes; *noui Theologi* non habuerunt poſſe, examinandi exemplaria, et crediderunt ſtationariis a principio — iam maxime 2 ordines *inceperunt corrigere* — *Origenes* non in opere ſuo, ſed alieno, *aſteriſcis et obelis* vſus fuit ad correctionem των 70.

— poſt multa de *translationibus: Beda* in ſecunda expoſitione *in actus*: — *graecum exemplar falſatum fuiſſe*, ſuſpicari non audeo — pag. 428 ex epiſtola quadam *Baconi* recitat *Hodius*, e cap. 31 de ſtudio ling. hebraeae et graecae: pro maiori parte textus *corruptus* eſt in *exemplari vulgato* — lector quilibet in *ordine minorum* corrigit, vt vult; ſimiliter fit apud *Praedicatores*; ſunt iam 20 anni et plures, quod praeſumſerunt facere *correcturam*, et redegerunt eam in ſcriptis, poſtea fecerunt aliam, ad reprobationem illius — Oportet quod homo ſciat *graecum* et *hebraicum* ſufficienter, et bene grammaticam Latinorum in libris Priſciani. Pag. 430, Stephanus *Langton*, rector pariſ. poſtea aep. cantuar. omnes *bibliorum* libros diſtinxit *in capita*, quibus adhuc vtitur eccleſia; obiit 1228. *Hugo carenſis* varias translationes alicubi excitat; *Thomas*, aquinas in *catena*, 2 Cor. 3, lect. 2, aſſerit faciem Moſis *melius* dici *ſplendidam*, quam *cornutam*. *Raymundus* Martini, in prooemio *Pugionis* ad translationes alias, ſed multo magis ad *ipſum hebraicum textum* prouocat. *Nicolaus Lyranus*, in prologo ſecundo commentarii a. 1293 inchoati, monet ad *textum hebraicum* recurrendum eſſe: exceptis quibusdam locis de *diuinitate* Chriſti, quae in hebraicis ſui temporis exemplaribus exſtent in *punctatione corrupta* — Iſta omnino lectu digna ſunt, atque ad *hiſtoriam ſtudiorum* ſacrorum maxime pertinent. Fuerunt ergo, praeter ſic dictos haereticos, (et auctores translationum popularium,) qui inuenuſtam theologiae publicae rationem ad caſtitatem ſacrae ſcripturae reuocare auſi ſunt. Alias huius *Baconi* ſententias, aduerſus libros *Ariſtotelis*, tam male translatos, ex epiſtola quadam deſcripſit Sam. *Iebbius*, in praefatione ad *opus Maius* Rogerii *Baconi*, Londini 1733 editum. Solent autem ſemper pauciores eſſe et rari, qui liberali ingenio vtuntur, quod vel noſtra adhuc aetate experimur; itaque mirum non eſt, τες πολλες fuiſſe fere ineptis ſtudiis et ſedulis deditos, alienos a caſtitate illa ingenii, quam *Baconus* et quidam alii ſequi audebant.

Mira-

Mira enim illa veriuerbia, quibus operam dat c. c. *Iacobus* ille Genuensis, auctor *Historiae Lombardicae*, seu legendae aureae, peruersum et horridum linguarum studium, aucupandi graeca et hebraica fragmenta, satis produnt; eruditionis tamen pars magna sic comparata videbatur. *Mathematicarum* artium sunt hic ibi non obscura vestigia; vel illae *tabulae astronomicae*, quae *Alfonso* X, regi Castellae et Legionis debentur, insignem talium rerum peritiam prae se ferunt. Non negligendum nobis hic est et illud, *Innocentium* 4. 1248 dedisse veniam, *slauonicis litteris* vtendi in *officio ecclesiastico;* diploma exstat apud *Raynaldum*, num. 52 illius anni.

Scriptores latini.

Praecipuos tantum scriptores nominabimus, cum nec *Caue*, et *Oudinus* scriptiones auctoresque omnes recensere operae pretium duxerint, qui tamen eius generis catalogum informarant, quem nobis non proposuimus. Ad *Theologicos* pertinent, *Guilielmus*, e theologo paris. epus Antissiodor. scripsi. commentar. in libros 4 sententiarum; idem haud dubie cum Guil. de *Seligniaco* licet *Caue* distinguat; hunc in loco de sacramentis primum *materiam* et *formam* designasse quidam tradunt, quod non affirmarim. S. *Francisci* opera 1641 paris. cum Antonio de Padua, et postea *Lugduni* prodierunt. *Alexander Neckam*, anglus, in biblia collegit scriptiones; e libro quodam locum Ioh. 6, de *manducatione* Christi *spirituali* descripsit *Caue;* manducare, est delectari Christo, fide, operibus et in amore Christi — *Simon*, tornacensis, magister paris. scripsit quaestiones in sententias; institut. in sacram paginam; in symbolum *Athanasii*, in *Boethium* de trinitate. *Antonius* de Padua, quem primum e Franciscanis putant theologiae professorem, praeter *sermones*, iam seculo 16 editos, reliquit mysticam expositionem SS. et concordantiarum moralium libros 5; talibus carere poteramus. *Gregorii* 9 opera cum *Pamelii* notis 1572 antwerp. sed plures *epistolae* postea lucem

viderunt, etiam expositio confessionis fidei Latinorum ad Germanum Cpolit. *Guilielmi*, aruerni, paris. epi *opera* Venetiis 1591 fol de sacramentis; et multa moralia tractat; auctiora edidit *Ferronius* Aureliae 1674. 2 fol. hic de trinitate et attributis diuinis, cum aliis, accesserunt; *sermones* etiam multi, aliquoties excusi, sed minus certum, an sint huius scriptoris; vid. si tanti sit, *Oudinus*, tomo 3 pag. 102, qui commentar. in *Matthaeum* ei vindicat, qui inter *Anselmi* cantuar. opera habetur. *Alexander* de *Hales*, *(irrefragabilis)* inter Franciscanos celeberrimus, ob *summam theologiae*, quae saepius excusa est; destructorium, seu *summa vitiorum*, (e qua Vincentius multa in speculum suum transtulit,) non esse dicitur auctoris huius sed alius. *Commentaria* in Aristot. de anima; sed in *metaphysicam* est auctoris sec. 14. *Commentarii* in Psalmos, sunt *Hugonis* de S. Caro, cui et in *prophetas* et alios libros potius tribuendi videntur, quam huic scriptori. *Roberti Capitonis* lincoln. epi memoriam Anton. *Wood*, et *Oudinus* tomo 3 p. 138 dissertatione singulari illustrarunt; scripsit commentar. in *posteriores* analytic. in libros *physicorum*; in libros *Dionysii* areopagitae; de *articulis fidei*, coniugio, 10 praeceptis; moralitates in 4 Euangelia; testamentum 12 patriarcharum, adiutore *Nicolao* graeco, abbate S. Albani, *latine* transtulit; et plura alia scripsit; quorum catalogus e *Baleo* additus est editioni libelli de *cessatione legalium* Londini 1658. 8. (accuratiorem catal. dedit *Wharton* in Anglia sacra.) Ipsa tractatio suae sententiae pag. 66 demum incipit; more scholastico. — ad probandum hominis obedientiam congruebat praeceptum in re indifferenti — primus angelus apostata appetiit diuinitatem — homo fortissime tentatus fuit, diuinitatis appetitione —, nec potuit diabolus per os alterius animalis tam astute decepisse, quam per os serpentis; iam congruebant praecepta positiua — sic scholastica tractatio pergit, quae nobis hodie fere inutilis est. *Innocentii* 4 commentarii in decretalium 5 libros aliquoties excusi fuerunt; aliae multae epistolae, quibus huius

secu

seculi historia non parum illustratur, in conciliis, apud *Raynaldum*, *Waddingum* &c. *Hugo* de S. *Caro*, *Cpolin* a papa ob vnionem missus, redux *Prouincialis* dominicanorum factus est; 1245 vero Cardinalis; *festum corporis Christi* instituit; eius *Postilla* in 7 tomis saepius edita, in totum V. et N. T. iuxta sensum quadruplicem; collegit et *concordantiam* latinorum bibliorum pro vocibus declinabilibus; postea et *indeclinabiles* alii addiderunt. *Guilielmi* de S. *Amore* opera Constantiae (Parisiis) 1632. 4 prodierunt; librum de periculis nouissimorum temporum Eduard *Browne* adiecit *Fasciculo* rerum expetendarum et fugiendarum. *Reinerius Sachonus*, placentinus, qui a *Waldensibus* transiit ad romana sacra, gesto inquisitoris munere satis notus; eius liber aduersus *Waldenses* saepius excusus est; summam de *Catharis* et *Leonistis Martene* exhibuit copiosius, anecdot. tomo 5. *Alexandri* 4 epistolae et constitutiones multae e *Waddingii* annalibus, *Bullario* romano, *Rymeri* foederibus, *Martenio* colligendae sunt. *Thomae* aquinatis, (quem *angelicum* nominant) historiam et scripta omnia exponere operae omnino pretium esset; sed in hac breuitate ad Natal. *Alexandrum*, *Quetif*, acta SS. d. 7 Martii, *Oudinum* tomo 3 (qui dissertationem 26 capitum congessit,) ablegamus; expositiones in *Aristotelem*; commentarii in libros sententiarum; quaestiones, *summa* cathol. fidei contra Gentiles; summa theologiae, partibus 3, de qua copiosius exponit *Oudinus*; expositiones in varios libros SS. equibus illa *Catena* aurea in 4 Euangelia eminet, in *editionibus* fere interpolata, vt R. *Simon* obseruauit; plurima alia *opuscula* theol. et moralia. *Opera* omnia *Romae* primum 1570, iussu Pii 5 prodierunt tomis 18; inde *Venetiis* 1592. Antwerpiae 1612, additis commentariis in Genesin, Maccabaeos, canonicas, *Apocalypsin*, et *Boethii* consolationem; quae tamen rectius ad alium *Thomam* referuntur. *Parisiensis* alia editio 1660 tomis 23, sed nihil istis vtilior. Hunc auctorem mirum non est papas multis elogiis publicis ornasse; *Pius* 5 eum

a. 1567 *quatuor doctoribus* addidit *quintum*; fabula etiam satis nota, Christum dixisse: *bene de me scripsisti* Thoma; sed et *Petrum* et *Paulum* collocutores atque adiutores scribendi habuit, vt vel *Clemens* 7 ausus est affirmare. *Summa* contra Gentiles, cum 1. 2. et 2. 2 summae theologicae a *Demetrio Cydonio* graece translata; exstant excusa tomo 9 priorum editionum; habentur et aliae particulae graece, de *processione* Spir. s. de *potentia dei* &c. opusculum contra *Graecos* olim magno fuit in pretio. In Thomam *Caietanus* et multi alii scripserunt commentarios; diligentiam et laboris patientiam *Thomas* facile probabit omnibus; sed vtilitatis perpetuae et stabilis parum ex tot numero scriptis potest repeti, licet iis ad historiam dogmatum publicorum maxime opus sit. Historiae et linguae graecae liberalisque doctrinae fere expers fuit; itaque et non raro *Cyrilli* alex. vtitur testimoniis, (e thesauro) falsis, quae numquam *Cyrillum* habuerunt auctorem, siue ipse *Thomas* sciens et volens haec sibi suggeri a graeculis romanis passus sit, siue impositum ipsi fuerit. Haud scio an sit operae pretium e *Thoma* nos repetere melioris doctrinae documenta, cuius generis librum conscripsit, *Dorscheus*, *Thomas* aquinas *veritatis euangel. confessor*; locus enim sat amplus patet scholasticis multis effugiis. *Bonauentura*, graecis *Eustachius*, Seraphicus doctor, famam vix Thomae illa minorem nactus est; homo plebi ducendae deditissimus, quam et noua in *Mariam* superstitione et *confraternitatibus* Laicorum eximie commouit; *Lugduni* 1274 mortuus, concilii tempore, exsequias honorificentissimas habuit. De scriptis eius longae tractationi locus esset; censuram satis iustam protulit *Oudinus* tomo 3, qui dissertationem conscripsit capitibus 16; editio operum Romae 1596 tomis 7 constat; cum editio *argentinensis* 1495 tomos tantum 2 opusculorum contineat; dubia multa iam sunt opuscula, vt praeiuit *Oudinus*, non sine ratione; praecipue ineptiae multae non desunt, vel in verbis diminutiuis, superlatiuis &c. vt eo feruentior pietatis sensus excitaretur,

ad

ad homines plebeios; pleraeque ſcriptiones ſunt huius ingenii. *Ioh.* Gualenſis, ſeu Wallenſis, eiusdem ordinis Franciſcani, collectio epiſtol. decretalium, eam cum 3 aliis collectionibus edidit Ant. *Auguſtinus;* de 4 virtutibus cardinalibus antiquorum philoſophorum et principum; de philoſophiae dignitate et abuſu &c. *Albertus* Magnus, cuius Maria ſtuporem abſtulit, et ingenii felicitatem ſuffecit; prouincialis per Germaniam, ratisponenſis poſtea epus, eius opera partim *dialectica*, partim *phyſica* et *metaphyſica*, partim *exegetica*, *dogmatica* (in 4 ſententias; ſumma theologiae; ſumma de creaturis;) in *dionyſium* areopagitam; Mariale, biblia Mariana, et alia, quae minus certo ad eum referuntur; opera omnia tomis 21 Lugduni 1651 prodierunt. *Clementis* 4 epiſtolae et conſtitutiones multae habentur; collectionem earum fieri operae haud dubie pretium eſſet. *Innocentii* 5, antea Petri de Tarentaſia, commentarius in 4 libros ſententiarum 1652 Toloſae; plura ſatis copioſa ſcripta *Altamura* et *Quetif* recenſent, in bibliotheca *dominicanorum* ſcriptorum. *Iohannis* 21, (*Petrus* Hiſpanus antea) illae *ſummulae* logicales, ſeu tractatus logicales, olim in magno vſu fuerunt. *Iohannes Peckam*, aep. cantuar. ab a. 1278; papae 4000 marcas ſoluere coactus. In lucem prodierunt eius collectanea bibliorum; *conſtitutiones* 47, de trinitate, vnctione, ſacramentis &c. in *Prouinciali* Lindwodi; liber etiam de *trinitate; inedita* alia plura recenſentur. *Rogerius Baconus*, apud *Clementem* 4 Magiae cauſſa accuſatus, ex ordine Franciſci. Praeter alia philoſoph. et chemica, liber de ſitu orbis, compendium ſtudii theol. libris 5; de *ſpeculis ardentibus*, de vtilitate ſcientiarum, *grammatica*, deſignantur; opus *maius*, ſeu *Rogerina Maior* prodiit cura Sam. *Iebbii* 1733 fol. *Raymundus Martini*, *pugionem fidei* ſcripſit 3 partibus, e quibus *Porchetus* Saluaticus ſublegit *Victoriam aduerſus Iudaeos*, vt ex *Porcheto Petrus Galatinus* libros de *arcanis* cathol. veritatis. Optima editio *Pugionis* per Bened. *Carpzouium* 1687 fol. lipſ. *Edzardi*

nouas notas dedit *Wolfius* in biblioth. Hebraica tomo 4. *disputationem* inter R. Nachmanidem &c. habet *Wagenseil* in *telis igneis* satanae. *Henricus* Goethals, Gandauensis, seu Mudanus, parisiensis doctor sollennis, scripsit *summam* theol. *quodlibeta* theol. et de scriptoribus, post *Sigebertum* gemblac. *Augustinus* Triumphus, scripsit *summam* de potestate ecclesiastica, ad Iohan. 22. in orationem domin. aue Maria, canticum deiparae &c. plura habentur inedita. *Iohannes* parisiensis, dominic. scripsit de regia potestate et papali, contra Bonifac. 8. (in *Goldasti* monarch. tomo 2.) *de modo exsistendi* corpus Christi in sacramento; (vid. pag. *Allix* edidit) correctorium contra corruptorium *Thomae*, et alia; de quibus copiosius *Oudin* in dissertatione de doctrina et scriptis eius, tom. 3. pag. 634. *Iacobus* de Viragine, (vulgo Voragine) aep. Genuensis, e *Gibellinorum* parte, auctor historiae *lombardicae*, et *sermonum* multorum. *Richardus* de mediauilla, ex ordine *Minorum*, auctor quaestionum in 4 libros sententiarum, et 8 quodlibetorum theol. quae opuscula aliquoties excusa sunt, in magno olim honore habita. *Bonifacii* 8 epistolae plures habentur; etiam bulla, de *indulgentiis anni iubilaei*; de priuilegiis doctorum et studentium; idem *sextum decretalium* librum compilari iussit, qui non vbique receptus fuit. *Aegidius* de *Columna*, ordin. *augustiniani*, ab a. 1294 aep. bituricensis, scripsit in 4 libros sententiar. plura in *Aristotelem*, multa *theologica*, de peccato originali; de sacramento corporis Christi, de *regimine principum*, quos libros vel Natal. *Alexander* adhuc *Thomae* tribuit; recte vero *Oudinus* huic; de potestate regia et pontificia (in *Goldasti* monarchia) defensorium seu correctorium librorum Thomae contra Thomaemastigem aliquem, alii *Iohanni* parisiensi tribuunt. *Odo* Rigaldus, seu *Reginaldus*, aep. rothomag. ordin. minorum, multa scripsit inedita; in libros Mosis, Psalmos, Euangelia, sermones; et in libros 4 sententiarum, e quo partem excitat *Oudinus* pag. 450 illam: si Maria *fine originali*

ginali peccato concepta fuiſſet, derogaret Chriſto, cuius priuilegium eſt, vt ſolus ipſe ſit ſine peccato conceptus. Ideo non eſt honor hic virgini tribuendus. *Guilielmus*, ex Iudaeo, per aep. Guil. biturienſem huius eccleſiae diaconus, ſcripſit bellum domini *contra Iudaeos*, per allegorias librorum V. et N. T. libris 2; cum confeſſione de *corpore et ſanguine* Domini; ſolus *Oudinus* meminit huius ſcriptoris. Sed iam ablegamus ad aliorum copioſiores libros; de *eruditis* facile catalogus illuſtrium academicorum pariſienſium, huius ſeculi, euolui poterit apud *Bulaeum*; alii apud *Waddingum*, *Quetif* &c. longo enim adhuc opus eſſet catalogo, ſi ſcriptores dogmaticos, morales, myſticos, ſeu aſceticos, omnes recenſere vellemus. Ex *hiſtoricis* paucos nobiliores nominamus, omiſſis *chronicis* tam multis et *vitis ſanctorum*; iſtas facile in corpore *Dacherii*, *Martenii* theſauro nouo anecdotorum, aliisque rerum *anglicanarum*, *germanicarum* etc. collectionibus reperire licet, ne *bibliothecas hiſtoricas* exſcribamus. Epiſtola *Henrici*, imperatoris Conpolitani, de victoriis infidelium &c. exſtat in *ampliſſima* collectione tom. 1 pag. 1073. *Rodericus* Ximenius, aep. toletan. ab a. 1208 ſcripſit *Hiſtoriae hiſpanicae* libros 9; *Oſtrogothorum*, *Hunnorum*, Vandalorum, Arabum (auctior in editione Elmacini per Erpenium, 1625. 4.) Romanorum; habentur in *Hiſpania* illuſtrata. *Arnoldus*, lubec. abbas *Helmoldum* continuauit; (in *Leibnitii* corpore rerum brunſuic. tomo 2.) *Geruaſius* tilberienſis, Henrici 2 regis nepos, *otia imperialia* ſcripſit; exſtant apud *Leibnitium* nominatum. *Robertus* de monte, ſeu de Torinneio, continuauit *Sigeb.* gemblac. chronicon, ab a. 1112-1210, nempe non ſolus, ſed praeter eum alii porro; alia etiam opuſcula adiecit *Dacherius*, ad *Guiberti* opera. *Willibrandi* ab *Oldenburg* itinerarium terrae ſanctae exſtat in *Allatii* ſymmictis, (etiam in edit. corporis *byzantini* veneta.) *Petri*, vallis ſarnenſis ex ordine ciſtert. monachi, hiſtoriam *albigenſium* et belli in eos ſacri, iam aliquoties excitauimus; aduerſus Albi-

gen-

genſes ſcripſit etiam *Lucas* legion libros 3. *Helinandi*, monachi, chronicon olim ſatis celebratum, ex quarta et poſteriori tantum parte edi operae pretium recte viſum fuit; in bibliotheca ciſtertienſi exſtat. *Conradi*, a Lichtenau, *chronicon*, vrſpergenſe dici ſolitum, (e pluribus aliis congeſtum) ſaepius editum eſt. *Iacobus* de *Vitriaco*, a. 1244 mortuus, *hiſtoriae* orientalis et occidentalis auctor, libris 3; omiſſo 2, (occidentalium) exſtat in Bongarſio; eius et *ſermones*, commentar. in libros *ſententiarum*, et in 4 Euangelia recenſentur. *Caeſarius*, monach. heiſterbacenſis, ſcripſit libros ſeu dialogos 12 de miraculis et viſionibus ſui temporis, opus nugarum et naeniarum ſanctarum; *homilias* per totum annum; vitam *Engelberti*, aepi colon. *Rigordus*, S. dionyſii monach. ſcripſit annales *Philippi Auguſti*, vt *Guil brito*, armoricus, *Philippidem*, carmine heroico. *Thomae*, dalmatae, hiſtoriam Salonitanam *Lucius* commentario ſuo de regno Dalmatiae et Croatiae adiecit. *Petrus* de Vineis, *Friderici* 2 adminiſter rei publicae, plures ſcripſit *epiſtolas* hiſtoricas; libri 6 editi, nec omnes eius ſunt, (quaedam enim ſeriores) nec omnes complectuntur. *Matthaeus Paris* (eſt familiae nomen) anglus, ſatis notus auctor ob liberam narrationem, qua vtitur aduerſus papas non ſolum ſed et alios; *Oudinus* omnem illam partem maioris hiſtoriae, vsque ad a. 1235, (quae eſt operis a mundo ad Chriſtum, exinde ad ſeculum 11, pars tertia) eſſe *Rogerii* de *Wendouera*, omiſſis et mutatis quibusdam, vehementius notauit; rem viderunt iam alii. Inde ab a. 1066 ſeu *tertia* pars proprie dicitur *hiſtoria maior*; *Paris* ipſe ſcripſit ab a. 1235 ad 1259. Hiſtoria *minor* eſt tantum epitome *huius maioris*. Sequuntur *additamenta*; vitae 2 *Offarum* regum; deſcriptio mundi, ſeu rudis tabula geographica. Editio prima londini 1571, auctior 1640. 1684 per Wilh. *Wats*; exſtat etiam pariſ. 1644. Carere non licet his adiumentis; tanta ineſt copia rerum vtilium. *Alberici*, *trium fontium* monachi, chronicon edidit *Leibnitius* in *acceſſionibus* tomo 2; variantes lectio-

nes

nes e codice *Menckenii* exſtant tomo 1; rerum germanic. *Menckenii* pag. 38-90, ſaepe vtiles. *Vincentius*, bellouac. ex ordine *dominic* collegit *ſpeculum hiſtoricum* vsque ad a. 1254. *naturale*, *morale*, *doctrinale*; ſaepius edita ſunt. *Martinus* polonus, e nobilibus *Strempis*, dominicanus, poenitentiarius papae; eius *Chronicon* ad a. 1277 ſaepius excuſum eſt, cuius *MSSta* non parum abeunt ab excuſis, non ſolum in iſta fabula de *Iohanne*, muliere, de qua re *Lambecius* in bibliotheca vindobon. et alii, licet tanti vix ſit, pluribus tractarunt. Tabula *Martiniana* ſeu Margarita Decreti, aliquoties excuſa, etiam *ſermones*. *Brocardi*, ſeu *Burcardi*, alemanni, deſcriptio terrae ſanctae (in ea 1283 fuit) ſaepius edita eſt; hodie parui vſus. *Engelberti*, abbatis admontenſis, liber de ortu, progreſſu et fine imperii romani; et *carmen* in coronationem *Rudolfi* Habſpurgici, aliquoties typis exiit; plura *theologica* illius edidit *Pezius* tam in bibliotheca aſcetica, quam theſauro nouiſſimo anecdotor. Ad *iuris diſciplinam* pertinent, *Landulfi* de Columna, carnotenſis canonici, tractatus de *translatione* imperii Graeci ad Latinos, exſtat ap. *Goldaſtum* Monarch. tomo 2, qui eum in hoc ſeculum retulit; *Oudinus* eum in ſec. 14 ponit. Idem auctor, *hiſtoriae miſcellae* adiecit libros a. 17-24; eius commentar. in 4 libros ſententiarum, et *chronicon* habentur in MStis. *Guilielmus Duranti*, quem *Speculatorem* dixerunt, a *ſpeculo iuris* (*pater practicae* etiam dictus) ab a. 1286 fuit epus *mimatenſis* in Gallia aquitan. Illud *ſpeculum*, et *repertorium iuris*, quod fere eſt e ſpeculo, et *Rationale diuinorum officiorum*, libris 8, ſaepius typis exiit; habetur etiam commentarius in canones *concilii Lugdun.* breuiarium *gloſſarum* et textuum iuris canonici. Hic fuit *patruus* alius epi mimatenſis ſec. 14. *Guido*, archid. bonon. ſcripſit in libros 6 *decretalium*, et *roſarium* libris 3. *Henricus* de *Seguſio*, cardinal. et epus *Hoſtienſis*, ſcripſit ſummam vtriusque iuris, quae *aurea* ſolebat dici; etiam in ſex libros *decretalium*. *Ioh. Semeca*, teutonicus, halber-

berſtad. praepoſ. ſcripſit in *decretum* gloſſam communem illam; Clementi 4, cum in militiam ſactam argentum corraderet e Germania et Gallia, *appellationem* ad concilium oppoſuit. *Hugo* de Miromari, archid. magalon. ſcripſit *flores iuris canonici*. *Bartholom.* brixienſis, ad gloſſas Ioh. *Semecae* addidit alias quae excuſae ſunt, cum *apparatu* eius in decretum et decretalium libros 5; opus, *brocardica* in iure canonico et plura alia, habentur in bibliothecis. Contra Papam et malos clericorum mores ſcripſerunt, praeter *Semecam*, Matth. *Paris* et Petrus de *Vineis*, Gualtherus *Mapes*, cuius libellos bonae indolis *Wolfius* in *lectionibus memorabilibus* tomo 1 edidit (ad impios praelatos, malos paſtores, de malis curiae romanae, apocalypſin Goliae pontificis &c.) Robertus *Capito*, (apud Matth. pariſ. a. 1253) *Edmundus Rich*, aep. cantuar. (eius ſupereſt ſpeculum eccleſiae). *Mechtild*, monialis benedictini inſtituti, *germanice* ſcripſit libros 5 ſpecialis gratiae, qui latine translati aliquoties excuſi ſunt; *Caue* hanc recte hoc ſeculo, alii ſuperiori recenſent; obiit enim ante ſororem *Gertrudem*, quae 1290 mortua fuit, et in ſcriptis ſuis iam de morte *Mechtildis* narrat. Atque operae haud dubie pretium eſſet, germanica in lingua perſcriptos libellos recenſeri ordine temporis accuratiori, inde ab hoc ſeculo. *Poetas* latinos, grammaticos, (quos inter *Eberhardus* bethunienſis, qui et contra *Waldenſes* ſcripſit) omittimus, vt conſilio noſtro minus aptos.

Scriptores graeci.

Status eruditionis inter Graecos non fuit omnino nullus aut deiectus; documento ſunt tot ſcriptores ingenii cultu minime deſtituti, quidam etiam a veterum exemplis non remotiſſimi; de qua re forte poſtea quaedam ſtudioſius dicemus. Infauſtae illae lites et operae, ob vnionem cum Romanis, Graecorum ingeniorum feliciora exercitia non parum auerterunt ad inuenuſta illa certamina theologica. Nos hic *ſcriptorum* nobiliorum nomina recenſebimus. *Demetrius*

metrius Chomatenus, Chomaterus, aep. Bulgariae, scripsit de interdictis gradibus affinitatis; responsiones eius ad Constantin. Cabasilam aepum Dyrrachii, excitauit iam *Baronius* tomo 12 a. 1193. Post initium enim seculi huius papa *Innocentius* Bulgaribus et Blachis eximie fauit, concesso *regio diademate*, postulato tamen iuramento fidei in S. *Petrum*. *Nicolai* hydruntini, qui sub Innocentio eodem interpretis officio inter Graecos functus est, *dialogos contra Latinos* excitauit *Allatius* lib. 2 de consensu vtriusque eccles. c. 13. Initium secundi opusculi, κοινωνικον μεν ζωον &c. plane idem est, ac *Georgii* metropol. corcyrensis (*Allatius* de claris Georgiis p. 339) vnde minus certum est esse *Nicolai*. *Nicetas* Maroniae, aepus postea thessalonic. scripsit dialogos contra *Hugonem Aetherianum*, vt *Bessarion* excitat in epistola ad Alexium philanthropenum; meminit et *Pachymeres* libro 6 et 7; atque *Latinis* hic Nicetas non parum concessisse narratur. *Germanus* 2, patriarcha Cpolit. post Manuelem, ab a. 1222, initio a Latinorum sacra societate, vt videtur, non omnino alienus; eius epistolas ex *Matthaeo* parisiensi excerpsimus; scripsit multa, pleraque vero sunt inedita: *homilias* plures; decreta 3 de monasteriis patriarchalibus, (in Iure graecoromano Leunclauii libro 3.) contra Latinos, de processione Spir. azymo, purgatorio, 3 modis baptismi administrandi; *theoria* seu expositio in liturgiam iam alio in loco nominata fuit; solebat enim huius nominis alii tribui; eam *Simonius* dicit, vt typis edita est, non parum abire a MStis. *Georgius* metropol. corcyrensis, iunior, (senior superiori seculo) auctor plurium opusculorum contra Latinos; (*Allatius* de claris *Georgiis*). *Manuel* Charitopulus, patriarcha cpolitanus, post *Germanum* 2 sede pulsum, 1240. eius quaedam *decreta* habentur in *Leunclauii* iure gr. rom. lib. 3. et quaedam epistolae sunt adhuc ineditae *Nicephorus Blemmydas*, monachus presbyter, Cpolit. sedem oblatam spreuit; eius supersunt quaedam *orationes*, pro *Latinorum* doctrina, quas *Allatius* in *Graecia orthodoxa* exhibuit;

buit; ex *Allatii* translatione *Raynaldus* adiecit tomo XIII. — *a filio* quidam noluerunt dicere Spiritum ſ. procedere, ſcil. tamquam *a prima* cauſſa; non vero ſimpliciter negare voluerunt. — *procedere* quidam dicunt ſignificare *manifeſtationem* exſiſtentiae (quod recte ſic dicitur, quoties in N. T. ἐκπορεύεται exſtat;) has 2 orationes legere operae eſt pretium, adeo in illa breuitate res multae rectè narrantur et explicantur. In MStis ſuperſunt ſcriptiones quaedam *logicae*, geographia; plura aſcetica; expoſitio in *Pſalterium* et in quaedam cantica; *panegyrici* quidam in ſanctos, χρυσοπολα. Similiter *Pantaleonis*, diaconi Cpolit. tractatus *pro Latinis* exſtat latine translatus in bibliotheca patrum maxima tomo 14; cuius et *ſermones* quidam MSti recenſentur. *Arſenius* Autorianus, poſt reſtituti Germani obitum patriarcha a. 1255 ſcripſit *ſynopſin canonum*, quae habetur in bibliotheca iuris can. veteris *Voellii* et H. *Iuſtelli*. Eius *teſtamentum* edidit *Cotelerius* in veter. *monum.* eccleſiae graecae tomo 2; ob excommunicatum imperatorem *Michaelem* 1265 ſede ſua deiectus, ſucceſſorem habuit *Germanum* 3, aep. adrianopol. latinizantem, et hic *Ioſephum*, monachum montis *Galeſii*; inde *Arſenitae* et *Ioſephitae*; de iſto ſchiſmate pluribus graeci hiſtorici fere omnes agunt. *Theodorus Laſcaris*, iunior (*Ducas*,) patri *Ioanni* Ducae 1255 ſucceſſit; *Latinis*, quod facile credimus, minus ſtudioſus; ſcripſit ipſe (monachus iam, aduerſus epum *Coronenſem*, cuius opera non obſcura fuit ſub *Michaele*) contra proceſſionem *Spiritus ſ.* ex vtroque; ſcripta alia, de virtute, ieiunio, Epitome, encomium ſapientiae, et quorumdam ſanctorum, &c. in bibliothecis variis exſtant. In Anglia eius libri 7 theologiae chriſtianae habentur, ſecundus intercidit; 2 vltimi ſunt contra proceſſ. Spiritus ſ. *Nicephori* 2, patr. cpolitani, (a. 1259 vno anno ſedit) ſupereſt *oneirocriticon*, verſibus iambicis, cuius generis ſcriptio et *Germani* iſtius 2 ſupereſt, e quo hunc ſua fere habuiſſe quidam putant. *Georgius*, acropolita, logotheta Cpolit. vir toga et ſago clariſſimus, cum *Becco*

ad

ad concilium *lugdun.* miſſus vnionis publicae cauſſa. Eius ſupereſt *chronicon* Cpolit. ab initio ſeculi; copioſior eſt editio in corpore *byzantino*, quam *Douzaea.* *Manuel Holobolus;* magnus rhetor cpolit. (iuuentutis eccleſiaſticae poſt iſtum *Georgium* magiſter); quod ſedendi veniam in ſynodo ſub *Andronico* non habuit, cum diſputarent Conſtantinus *Meleteniota* et *Georg Cyprius*, aduerſari vnioni coepit, vid. *Pachymeres* lib. 5. *Lemoine* edidit eius apologiam aduerſus Fr. *Franciſcum*, dominic. tomo 1. var. ſacror. *Verſus politici*, de rerum vanitate, aliique in MStis exſtant. *Iobus* Hieromonachus claruit ſub *Ioſepho* patriarcha, pro quo *Apologiam* ſcripſit, *contra Latinos*; minime papae romano τα πρωτεια concedenda, nec *appellationem*, nec commemorationem in *diptychis*. *Michael* palaeologus, ab a. 1261 poſt *Laſcares* imperator, de cuius rebus geſtis operae eſt pretium *Pachymeris* hiſtoriam legere. Eius plures *Epiſtolae* ob vnionis negotium ad papam miſſae ſuperſunt. Ioh. *Veccus*, celeberrimum nomen, ob procuratam ſub Michaele iſtam *vnionem Graecorum* et *Latinorum*, cui in carere fauere ex aliorum Graecorum ſcriptionibus didicit. Eius plura ſcripta *ad vnionem* facientia *Allatius* edidit tomo 1. et 2. *graeciae orthodoxae*, quae inter ſunt etiam quaedam aduerſus aduerſantes huic cauſſae alios Graecos. Eius *Epigraphas* in collecta patrum teſtimonia, *Gregorius Palamas* aep. theſſal. refutauit *antigraphis*, defendit autem poſtea *Beſſarion*. In eadem *Graecia orthodoxa* et *Conſtantini Meleteniotae* orationes 2 de proceſſione Spir. ſ. habentur, *Georgii Metochitae* &c. atque vel iſto ſeculo 17 *Antonius Arnaldus*, in corpuſculo, de perpetua eccleſ. catholicae fide circa *Eucharistiam* etiam ex iſtis temporibus adiumenta conquirere coepit; inde et *Richardus Simon*, *Renaudot* aliique *Graecos* teſtes excitare ſolent, parum licet locupletes. Idem *Allatius* de hoc *Georgio Metochita* (clericus fuit Cpolit.) multa collegit, eiusque ex ſcriptis varia excerpſit, quae non pauca pro Latinorum cauſſa *Georgius* ediderat;

5 λογοι seu libri de proceſſione Spir. ſancti; Reſponſio ad 3 capita, quae edidit Maximus *Planudes;* etiam contra *Manuelem*, (ὁ τῳ κρητης ἀνεψιος) vtrumque opuſculum edidit *Allatius* ibidem. *Conſtantinus Meleteniota*, quem Beccus (in teſtamento ſuo) filii ſibi loco fuiſſe dicit; *Allatius* exhibet eius tractatus de *vnione* eccleſiaſtica; de *proceſſione* Sp. ſ. E bibliotheca regis Galliarum *Oudinus* commemorat iſto hominis nomine translationem medicamentorum graecam e lingua perſica. *Simonis* alicuius Cpolitani, (quem tamen e gente *cretenſem* dicere liceat,) qui ad *Dominicanos* tranſierit, et a papa ἐρευναν και κρισιν Haereticorum ἐν Ελλαδι impetrauerit, meminit idem *Allatius*; tres ille tractatus de *proceſſione* Spiritus ſ. ſcripſiſſe dicitur; etiam eius *epiſtolam* de conciliis, quae *proceſſionem* Sp. ſ. eſſe *a filio* definierunt, in libro aduerſus *Hottingerum Allatius* excitat; ſed tempus minus certum eſt. *Matthaeus Panaretus*, quaeſtor, protoueſtiarius in aula; eius varia opuſcula (numero 22 dicebantur, ſed 8 tantum in codice) *pro Graecis* contra Latinos recenſuit *Lambecius*, et quidem contra *Thomam* aquinatem de *proceſſione*, *purgatorio*; contra primatum papae; de *Azymis*; etiam contra Ioh. Beccum. *Georgius Cyprius* (quem alii *patriarcham Gregorii* nomine inſigniunt) e latinis parentibus natus, *Vecco* et ſequacibus vehementiſſime ſe oppoſuit, is igitur (apud Allatium) atrociter ſolet in eum inuehere. E multis ſcriptionibus eius optauerat iam *Lambecius* in lucem vt edantur *Epiſtolae* hominis, quae CC numerum excedunt, hiſtorici argumenti; eius quaedam orationes, encomia, typis exierunt, ſed mediocris vſus. Eius *tomus* ſynodalis contra Beccum, ἀντιρρητικον etiam et alia in MStis exſtant. Contra *Georgium* hunc et alios ſchiſmaticos ſcripſit *Iohannes*, metropolita Epheſinus, de *Chila* hoc pluribus videndus *Bandurius* in antiquit. Cpolit. lib. 8. pag. 650 edit. Venetae; eius *epiſtola* exſtat. pag. 657. Scripſit contra ſchiſmaticos graecos; habentur quaedam in vindobonenſi bibliotheca. *Nicephorus Chumnus*

mon-

monachus, reliquit varia opuſcula; *Nathanael* etiam alio nomine, quo confutationem dogmatis Latinorum de proceſſione Spir. ſ. recenſet Leo *Allatius*; *epiſtolae* 172 in bibliotheca regia gallica, alia etiam theologica, philoſophica, moralia. Sub finem ſeculi *Macarium* Chryſocephalum, hieromon. et Philadelphiae aepum ponit *Oudinus*; cuius expoſitio in *Matthaeum*, in 20 capitibus (vltimum, ἐξοδος τȣ λεπρȣ) *Oxonii* exſtat MSta, ſuperſunt et multae orationes encomiaſticae, et expoſitio in canones apoſtolicos, in qua *Simeonem* Metaphraſten dicit ἐπιπνοια ſpiritus ſancti ſcripſiſſe. *Athanaſius*, poſt Georgium Cyprium 1289 Cpolitanus patriarcha; eius aliquot *epiſtolae* editae ſunt, pluribus conſul. *Bandurius* in commentar. in antiq. Cpol libro 8. pag. 962 edit. pariſ. 668 edit. Venetae. hic inſcriptiones epiſtolarum 84. et quaedam ipſius epiſtolae exſtant. Huic *Athanaſio* iſtum in *Pſalmos* commentarium *Oudinus* tribuere volebat, quem *Montfaucon* edidit. *Conſtantinus* acropolita, logotheta Cpolit. *Georgii* iſtius filius, praeter *encomia*, etiam *contra Latinos* ſcripſit. *Georgius Pachymeres*. de ſe ipſe narrat quis fuerit; eius hiſtoria Cpolitana ſub *Michaele* et *Andronico* palaeologis, carere nemo poteſt, qui accuratius hiſtoriae eccleſ. dat operam; nec *Petri Poſſini* additiones et notae ſuo pretio carent; habentur in corpore byzantino. Eiusdem *Pachymeris* exſtat Paraphraſis in *Dionyſium* areopagitam (editio *Corderii* eam habet.) aliae ſcriptiones ſunt philoſophicae, in *Ariſtotelem* praecipue; quaedam *rhetoricae*; de 4 artibus mathematicis &c. ſequens etiam ſeculum attigit *Nicephorus* Calliſti, Xanthopuli filius, auctor ſatis celebris hiſtoriae eccleſiaſticae, licet parum certae auctoritatis et fidei; praeterea *poetica* et epigrammata eius a *Bebelio* edita; catalogus *patriarcharum* Cpol. quem *Bandurius* optime illuſtrauit; *menologium* eius edidit Fabricius. Alia habentur in MStis, commentar. in *Pſalmos*; *Synaxaria* (exſtant in *vindobonenſi* bibl.) quidam *hymni*, vitae aliquae Sanctorum; *rhetorica*. *Andronicus*, Michaelis filius, ob re-

ſciſſam vnionem celeberrimus, contra Io. Veccum ſynodum coegit, et aut ipſe ſcripſit, aut per alios ſcribi curauit; quaedam aliae ſcriptiones, (contra *Iudaeos* diſputationes) videntur eſſe, aut ſerioris auctoris, ſeculo 14, aut Andronici comneni, ſeculi 12. Ex *arabibus* ſcriptoribus *chriſtianis*, Georgius *Macin*, (*Elmacin*) ſatis notus eſt, ſcripta iſta hiſtoria *ſaracenica*, a Muhammedo ad *Atabekorum* initia; *Erpenii* editio, qua duplici vtimur, variis mendis non caret. *Gregorius*, *Barhebraeus*, Iacobitarum celeberrimus praeſul, ſcripſit et ſyriace et arabice multa; de quo plura petenda ex *Aſſemani* bibliotheca orientali, et Abraham Echellenſi. — *Abu Iſaac ben Aſſal*, canones, et conſtitutiones *alexandrinae* eccleſiae collegit; aliquot loca habentur apud Echellenſem et iſtum *Aſſemani*. De *Iudaeorum* fatis quaedam in *tabula* poterunt annotari, quae et *ſcriptores* alios quosdam addet. *Hebed Ieſu*, metropol. Armen. ſeculo finiente floruit.

Tabula ſeculi XIII.

A. Chr. 1201 Hegirae 598. d. 1 Oct. Expeditio gallica in terram ſanctam, verſa in *Iaderam*. *Innocentii* tertii litterae ad Colon. aep. de *translatione imperii de Graecia*, ſpecialiter pro eccleſiae defenſione &c. apud Raynaldum; papa *Ottonem* praefert Philippo. Inter diſſidia *Philippi* et *Ottonis* 4, *Canutus*, rex Daniae Hamburgum, *Waldemarus* frater, *Lubecam* occupat. Homines exſpectant diem iudicii; *epiſtola de caelo* lapſa in monte Golgothae, apud *Rogerium* in annalibus, qui hoc anno finiunt. *Quadrageſima* pars redituum eccleſ. ad terram ſanctam recuperandam imperata; *Pariſius*. *Ordo vallis ſcholarium* oritur; *Bulaeus*.

1202 Hegirae 599. d. 20 Sept. Legatio *Armeniae* regis et *catholici* ad papam; etiam regis Blachorum; *Graecis* ſe ſubduxerat hic *Caloioannes*. *Philippus* rex regi Angliae *Ioanni* diem dicit. *Tatarorum* initia ſub *Gingiſcano* ſolent hoc anno deſignari. Atrox poenitentia a papa illi decernitur, qui epiſcopi catanenſi linguam abſciderat; Raynald. n. 10. *Innocentius* ſcribit S. *Bern-*

A. Chr.

S. *Bernhardi collectam* in missae sacrificio, precibus aepi lugdun. Eidem respondet, de *additione* (mysterium fidei) in rom. missa; multa alia insunt ad historiam *canonis* missae. Papa ad occultandam auaritiam suam ab ordine *ciſtertienſi* pecunias vult extorquere, *Parisiensis*; quem refutatum it *Raynaldus* n. 31. *Alanus de Insulis* moritur; item *Wilhelmus*, abbas Roschildensis in dania; *Fulco* ille praeco; libros 5 *decretalium* a papa iam publice scholis imperatos quidam scribunt.

1203 Hegiræ 600. d. 9 Sept. *Philippus* Sueuus adiuuat *Alexium*, qui Graecos S. *Petro* subiecturum se promiserat. Cpolis a *Venetis* capta; Papae continua studia in *Seruiam* et *Bulgariam* subiiciendam, Raynald. n. 19. 20. Papa refutat litteras falsas, ipsius nomine in *Philippi* fauorem scriptas; n. 25. anathema intentat aepo magdeburgico. Philippus rex Galliae papae internuntium non admittit, negans papae esse, curare res regum; nec obedire papae suos permittit rex Angliae. *Wulstanus* a papa sanctis additur; *hereditariis sacerdotiis* papa se opponit. Papae inepta epistola *de triplici trinitate*, (dei, Christi, sacramenti) cur *Dauid* diem *tertium* non laudauit; 7 primi dies designant 7 tempora &c. Raynald n. 71. Moritur *Guido*, cantor catalaun. *Albertus* vercell. ep. fit patriarcha *hierosol.* quia *Soffredus* cardin. renuit; Graecus autem *Dositheus* fuit.

1204 Hegiræ 601. d. 29 Aug. Cpoli *Balduinus* fit imperator, post atroces turbas; vid. Epistola *Balduini* ad papam, extat in *Arnoldo* lubec. *Gottfridi* annal. &c. *Philippus* plurium fauorem colligit, *Landgrauio* Thur. victo. *Parisiensis* narrat de mirabili *oleo*, quod *ex imagine S. virginis* in Syria defluebat, quod *fratres templi* collegerunt, vt *peregrinis* distribuerent, ad honorem s. virginis. *Bulgaros* papa regiis ornamentis et *pallio* misso in suum obsequium transtulit; *trinouianus* aepus fit *primas* totius Bulgariae et Blachiae; papae longae latinae nugae (dat etiam *monetae ius*) extant apud Raynaldum n. 40 seq. Rex Vngariae legatum a transitu cohibet. *Bohemia* titulo *regio* a papa augetur. *Cruciata* in Liuoniam. *Albigensium* progressus, et

A. Chr.

Waldensium, historie de Languedoc tom. 3 pag. 128 seqq. et *Preuves* pag. 2 seqq. *Ordo coronationis Petri*, regis Aragonum *Romae*, Raynald. n. 71. *Parisiis* academia aduersus *Amalricum* de *Bena* habet comitia.

1205 Hegiræ 602. d. 18 Aug. De diuisione *imperii orientalis* agitur inter *Balduinum* et *Venetos* apud papam; patriarcha ibi *latinus Thomas Maurocenas*. Capto a Bulgaris *Balduino* succedit frater *Henricus*. *Minora* inter Graecos *imperia* oriuntur. Regis *Armeniae* querelae de legato romano; eius pax cum *templariis*. *Adolfus* aep. colon. *Ottone* relicto Philippum amplectitur. *Brunonem* ideo aepo papa opponit. *Ordo militiae* Christi in *Liuonia* institutus. Papa regem Galliae in *haereticos* et *Iudaeos* excitat. *Hubertus* cantuar aepus moritur; in Anglia papae mandata nihili habentur; papa regem *Castellae* a fauore *Iudaeorum* et *Saracenorum* reuocat. *Bononiensis* vniuersitatis reformatio, *Bulaeus* tomo 3. Nascitur *Albertus* magnus. Multae *reliquiae* Cpoli et ex oriente afferuntur. Moritur *Almericus* rex Cypri et Ierusal. Rex Galliae mittit comitem *Brennensem* Iohannem. *Albertus* patriarcha Hieros. *Carmelitis* regulam scripsisse dicitur, seu *renouasse*. *Russi* a *Lesco* polono victi.

1206 Hegiræ 603. d. 8 Aug. Dissidium inter patriarcham Antioch. et Hierosol. ob ecclesiam tyrensem; papa reprehendit patr. Cpolit. qui *Venetos* tantum clericos promouebat. *Didacus* oxon in hisp. epus cum monachis cisterciens. agit contra haereticos *albigenses*; sed obstant terrae domini. In Anglia rusticus aliquis *visiones* de purgatorio, inferno, paradiso, iactat; *Parisius*. Papa frustra christianos suscitat ad ferendum latino imperatori Constantinop. auxilium. *Philippus* Ottonem vincit, atque iam papae bona verba dat. Rex *Daniae* epum Sleswic. *Waldemarum* tandem e carcere dimittit. Narrantur iam *Dominici* quaedam aduersus Haereticos miracula. Initia *Francisci*. Parisiis statutum 4 *nationum* de eligendo rectore; Bulaeus. Aepus narbonensis a legatis papae, qui potestatem nimis ampliabant, clericorum excessus haeresin

A. Chr.

resin dicentes, *appellat ad papam*; hist. de languedoc; t. 3. *preuves* pag. 197.

1207 Hegiræ 604. d. 28 Iul. *Didaci* disputatio coram laicis cum haereticis, qui *Apocalypsin* ad roman. ecclesiam referebant; *de Podio* Laurent. chronic. c 9. *Philippus* rex roman. cum papa reconciliatus, filia, vt quidam narrant, papae nepoti promissa. Papa *Polonos* reprehendit, quod censum Petri in *moneta viliori* soluant. *Venetis* papa iratus, ob raptam Constantinopoli *imaginem* Mariae a *Luca* pictam. Papa numerum theologorum *parisiensium octonarium* sancit, ne multitudine vilescant. *Minores* praedicatores (Franciscani) iam hoc tempore terram repleuerant, habitantes in vrbibus *deni*, *septeni*. Initia *Voigtorum*, seu Praefectorum, qui e ducatu *Meran* diuiso orti sunt, hoc tempore a quibusdam designantur. *Beguinae* in Belgio innotuerunt.

1208 Hegiræ 605. d. 16 Iul. *Philippus* imper. ab *Ottone* Wittelsbachio occiditur; fauet papa Ottoni, contra *Fridericum*; itaque *Otto* Erfurti eligitur; *Constitutio* de electione; iuramentum papae praestitum describit Raynaldus 1209 num. 10. papa regem Galliae aliosque principes in *Albigenses* bello opprimendos excitat; crucem etiam *Raymundus* tolosanus callide sumit; a papa iterum anathematizatus vid. note 13. 15. 16. tome 3 histoire de Languedoc. *Franciscí* studia fuecrescunt inter XI socios. Parisiis collegium *bonorum puerorum* institutum; Bulaeus.

1209 Hegiræ 606. d. 6 Iulii. *Otto* romae coronatus; ritus consecrationis ex ordine romano apud Raynaldum num. 18. sed iam *Otto* iura imperii contra papam defendit. Bellum in *Albigenses* feruet duce *Montfortio*. *Almavici* haeresis iterum damnata parisiensi in synodo, *Bulaeus* pag. 48. Papa confirmat ordinem S. *trinitatis*, de *redemtione captiuorum*. Rex Angliae papae anathemati se fortiter opponit, archidiaconum cappa plumbea indutum enecat; *Alexander* theologus aliquis contra papam sententias acerbas dixit, Matth. paris. hoc anno. ob tumultum *oxonienſem* vrbe excedunt ad 3000 clerici, magistri et scholares, idem.

A. Chr. 1210 Hegiræ 607. d. 25 Iun. Papa anathema in *Ottonem* prodit: ne quis eum imperatorem nominare audeat. *Fridericus*, Henrici 5 fil. electus; idem papa confirmauit *militiam S. Iacobi*, de *Spatha*. *Durandus* de *Oſca* et quidam alii ab *Albigenſibus* ad romanos tranſeunt; *fidei profeſſio* noua exſtat ap. Raynaldum, n. 19 ſeqq. et *Bulaeum* pag. 54, qui et pag. 57 de *Waldenſibus* conuerſis narrat. Papa *templariorum* defendit poſſeſſiones aduerſus Graecos; ſed imperator parum curat. Rex angliae a *Iudaeis* multum auri extorquet; Pariſ. Nondum extincta hoc anno *haereſis* illa pariſina. Floret *Stephanus* anglicus, rector. pariſ. acad.

1211 Hegiræ 608. d. 14 Iun. *Fridericus Siciliae* electiones liberas ſpondet; papa regem *Luſitanum* Sancium monet, ne eccleſiaſtica iura ſibi ſumat. bellum in Toloſanos ferunt; dux *Poloniae* quatuor marcas annuas promittit S. Petro pro tutela ditionis ſuae. Papa regem Angliae regno priuat, quia legatis non paruit. Diſſenſio in *Norwegia* de regno; priuilegium papae de *percuſſione ſcholarium*.

1212 Hegiræ 609. d. 4 Iunii. Bellum in Hiſpania contra Mauros feliciter geritur; *Simon Montfortius* edit 12 conſtitutiones, digeſtas per 12 viros. *Robe tus* legatus papae in Gallia poteſtate ſua abutitur; *Alexandri* de villa dei *doctrinale* (de grammatica, verſus leonini) in lucem editum; moritur *Robertus*, auctor chronici antiſſiodor. moritur et *Helinandus*, *poeta* et hiſtoricus. Papa mittit legatum *Cpolin*, in epiſtola dicit: eccleſia romana eſt illa *ſedes agni*, de qua in Apocalypſi, circa quam 4 animalia &c.

1213 Hegiræ 610. d. 23 Maii. Papae ſtudia pro terra ſancta recuperanda; (vxorum non impedit contradictio, ſi quis velit crucem ſumere,) epiſtola papae inepta ad *Aquitanum*, exſtat apud Raynaldum; figmentum de homine, quem angelus vna nocte e Brabantia in terram ſanctam transtulit et retulit, vt poſſet dux itineris eſſe; ibidem e *Cantipratenſi*. Legatio Cpolin, vt *Graeci* ad latinam eccleſiam traducerentur, per *Pelagium*, alban. epum. Papa per litteras in omnes fere prouincias chriſtianas *concilium* indicit. Iuramentum *Friderici* Raynaldus deſcribit num. 23 ſeqq. Synodus *vaurenſis* con-

A. Chr

contra albigenses; papa iubet regem Aragonum deferere *Tolosanos:* Montfortii filius *Almaricus* creatur per epos facer miles. Pictauiensis epus in sua dioecesi *se papam* esse statuit. Epistola *Innocentii* ad aepum Senonensem, de *Iudaeorum* quorumdam conuersione, quia *hostia* in arca septem libras parisienses *verterat in hostias;* Raynal. n. 68. Papa regem Galliae iubet bellum inferre Anglo, vt epi sedibus reddantur suis, et diuinum officium, quod per 7 annos fere cessarat; rex Iohannes 1000 marcas sterlingorum papae spondet, et iurat; diploma apud *Raynaldum, Bulaeum* &c. Infinita multitudo *puerorum* e Gallia cantillando iter arripit in terram sanctam, *crucis* recuperandae caussa; Paris. et Cantiprat.

1214 Hegiræ 611. d. 12 Maii

Papa *vruce signatos* multos in terram s. mittit; inter eos est *Andreas* rex Hungariae. Turbae nouae in Anglia propter immoderatos *Nicolai*, legati papae, excessus. Concilium *lateranense* oecum. indictum. Moritur *Iohannes* de Cella, anglus, qui *Priscianus, Ouidius, Galenus* haberi solebat, Paris. Victoria Philippi in praelio bouinensi, *Otto* fugatus; (*Ottonis* decretum de bello papae et Gallo inferendo exstat apud *Goldastum* inter constitut. imper. papam forte per *Draconem*, in standardo, innuit Otto.) *Alfonso* regi castellae succedit fil. Hericus; *Guilielmo* Scotiae, fil. *Alexander* 2.

1215 Hegiræ 612. d. 2 Maii.

Concil *Lateranense* epporum supra 400; 71 metropolitan. patriarcha Hierosol. et Cpolitan. pro *reformatione* morum, et terra sancta. Mandatum: vt in cathedrali ecclesia et alia, quae valet, *magister* aliquis assumatur, qui clericos doceat grammaticam; in metropolitana autem *Theologus. Fridericus* aquisgrani coronatus crucem et ipse sumit; *Siciliam Henrico* filio emancipato tradit. *Bulaeus* hic agit de *cancellarii* paris. munere. Papa in Galliam mittit corpus beati *Dionysii* corinthiaci, de Areopagita pronunciare non audet. *Corbeiae* donatur manuale S. *Ansgarii;* et a. 1217 Priorissae in *Tretelshem* donantur 2 *stercora asini illius*, quo Christus vectus est Hierosolymam, quae diuturnitate temporis versa erant in lapi-

A. Chr.

dem; annales corbeienſes. (Notemus religionem foedam!) *Conradi* de *Marpurg*, inquiſitoris, infamem prouinciam Germani experiuntur. *Hermanno* Landgr. Thuring. ſuccedit fil. *Ludouicus* ſanctus.

1216 Hegiræ 613. d. 24 Apr. Legatus papae *Norimbergae* cum *Friderico* agit; alter legatus in Angliam; huius *auaritiam* vehementer ſcriptores tangunt; Pariſius: barathrum romanae auaritiae deſcribit, pag. 234. rebelles Angli regem ſibi Ludouicum gallum crearunt. *Innoc.* 3 moritur; apparet S. *Luitgardi* in flammis, infernum vix per Mariam euaſit &c Thomas cantiprat; ſucceſſit *Honorius* 3, qui *cruciatam* vrget. *Iohanni* in Anglia ſuccedit fil. Henricus. *Dominicus* in viſione *Franciſcum* ſocium adſumſit. Pariſiis quaeſtio agitatur, de *concurſu dei* ad omnes actiones. *Henricus* Cpolit. per *Iolandam* filiam comiti Antiſſiodor. *Petro* imperium relinquit.

1217 Hegiræ 614. d. 10 Apr. Papa coronat *Petrum* Cpolitanum; a Graecis hic paulo poſt capitur; papa regem Hungariae in auxilium ſuſcitat. *Cruceſignati* Meſſana et Genua in Cyprum &c pergunt; papa ſupplicationem inſtituit, nudis pedibus *Petri et Pauli capita geſtans*; etiam in Hiſpania contra Saracenos cruciferi pugnant. In *Sc hgohanſi* vrbe, ſaliſburgenſis aepi monitu, noua *ſedes* epiſcopalis erecta, ob ignorantiam in *Stiriae* partibus verſus Hungariam. *Iacobus* rex Aragoniae Raymundum aduerſus *Montfortium* adiuuat. *Iudaeis* in Hiſpania ſignum adfixum. *Genuenſibus Corſicae* dimidia pars a papa confirmata. *Ferdinandus* rex caſtellae creatur. *Bononiae* floret *Azo*. Dominicani ſeu *Iacobitae*, primum Pariſios veniunt. *Guilielmus*, aep. bituric. canoniſatur.

1218 Hegiræ 615. d. 30 Mar. *Damiatam* oppugnant cruciferi; Comes *Montfortius* moritur, ictu lapidis et ſagittarum; mortuus *Otto* eximperator, apparet moniali materterae, e purgatorio, et rogat, vt 10000 pſalteria pro ipſo legantur, et ad ſingulos pſalmos 100 ictus diſciplinae &c. Cantiprat. Ordo S. *Mariae* de mercede redemtionis captiuorum, per *Mariae* apparitionem, inſtituitur. *Theodorus* Angelus Com-

A. Chr.

Comnenus, Epiri dominus, per epum croton. et *Efrem* eremitam ad romana sacra transfertur. *Florentinorum* legem: ne *clerici* paternam haereditatem adire possint, papa reuellere studet. Papa crucem suadet in *Prutenos* - vt *scholae* prutenorum puerorum instituantur; epistola ad aepum Moguntinum, magdeb. colon. &c. In Galliae prouinciis quibusdam *vicesimam* papa imperat, in terram sanctam et *totosanos*. Papa academiae parisinae *iuris ciuilis* lectiones adimit, quia per ius canonicum possint causae pleraeque finiri; *Bulaeus* pag. 96. *Rudolfus* Habspurg. nascitur.

1219 Hegiræ 616. d. 19 Mar. Papa dat operam, vt stipendia crucesignatis Pelusium oppugnaturis non desint; hic liber *arabicus* repertus prophetiarum; (*Vitriac.* et *Antoninus.*) *Fridericum* etiam vrget. Franciscus, qui *Soldano* aegyptio praedicarat, iam in Italiam redit. *Raynerius* a papa mittitur Antiochiae patriarcha; epistola papae ad Saracenorum principem, vt libera sacra christianis permittat, *Raynaldus* n. 46 sex *Francisceani Marrochium* mittuntur. Fridericus libros *Aristotelis* in bononiensi acad. legi mandat; Reginaldus rex insularum brit. donat *Man* ecclesiae rom.

1220 Hegiræ 617. d. 8 Mart. *Fridericus* romam inuitatur, et coronatur, licet papa antea *capitularia* scripsisset, quibus Fridericus adstringendus esset. Papae legatus in *Daniam*, quae fiduciario iure dicebatur a S. *Petro* pendere; papa regem *Sueciae* Iohannem increpat, ob bona ecclesiastica occupata; denarium Petri et vicesimam ex Anglia et Hispania colligi iubet. Rex Arag. vsus Iudaeis in legatione ad Saracenos, a papa reprehenditur. Papa in regem lusitanum inuehit, ob arrepta iura sacra. Rex Hierosolym. et princeps alius *Antiochiae* apud papam agunt, de suo iure in regnum *Armeniae*. Quinque *Francisceani* in Africa martyres. Primum capitulum *Dominicanorum* Bononiae; vt superiori anno *Franciscanorum*. Rex *Cumanorum* ab aepo strigoniensi dicitur baptizatus esse, inde porro *Dominicani* multum contulerunt operae in *Cumanos*. Milites ordinis *Teutonici* in *Borussiam* veniunt. Con-

A. Chr. 1221 Hegiræ 618. d. 25 Febr. Continua studia colligendorum cruciferorum in terram sanctam; etiam *Fridericus* maxime vrgetur; is igitur quibusdam in litteris pollicetur: iam romani imperii *victrices aquilae* (in plurali) prodiere; dissidia tamen christianorum ibi omnia euertunt. *Robertus*, Petri antissiodor. filius Constantinop. imperator; patriarcha est *Matthaeus*, epus antea equilinus. Episcopus catinensis, qui nec *Grammaticam* nec *Donatum* didicerat, reiectus; (exstat in c. *quamuis*. Ex. de aet. et qualit.) E *Suecia* papa per quinquennium omissum censum repetit; regem reprehendit, quod per annulum et baculum inuestiret, quos vellet. *Albigensium* fautores porro succrescunt ex ordine principum. In Bohemia dissidium continuat inter regem et epum prag. *Dominicani* in *Poloniam* traducti; moritur *Dominicus*. *Bulaeus* narrat de morte aepi Senon Petro de *Corbolio*, qui confitenti 7 annos, inde 3 dies, tandem vnum tantum *pater noster* imposuit, pag. 106. *Theodoro* Lascari in Epiro succ. fil. *Ioh. Ducas*, Vataces

1222 Hegiræ 619. d. 14 Febr. Papa inuitat Fridericum et regem Hierosol. *Veronam* ad colloquium de passagio. *Fridericus* papae mandata non obscure spernit; Bononiense studium *Patauium* transfert. Papa qui ordini *Teutonico* 1220 priuilegia plura dederat, eum defendit contra *Templarios*, ob *mantellum album*. Papa obiurgat G. *VilleHarduinum*, Achaiae principem, Pharaone nequiorem; (dicit, a Graecis imperium *translatum* ad Latinos &c.) *Raynald.* n. 11. Aepo salisburg. permittit papa, vt monachum aliquem assumat, qui *canonicos* ecclesiae in theologia instituat. Papa regi Lusitaniae minatur, nisi pareat, regnum ipsius aliis diuisum iri. *Raymundus* comes Tolos. senior moritur; sepultura priuatus. *Iordanus*, natione german. fit *generalis* dominic. secundus. *Thomas* aquinas hoc aut seq. anno natus.

1223 Hegiræ 620. d. 4 Febr. *Ludouicus* 8 (dicendus 11, a Clodouaeis) succedit patri Philippo, regi Gall. Regis Hierosolym. filia *Friderico*, qui iam bellum in papam parabat, despondetur; papa epistolis variis contra Comi-

tem

A. Christi

tem *Suerinensem* agit, qui regem Daniae in vinculis tenuit. *Albigenses* sedibus eiecti in Bulgariae, Croatiae, Dalmatiae finibus *Antipapam* creant, cui epi etiam quidam adhaerent; Paris. In Gallia floret poeta *Sauaricus*, et alii poetae *rythmici*, tam gallica quam latina lingua vsi. Reuelatur *Francisco* de indulgentiis *Portiunculae*. Hoc anno ingentem mortalitatem boum designat *Trithem.*

1224 Hegirae 621. d. 23 Ian.

Fridericus leges prodit contra Haereticos. *Amalricus* impar Tolosano, cedit omnes suas ditiones *Ludouico* regi; documenta in historie de *Languedoc* tom. 3. p. 289. Idem rex aduersus Anglos, in Aquitaniam ducit. Floret in acad. paris. *Guil. Brito*, qui Philippidem dicauit regi Ludouico, hoc anno. Regina *Georgianorum* ad papam mittit, de Saracenis opprimendis; per Epum *Dauid* de *Hani*, epistolas aliquot habet *Raynaldus* n. 17 seqq. Papa regem *Bohemiae* monet, vt epo *Vratislauiensi* possessiones et *aurifodinas* restituat; reprimit aepum *bremensem*, qui *tuonensem* epum subiicere sibi volebat.

1225 Hegirae 622. d. 3 Ian.

Fridericus studium *Neapoli* suscitat, in odium Bonon. vetat, scholares regno exire. Papae legatio in Angliam, ob nouas exactiones; nemo in romana curia aliquid efficere potuit, sine magna pecuniae effusione, *Bulaeus* pag. 117. eius legati a scholaribus *oxon.* et *parisin.* non sine turpitudine eiecti; galli libertatem eccles. aduersus legati callida consilia in concil. *bituricensi*, (2 *praebendas* papae seruandas esse,) feliciter tuentur, Paris. *Caesarius* Heisterbac. scribit vitam aepi col. postquam dialogos a. 1222 scripserat. Summa fratris *Monetae* cremonens. dominicani, aduersus Catharos scribitur. S. *Elisabetha*, *Belae* regis soror, Landgrauii Thuring. coniux, eleemosynis celebris; papae nouus legatus in *narbonensem* prouinciam missus, ob successum haereseos perpetuum; rex *Ludouicus*, epi et barones multi crucem suscipiunt contra *Albigenses*; etiam *Brixiae* haeretici ecclesias quasdam incenderunt, et *romanae eccles.* *anathema* dixerunt. *Laurentius* aep. dublinens. sanctis additur. Floret R. *Moses Maimonides.*

Fri-

A. Chr. 1226 Hegiræ 623. d. 2 Ian. *Fridericus* in Lombardos ducit; papa ei multa exprobrat, apud Raynald. *Gingiscan* moritur. *Lesco* polon. succedit *Boleslaus* pudicus. *Ludouicus Auenionem* (vid. Epistola ad imperat. histoir. de Languedoc. tom. 3. p. 314.) expugnat, ciues per annos 7 papae censuras spreuerant; mortuo regi succedit Ludouic. 9 filius. annos natus 12. Moritur *Franciscus*, atque iam de sacris *stigmatibus* inuentis multa comminisci audent *Bonauentura* et alii. Dux *Norwegiae*, aep. colon. lubec. crucem sumunt. Comes *tripolitanus* anathemate ictus, qui *templariis* Antiochiam eripuit, vnum excoriari iussit &c. Papa concedit *Franciscanis* et *Dominicanis*, vt inter Saracenos, alio *habitu*, *coma*, *barba et pecunia* vtantur, sicut Christus *speciem peregrini* ad Emmaus induit.

1227 Hegiræ 624. & 625. d 12 Dec. Papa infensus *Friderico*, qui socerum regni Hierosol. administratione exuerat; multi crucesignati ex *Anglia*, *Germania* &c. in Palaestinam proficiscuntur. Papae epistola ad vniuersos *Russiae* reges, qui dicebantur Legatum expetiisse sacrum. Rex portugalliae pergit in exercitio sacrorum iurium, indignante papa. *Honorio* mortuo succedit *Gregor.* 9; eius *ineptissima epistola* ad *Fridericum*, de *mysteriis insigniun* imperii, vt Christus triplici corona, sic tu a *patre* (loco *dei*, patris Christi,) papa &c. Romae aliquis impostor, vicarium papae agens, *crucem* multis abstulit per absolutionem; Raynald. Papae insana et atrocia in *Fridericum*, qui falli nolebat, carmina. *Cleri gallicani* (*capitulorum* certe,) vehementes querelae, ob exactiones, *Longueual* tom. XI. et charta *Legati* romani in hist. *Languedoc.* pag. 323 *Witheim.* Aruernus fit ep. paris.

1228 Hegiræ 626. d. 30 Nou. *Conradus* Friderico nascitur ex Iolanta; eum papa excommunic. in synodo. Romani Friderico fauentes Gregorium vrbe eiiciunt; papalis exercitus *claues* in militaribus signis gerebat; papa a rege *Sueciae* subsidia petit, quia 3 exercitus comparat. In conuentu *Meldensi* tandem *tolosana* caussa composita, et inter regem et comitem pax; documenta 1228-1230 in hist. *Languedoc* pag. 326 sq. hic etiam ecclesiae restitutus. Papa reprehendit magistros pari-

A. Chr.

parisienses ob *philosophiam* theologiae nimis admissam; Bulaeus p. 20. *Fridericus* proficiscitur in terram sanctam; *Parisius* de *armeno* epo scribit, qui in Angliam venerit, et de *Iosepho* illo, qui inde a Christi morte adhuc in orientis regionibus viuat, ridicula commenta narrabat. *Hermannus* abbas corbei. visitat scholas, doctus etiam in graeca lingua.

1229 Hegiræ 627. Rex Angliae *oblatis decimis* contra Fridericum impetrat a papa, vt reiiceret *electum* cantuar. qui regi non placebat. Epistola *Friderici* de rerum suarum successu ad regem Angliae, apud Parisium. Discordia inter scholares et ciues *parisienses*; ideo ex dispersione *parisiensium* oriuntur academiae nouae, aurelian andegau. pictau. Remensis; multi scholares *Tolosam* abierunt. Turbae in *Suecia* inter *Canutum* et *Ericum*; papae legati contra Fridericum in Germania et Dania parum proficiunt. *Roberto* imp Cpolit. succedit *Balduinus* 2, sub tutela Ioh. *Brennensis*; *Comnenus* trapezunt. filiam suam iam dat Theodoro filio *Vatacis*.

1230 Hegiræ 628. d. 9 Dec. Papa Perusio in vrbem reuocatus; tractatum de pace inter papam et Fridericum per *Leopoldum*, ducem Austriae, qui paulo post moritur, successit Fridericus. *Hermannus* com. de *Lippia*, aepi bremensis frater, in praelio aduersus *Stedingos* occisus: de ortu haereseos vid. chronic. belgicum lib. 22 c. 14. Regina gall. vidua semine *legati romani* et comitis Campaniae polluta, indignationem Gallorum excitat, *Parisius*. Narratio *Trithemii* de Nicolaitis haereticis, quorum primas Mediolani, in chronico Hirsaug. Dominicani *parisiis*, cum abessent magistri, cathedram theolog. sibi sumunt. *Alfonso* Legionis, qui feliciter contra Mauros pugnauerat, succedit rex Castellae, *Ferdinandus*, regnis coniunctis.

1231 Hegiræ 629. Papa imperatorem equitibus *templariis* et Hospitalariis placare studet; imperator queritur, *titulum* regis Hierof a papa omissum in litteris. *Patareni* per Insubriam, citeriorem Siciliam et Romam ipsam propagantur; per haereticos accidisse dicit *Raynaldus* num. 24, quod clerici iam fuerint im-

A. Chr.

improbis moribus. Congregatio *Silueſtrinorum* oritur; S. *Antonius* de Padua moritur, qui moriturus dixit, *extrema vnctione* ipſi opus non eſſe. Papa regem *Ruſſorum* inuitat ad *latina ſacra* et dominium rom. eccleſiae admittendum. Cantiprat. narrat, vini lagenam, quam 2 dominicani exhauſerant, plenam manſiſſe. Caſtellae rex *Ferdinandus* vetuit, ne ipſo inſcio quis bona in eccleſias conferret; nec rex *Luſitaniae* canonico iuri paruit; in *Anglia* etiam inſultus in romanos clericos; barones et academici concludunt, papae nihil amplius dandum; Pariſius. Papa *crucem* ſuadet in *Perſas* Syriae imminentes; matrimonium inter filium imperatoris Cpolitani et filiam regis Hieroſolym. conficit. Refloreſcit acad. *pariſienſis*, Bulaeus.

1232 Hegiræ 630. d. 17 Oct. Epum *Semgallienſem* papa legatum facit; *Curoniis*, ſi chriſtiani maneant, promiſſum, quod nec Daniae nec Sueciae ſubiici debeant; pacta apud Raynaldum, et in codice diplomatico poloniae. Papa *crucem* in *Prutenos* mandat, quia Teutonici eis impares; etiam in *Stedingos*. Lex a rege *Hungariae* Andrea anno ſuperiori lata: ne *Iudaei et Saraceni* porro praeficiantur *monetae*, ſalibus et publicis aliis officiis; ſed quia parum valuit, papae interuenit cenſura. Papa ob litteras ſuas in Anglia laceratas queritur, ad aep. eboracenſem. Diſſidia chriſtianorum in oriente papa fruſtra componere tentat. *Germanus*, patriarcha nicaenus, ſcribit ad Papam et cardinales, ſatis vehementer; *Waddingus* parum integrum eſſe exemplar Pariſienſis dicit. Papa dat *mendicantibus* priuilegia aduerſus praelatos, *Bulaeus*. *Iohannes Ducas Cypro* imminet. Landgrauii Thuring. bellum in aepum mouent.

1233 Hegiræ 631. d. 7 Oct. Papa vult Sultanum Damaſci ad ſacra chriſtiana per *Minoritas* traducere, Wadding. Raynald. ſic et ad Califam baldaci et Miramolinum Africae ſcripſit. Iacobus *Ruſſanus*, minorita, in Georgiam miſſus. Bellum inter *Florentinos* et *Senenſes*. Moritur *Dominicus*. *Iohannes* Vicetinus, dominic. cuius publica opera papa ſaepe vſus eſt, floret; poſtea eius acta omnia reſciſſa, ob non

ob-

A. Chr.

occulta flagitia. Instituta *militia* Iesu Christi, ad domandam ferro haeresin, Raynald. n. 40. Bellum in *stedingos* feruet. *Tolosana* vniuersitas a papa confirmata. *Theodorus* Angelus fit Dynasta Macedoniae. Pruteni epum in carcerem trudunt.

1234 Hegiræ 632. d. 26Sept.

Romani in *Gregorium*, qui dominium vsurpabat, surgunt; papa ludos meretricios in Gallia prohibet. Lapides grandinis apud Cremonam dicuntur enormes cecidisse, in vno inscriptum fuit: *Iesus nazarenus* &c. alii anno 1240 narrant fabulam. *Ludouicus* ducit filiam comitis Prouinciae, papae cum venia; is comes a. sequenti a *Friderico* Haganoae *miles* creatus. *Conradus* de Marpurg, ille inquisitor, occiditur. *Henricus* filius imperatoris occup. Bauariam. In *papae auaritiam* inuehit *Parisius*, et eius lepidam epistolam exhibet. Papa legatum mittit in Prussiam, Liuoniam &c.

1235 Hegiræ 633. d. 16Sept.

Parisius inuehit in monachorum fictam paupertatem. Papa *decretales*, quorum verbositas taedio erat, in compendium libris 5 redactas a *Raymundo*, dominic. poenitentiario, *Bononiae* iubet publice legi. *Parisiis* quaestio de *pluralitate beneficiorum*. *Fridericus* in filium rebellem ducit. Papa *Iudaeis* dat priuilegium, ne violenter ad baptismum compellantur. *Elisabeth* sanctis additur. *Friderici* nuptiae cum sorore *Henrici* Angliae. Sultan *Iconii* ad papam mittit. *Encyclicae* papae litterae, pro expeditione in terram sanctam. *Ioh. Ducas* foedere cum *Asane* rege Bulgar. inito, Cpolin oppugnat. Concil. *Narbonense* *Andreae* Hungar. succedit fil. *Bela*. *Iudaei* Norwici dicuntur puerum christianum furtim captum circumcidisse. Lugubre hastiludium claraemontensis comitis.

1236 Hegiræ 634. d. 4 Sept.

Seditio Romae in papam; plures papae epistolae in *Fridericum*, et huius defensio. In Gallia lex: ne ciues ad tribunalia ecclesiastica citati comparerent, censura autem vt bonorum eccles. occupatione repelleretur; multae igitur papae epistolae. *Tolosae* seditio in *inquisitores*; huc et charta pertinet, tomo 3 hist. de Languedoc, pag. 371 seqq. in qua *peregrinationes*, *maiores* et *minores*

A. Chr.

describuntur, et *interrogationes* ad haeret. item pro *fortilegis*, et *Iudaeis*. In Aquitania cruciferi in *Iudaeos* surgunt, etiam in Hispania; eos igitur papa tutatur. Cruciferi tres episcopatus in *Estonia* per aepum lundensem erectos, occupant. Haeretici quinquaginta per dominic. exusti, Parisius; qui et scriptum ex oriente missum, de origine *Mahometi* hic exhibet. *Albertus* M. parisiis docet.

1237 Hegiræ 635. d. 24 Aug. *Viennensis* academia fundatur. Bulaeus pag. 157. Fridericus *Mediolanensibus* victis Italiam facile subiicit; Parisius describit epistolam *Philippi* dominic. ex Hierosol. de patriarcha *Iacobitarum*, qui (metu *Tatarorum*) catholicae ecclesiae se iunxerat. *Tatari* Moscouitas premunt. Frater regis Portugalliae, ob cleri oppressionem anathematizatus a papa. Concil. londini per legatum papae. Bulgari cum Latinis aduersus Graecos iunguntur. *Ioh.* brennensis moritur.

1238 Hegiræ 636. d. 14 Aug. Papa per legatum tertiam partem redituum sacrorum in Graecia *Balduino* contra *Vatacem* tribuit; Bulgari redeunt ad Graecorum foedus contra *Latinos*; *Bela* in Bulgaros a papa immissus; *Assanes* ideo redit ad Latinos. *Tricesima* in Gallia, Anglia, pro Balduino a papa imponitur; *Hospitalarii* ipsi Graecos iuuant. Papa sacra mendacia *canonicorum* s. sepulcri (ignem de caelo venire) prohibet, Raynald. n. 33. *Valentia* Mauris erepta. *Balduinus* regno pulsus venit in Angliam; statuta nigri ordinis per legatum in Anglia reformata. *Antiochiae* graecus patriarcha suam sedem romanae praefert, *Parisius*; qui et hic narrat de mala fama *Friderici*, de 3 impostoribus. Hoc anno de *modo ordinandi* inter Albigenses, charta in hist. Languedoc. p. 386.

1239 Hegiræ 637. d. 3 Aug. *Sardiniae* pars maxima imperatori subiicitur; excommunicatio eius per papam, et illius defensiones exstant (lectu dignae,) apud *Parisium*, qui et narrat de mirabili *vaticinio*, quod in visione legit aliquis monachus cistercienf. Papa vndique auxilia corrogat contra Fridericum. Victoria marchionum brandeburg. ab aep. Magdeburg. halberstad. et marchione Misnensi reportata ad

Ha-

A. Chr.

Hauelam. *Boleslaus* dux cracou. ducit KingamBelae filiam, quae ex vtero statim clamauit, *aue Regina caelorum.* Suscipitur *sancta corona Spinea* in Gallia, Bulaeus p. 170, qui p 175 multa pro imperatore excerpsit; *Helias* Franciscan. Generalis defendit Fridericum.

1240 Hegiræ 638. d. 22 Iul. *Germaniae* epi non admittunt papae decreta contra Fridericum. Romae papa capita Apolorum publica in pompa gestat; comes *Prouinciae* et aep. arelat. a Friderico deficiunt. Epus Vigintimilienfis statuit, papam ad indulgentias dandas non alia auctoritate pollere, quam simplicem sacerdotem. *Teutonici* equites dicuntur ipsi *Prutenos* a fide abducere. Papa legatum in *Georgiam* mittit, cuius regina Tatarorum caussa latinae ecclesiae se subiicere voluit, *Richardus* Cornubiae comes, regis frater, in terram s. exercitum duxit. *Vatacius*, Vngarorum metu Latina sacra ambit; papa concilium oecumen indicit, talium scilicet eporum, qui imperatoris sint aduersari; itaque imperator concilium vetat. Catholici boni sciebant, papam priuatam vltionem sequi, ob fratrem a Friderico suspensum; &c. Bulaeus p. 181. Florent *Accursius*; Alex *Halensis*, *Bonauentura*, *Vincentius* speculorum auctor. Epus paris. damnat propositiones haereticas multas; *Bulaeus* p. 177 seqq.

1241 Hegiræ 639. d. 12 Iul. *Tatari* per Poloniam, Hungariam et Silesiam, Bohemiam effusi; *Fridericus* 7 exercitus hoc tempore habuit; papae epistolae ineptae ad epos et alios *victos in Domino*, (o impurum os!) apud Raynald. n. 69. 71. nempe quos in praelio captos imperator tenebat. Susceptio S. *crucis* parisiis. Moritur tandem *Gregorius* moeroris et irae impatiens.

1242 Hegiræ 629. d. 1 Iul. Friderici litterae ad Cardinales (ad vos, filii Belial &c.) Tatari porro in Croatiam, Seruiam, Bulgariam prorumpunt. *Tolosani* inquisitores quidam interfecti a. 1240; *confessio* comitis Fuxensis, tomo 3. hist. Languedoc. p. 392. Induciae inter Anglum et Gallum in annos 5. *Robertus* Capito testamentum 12 patriarch. transfert.

A. Chr.

Templarii in Palaestina feliciter aduersus Saracenos rem gerunt. Definit chronicon *Alberti* trium fontium.

1243 Hegiræ 641. d. 25 Iun. Fridericus et rex Galliae (aliter papa erat citra montes creandus) cardinales vrgent, ad eligendum papam; tandem *Innoc.* 4. electus fuit; qui dira omnia in imperatorem instaurat; *inquisitores* in Gallia per legatum excitat; a. sequenti supra 200 albigenses vtriusque sexus cum eorum epis exusti; etiam in *Croatia* et *Dalmatia* haereticos profligat per aep. strigon. De *Praedicatorum* fastu narrat, *Parisius*; iidem cum Franciscanis altercantur, de praestantia ordinis; querela aliorum de diuitiis mendicantium, Bulaeus p. 187. Parisius praeterea narrat, *Templarios* (pontificios) Hospitalariis et Teutonicis in Acon &c. infensos fuisse; et habet epistolam *Yuonis* alicuius, qui inter *Paterinos* vixit, eorumque artes exponit, et *Tataros* describit. *Beguinae* multiplicantur, Coloniae et in vicinia super 2000. Moritur *Hedwig*, wratislau. ducissa. *Vataces* Balduinum pellit; hic ad Fridericum fugit, et a. sequenti ducit eius filiam. Huc pertingit *Roderici* tolet. historia hispaniae.

1244 Hegiræ 642. d. 9 Iun. Collegium *Bernhardinorum* parisiis conditur; papa regem gall. rogat, *Iudaeorum* vt libros iubeat congeri et comburi; ipse in Galliam fugit. *Hugo* de S. Caro dicitur hoc a. *cardinalis* creatus. *Chorasmiani* in christianos Syros immittuntur a *Sultano*. Papa excitat *Achaiae* regulum, vt Cpolitano imperio auxilio sit. De concordia inter papam et imperatorem plures tractant. *Conradus* dux Masouiae Poloniam bello premit. *Adolfus* comes Holsatiae fit *Franciscanus*. *Sanctium* lusit. pellit frater *Alfonsus*. Parisius narrat: de nouo a papa misso *pecuniae extortore*; et de infamia fraudibusque *Templariorum* et *Hospitalariorum*; praecipue exponit Angliae querimoniam, quae voluerit *iugum papae* excutere. Regis Epistola contra papae *prouisiones*. Ex *actis* inquisitorum contra *Albigenses*, vid. hist. de Languedoc, pag. 434 seqq.

Papa

A. Chr. 1245 Hegiræ 643. d. 29 Mai. Papa indicit concil. *lugdunenſe;* initium 26 Iun. interfuerunt patr. Cpolit. (qui vix tres habet ſuffrag.) et Antioch. *Pariſius:* in Anglia papae curſor cum bullis interceptus, ne argento terram emungeret, de *rapacitate proterua* exactoris papae, vult tacere; *Grauamina* regni Angliae in concilio propoſitae; *italici* annuatim 60000 marcas, et eo amplius percipiunt; de *reſeruatis* &c. praeſens papa nec vocem nec oculos tollit -- Succreſcunt odia *Guelforum* (papalium) et *Gibellinorum.* Excommunicatio Friderici pariſiis ſic peracta a quodam: papa et imperator ſunt inimici; eum excommunico, qui iniuriam facit; patientem vero abſoluo. *Suatopulcus* dux *pomeran.* foedus contra Teutonicos init cum *Prutenis* &c. *Longinus* lib. 7. *Iacobus Bertoldus*, cancell. venetus, ſcribit *ius conſuetudinarium* reip. venetae.

1246 Hegiræ 644. d. 19 Mai. Papa Landgrauium Thuringiae opponit *Friderico;* et Gallum ſuſcitat in Anglum; *Siculos* etiam excitat, *Tuſcos*, *Spoletanos* &c. *Friderici* vehementes in papam epiſtolae; *Ruſſi*, ex ambitione principis *Danidis*, in romanorum ſacrorum ſocietatem ire viſi; papa legatum eo miſit. In *Norwegiam* legatus, qui *Haquino* coronam imponat; Crux aduerſus *Boſnienſes* haereticos; etiam in *Mauros.* Papa ad *Soldanum* babylon. ſcribit; hic ad papam, (quem rerum apoſtolum, nominat;) ſed *Fridericum* praefert, *Pariſius*, qui et in Dominicanos hic multa dicit. *Edmundi* cantuar. canonizatio. Comitia *Londini*, in quibus *grauamina* contra papam proponuntur, Bulaeus pag. 207. Iohannes de *Plano Carpini franciſcan.* et alii a papa ad Tataros miſſi; quaedam *itineraria* ſuperſunt in *Bergeronii* voyages &c.

1247 Hegiræ 645. d. 8 Mai. In Gallia nobiles conſpirant *contra clericorum artes et ſuperſtitionem;* regnum non per clericos, ſed per ſudorem bellicum acquiſitum fuit, Pariſ. et Bulaeus. *Poloni* papae quintam redituum in triennium donant. Concil *biterrenſe*, quo *inquiſitoribus* modos procedendi praeſcribunt, ſicut in concil narbonenſi, a. 1235. *Gutta ſanguinis* Chriſti a Templariis in Angliam miſſa (a. 1248). Ioh. *de deo*, Hiſpanus, ſcribit *poenitentiale.* Ci-

A. Chr.

uitates ad Rhenum foedus ineunt aduerſus Henricum landgrau. ei mortuo *Wilhelmus* Holland. ſuffectus. In prouincia narbonenſi inquiſitorum libri exuſti, 2 miniſtri occiſi. Hiſt. de Languedoc p. 467.

1248 Hegiræ 646. d. 26 Apr. Papa bellum ſacrum in Fridericum *indulgentiis* incendit, ſic ipſe Raynaldus, n. 7. ſed magdeburg. aliique epi non parent. Facit aepum Pruſſiae Legatum in *Ruſſia*; Laurentium minoritam creat legatum in oriente, ad patriarcham Antioch. Armeniae, et Maronitarum. De graeco patriarcha, qui Romae legatus apoſtol. factus eſt, *Baluzii* miſcellan. tomo 7. Epiſtolae aliquot *orientalium* ad papam cum fidei profeſſione, Raynald. Epiſtolae aliquot *Sultanorum*; legatus papae carebat linguae *arabicae notitia*, ibid. Poſt alios etiam Raynaldus n. 77 narrat de miraculis, cum vrſus mingeret caſu in lapidem cruce ſignatum, ſtatim mortuus eſt -- Papa *Iudaeos* defendit aduerſus fabulam, quod in feſto paſchali *cor occiſi pueri* edant. *Ludouicus* iter arripit in *Palaeſtinam*. Ioh. *de Parma* fit generalis Franciſcan. quem auctorem *euangelii aeterni* ferunt. Quaeſtio de *ſanguine* Chriſti in terra, Bulaeus pag. 214 ſeqq. Collegio *bonorum puerorum* capella conceſſa, pag. 217. *Halae* Sueuorum aduerſus pontificem publicae voces; Albert. ſtadenſ. *Moneta ex corio* Fridericus in obſidione *parmenſi* vſus.

1249 Hegiræ 647. d. 16 Apr. Papa crucem in Germania porro iubet praedicari aduerſus Frider. et *Conradum* filium; belli in Italia, varia fortuna. Variae legationes, Armeni regis, regis Tatarorum ad *S. Ludouicum* miſſae; epiſtola *Ercalthai* ex arab. et perſico ab *Andrea* dominicano latine translata, exſtat apud *Nangium*, *Vincentium* &c. Papa *Hoſpitalarios* ex Hungaria in Tataros mittit, et ducem Ruſſorum *ſuſdalienſem* in eosdem excitat. Narrat cantipratenſis, pariſiis clericum, qui in ſynodo ſermonem habiturus erat, a diabolo iuſſum *ſic praedicare*: principes tenebrarum ſalutant principes eccleſiae; gratias eis agimus, quia per eorum negligentiam totus fere mundus ad nos deuoluitur &c.

Petro

A. Chr.

Petro de Vineis ob perfidiam imperator iubet oculos effodi; is ipse mortem sibi consciuit (a. sequenti) parisienſ. *Damiata* expugnata a Ludouico.

1250 Hegiræ 648. d. 5 Apr. Fundatur *domus sorbonica*, Bulaeus p. 223. qui et describit *sermonem* M. Roberti de Sorbona ad Theologos, quem scholastica indoles lectu dignum facit. In Hispania puer 7 annorum dicitur a Iudaeis crucifixus. *Petrus* Cassiodorus, miles, anglus, contra Tyrannidem pontificis scripsisse dicitur. *Siffrido* moguntino, aduersario Frederici, mortuo, *Christianus* praepos. suffectus. *Alexander* rex *Scotiae* moritur, atque mense decembri. *Fridericus* imperator, qui regum paucis inferior dici potest, multis melior. Hic *Parisius* finit; postea alia per ipsum aliosque acceſſerunt. Computus expensarum in comitatu Tolosano et pictauiensi per plures annos, tom. 3 hist. de Langued. pag. 482 seqq.

1251 Hegiræ 649. d. 25 Mar. Hungarus aliquis in Gallia opiliones cogit, pro terra sancta; eo occiso multitudo dispersa; *Pastorelli*. *Conradus* Apul. et Siciliam occupat. *Parisius* recitat hic *testamentum* Friderici; narrat *Haconem*, norweg. regem a papa suscitatum, dixisse, inimicos ecclesiae persequar, sed *non inimicos papae*. Cum *Lugduno* papa recederet, *Hugo* cardinalis publice sermonem habuit, quem sic finiit: magnam vtilitatem hic fecimus; cum veniremus 3 vel 4 prostibula hic erant; nunc tantum *vnum*, scil. ab orientali porta ad occidentalem *continuatum*. (Reputemus romanam castitem et religionem!) *Ludouicus* rex redemtus libris auri 60000.

1252 Hegiræ 650. d. 14 Mar. Parisius describit regem Angliae nouum *Crassum*, cum papa eum excitasset in terram s. *Conradi* fauor ad plures crescit; is a veneno, quod non sine *curia romana* (sicut patri) ei datum fuit, vix liberatus. Idem Paris. laudat Ioh. *Basinstock* ab eruditione *Graeca*; Papa plurimis exosus, *Constantini*, non Petri vestigia secutus; idem narrat de exercitio militari in *mensa rotunda*; rex Angliae Magistro Hospitalario dicit: vos et *templarii* estis nimis diuites; vtendum est papae car-

A. Chr.

mine, *non obſtante*, aduerſus priuilegia veſtra. Repetit Pariſius hic de *Ioſepho* adhuc viuo, et *arca Noe* ſuperſtite, ſed quam ſerpentes et dracones cuſtodiant, ne homines inde partes abſportent. Epus *lincoln.* computat, papam 70000 Marcas ex Anglia habere. Pariſiis tumultus inter *mendicantes* et vniuerſitatem, propter librum *Guil.* de S. amore, de periculis mundi; *Bulaeus* p. 248. Papa inſtituit fratres *peregrinantes* ſ. miſſionarios. p. 251 excerpta ex ſermone Guilielmi, in *Phariſaeos* et Hypocritas, mendicantes, qui ſtudioſe procurant, vt *Magiſtri* fiant. In Polonia initia *ſalis fodiendi.*

1253 Hegiræ 651. d. 3 Mart. Papa *Siciliam* offert *Carolo* Andegauenſi, conditiones habet *Raynaldus*; idem n. 13 magnas nugas ſcribit ex auctore inepto: S. *Claram dominum cum ſuis diſcipulis* vidiſſe, i. papam et cardinales; papa *vltra hominem et citra deum eſt.* Moritur *Elias*, Minorit. Generalis, *Friderici* fautor. *Stanislaus* epus in ſanctos relatus. Papae *encyclicae* ad Polonos, Ruſſos, Bohemos, Pomeranos, vt crucem aduerſus Tataros ſumant; idem miſſionarios ad varias gentes deſtinat, quia *Apocalypſeos* elogium cito complendum creditur. *Iudaeorum* doctores e Gallia eiecti. Papa e Venetis *Pantaleonem* Iuſtinianum creat patriarcham Cpolit. vt Veneti auxilium ferant. Lites multae Pariſiis inter vniuerſit. et mendicantes. *Haytonis* armeniae regis et aliorum ſtudia in *Mangucanum*, vt eo aduerſus Saracenos in Palaeſtina vtantur.

1254 Hegiræ 652. d. 21 Feb. Epiſtola reguli Tatarici ad Innocentium; hic et ad Turcarum Sultanum ſacros legatos mittit; etiam *Graecis* multa concedit; *Ludouicus* in Galliam redit, retenta cruce. Papa gentes boreales pro *Wilhelmo* excitat. *Conradus*, vt putant, per *Manfredum*, moritur; Manfredus cum papa videtur conciliari; moritur *Innocentius* m. decembri; e Cantiprat. nugas deſcribit Raynaldus, de *hoſtia*, quae ſpeciem venuſti pueri praebuerit, in menſura aetatis, naſo longo, caeſariem longam &c. (O barbaricam religionem!) alii vero *alio modo* eadem hora videbant, in cruce, iudicem &c.

A. Chriſti

E *Roberto Capitone* excerpit contra papam *Bulaeus* p. 260 ſeqq. papa mandat, vt *philoſophiae* dent operam clerici, inuehit in *aduocatos* (noſtrós, imo diaboli) diuites &c. Pariſ. et *Bulaeus* p. 264 *Alexander* 4 papa creatur.

1255 Hegiræ 653. d. 10 Feb. *Manfredi* ob victorias papa ſollicitus, *Edmundum* regis Angl. filium euocat ad Siciliae regnum, inde *Caroium* Andium. Poenitentibus meretricibus papa tribuit eccleſiam Romae peculiarem; S. *Clara*, (quam centuriatores Franciſci *concubinam* dixerunt) ſanctis adſcripta. *Ioh. Vataces* moritur; ei ſuccedit fil. *Theodorus*, Laſcaris a matre dictus. *Alfonſus* rex Caſtellae a papa excitatus, vt Sueuiam repetat. *Lituaniae* regulo coronato etiam *Ruſſiam* tribuit; ſed *Mendoy* ille non ſpei reſpondit; in Lituanos crux proclamata. In Syriae auxilium rex Caſtellae vocatus; *Pariſiis* lites cum *dominicanis*, quibus papa maxime fauebat; academicorum vehemens epiſtola ad papam -- aliter timendum, *finiri poſſe Petri* imperium, iuxta prophetiam in libro, *aeternum euangelium*, Bulaeus p. 291. *Sambienſes* a cruciferis oppreſſi. *Iudaei* dicuntur puerum *Lincolniae* occidiſſe; *Minoritae* autem Iudaeos liberarunt.

1256 Hegiræ 654. d. 29 Ian. *Wilhelmus* Holland. perit. Papa ſcribit in Germaniam, ne *Conradinus* eligatur, ſub anathemate. *Richardus* frater regis Angliae, pecuniam multam in aliquos principes effundit; Moguntinum aep. e captiuitate brunſuicenſi 10000 marcis redemit; ab aliis *Alfonſus* eligitur. *Haereſis*, ſi placet, e *Ioachimi* libris ſucceſſit; *euangelium aeternum* pariſ. crematum; e libro *roman de la Roſe* excerpſit *Bulaeus* p. 299. *Manfredi* felices ſucceſſus. Papa plura *Eremitarum* ſodalitia *Auguſtiniano* ſubdit. *Legatio* ad Theodorum, pro vnione cum Latinis ſacra. Tepuit deuotio multorúm erga papam, Pariſius. Articuli de quibus accuſatus eſt *Guilielmus* de S. Amore, Bulaeus p. 317.

1257 Hegiræ 655. d. 19 Ian. Minoritae a rege Bohemiae contra haereticos expetuntur. *Boleslaus*, dux lignic. in carcere retinet epum Wratislauienſem; papa crucem in eum

A. Chr.

dat Gneſnenſi et magdeburg. aepo. *Teutonici* equites in Pruſſia ob quaritiam anathemate icti. In *Danielem*, ruſſiae regulum qui a papa defecerat, olomucenſi et wratislav. epo imperat papa crucem. *Edmundus*, ſiciliae rex, a papa aequiores regni conditiones poſtulat. *Aſſaſſini*, in Phoenices ſcopulis, cultelliferi dicti, a Tataris deleti, etiam Turci victi. Nouus *ordo* Londini apparuit, (*Saccatorum*) vnde maior confuſio, fratribus etiam *Bethleemitis* locus datus Cantabrigiae, Pariſ. Romanum ſtatutum: quemlibet electum perſonaliter debere *tranſalpinare*. Continuae diſcordiae cum *Dominicanis* Pariſiis.

1258 Hegiræ 656. d. 8 Ian.

Papa et cardinales Roma ob tumultum, per magiſtrum piſtorum excitatum, excedere coacti. *Minoritae* de variis caſibus, in Haereſi occurrentibus, papam conſulunt. Bellum inter Genuenſes et Piſanos, Venetosque. *Michael* rex Bulgar. occiſus; ſucc. Conſtantinus, qui *Theodori* imp. filiam ducit; *Michael* Palaeologus dubia conditione apud Theodorum vtitur. Aepus Eboracenſis papam ad dei tribunal moriens euocat, quod ipſi tot calamitates ſuſcitarit, quia homines improbos et *linguae anglicanae ignaros* noluit ad beneficia admittere, Pariſ. Frater Mangu Cani regnum Perſarum occupat, et vrbem Baldach. *Haytho*. Sic *Califae* deficiunt.

1259 Hegiræ 658. d. 18 Dec.

Papa regi *Nauarrae* ſcribit, qui *Heliconis fontem* ad regnum ſuum deriuari optauit; *Tutelae* igitur ſtudium generale erigitur. Papa concedit nuptias *Waldemari* Sueciae cum nepte danica, vt eo facilius *paganorum* inſultibus obuiari queat. *Stockholmia* ſuccreuit. Papa epos iubet reſiſtere calumniis et libellis in monachos editis; longa papae Epiſtola ad regem Hungariae, qui cum Tataris coniungere ſe voluit, apud *Raynaldum*; matrimonium cum *pagano*, propter defectum fidei, *non eſt ratum*. *Theodorus Laſcaris* moritur, cui paulo poſt pleno honore ſuccedit *Michael*, palaeologus; qui *Balduini* legatos publice contemnit. *Hoſpitalarii Templariorum* in Syria magnam ſtragem edunt. *Richardum* conſiliorum poenitet, redit in Angliam. *Albertus* M. epus

ra-

A. Chr.

ratisponensis, paulo post sede cedit. *Manfredus* Siciliae regem se facit, quasi mortuo Conradino.

1260 Hegirae 659. d. 6 Dec. *Flagellantium* secta per Italiam propagatur; etiam inde in *Germaniam*, vt poenitentiam (aut fauorem in clericos) excitarent; etiam in *Poloniam*. Papa *inquisitoribus* itinera tuta procurat. Romae controuersia in *solemni pompa*, de honoris gradu et stipendiis; Teutonicos papa excitat in Liuonia et Prussia, 2 partibus terrae promissis. Epistola *Thomae* epi Bethlehemici de statu *terrae sanctae*, exstat in *accessionibus nouis Hugonis* pag. 534 seqq. Papa rem de libellis *Guilelmi*, permittit epo parisiensi, ob multitudinem fautorum. IV sedes Graecis in *Cypro* assignatae. Discordia inter *Templarios* et regem *Armeniae*, ob venditam istis Sidonem. *Arsenio* patriarchae Cpol. suffectus Ephesinus Nicephorus. Catalogus *garnisionum* in seneschallia carcassonensi, hist. de Langued. p. 541.

1261 Hegirae 660. d. 25 Nou. Papa epos admonet, de auxiliis contra *Tataros*; moritur *Alexander*, ei *Vrbanus* 4 succedit, patriarcha Hierosol. *Cpolis* a Graecis recepta; permissum turbae Venetum et Genuensium in *Pera* habitare; turbae *Salisburgenses*, ob aepum. *Manfredi* successus continui. *Hugo* de S. *Caro* moritur; *Flagellantes* latius effusi; *Arsenius* restitutus.

1262 Hegirae 661. d. 15 Nou. Germani, de *Conradino* assumendo consulunt; papa se opponit; Epistolas scribit ad epos boreales, vt contra *Tataros* auxilia colligant; papa etiam *Balduinum* adiuuat contra Graecos. Rex Aragoniae inuito papa admittit affinitatem *Manfredi*. *Guilelmus* de S. Amore ex exilio redit, in publica parisiensi acad. laetitia.

1263 Hegirae 662. d. 4 Nou. Papa auxilia in terram s. vndique, praecipue a *Ludouico* postulat; gallicani praesules negant centesimam imperatam in 5 annos. *Michael* apud papam de vnione Graecorum et Latinorum agit. Papa praesentans lignum *in medio paradisi*, tam *Richardo* quam *Alfonso* dat nomen regis *Romanorum*, *Raynald.* n. 42. Papa per legatum Siciliam offert *Carolo* fratri regis Galliae. *Clarissarum* iam vno nomine comprehenduntur *Minorissae*, sorores, moniales S. *Damiani*. Concil. *Rhedonense* in Gallia. Legatio Sultani babyl. *Cro-*

to-

A. Chr.

crotonienſis epus Michaelem inſtruit de fide Latinorum. *Bendoctar* ſcribit ad regem Aragoniae et contra, honoris cauſſa.

1264 Hegiræ 663. d. 24 Oct. Crux porro in *Manfredum* proclamata. *Feſtum corporis Chriſti* a papa inſtitutum, ob tepeſcentem fidem, feria 5 ab octaua Pentecoſtes. *Lundenſis* aepus ſede deiectus, quod *orationem dominicam* et *ſymbolum* emendare auſus eſſet, *Vrbani* ep. 147. 148. Aepus Strigon. et colocenſis in *Cumanos* ſacrum claſſicum canere iuſſi, vt ritu chriſtiano viuant; ſacrum bellum in *Graecos* paratur; *Michaelis* ſtudioſae litterae ad papam, per crotonienſem epum. Mortuo *Vrbano* 4 ſuffectus Clemens 4, qui antea in matrimonio vixerat, chronic. S. *Bertini*. *Iazyges* a Boleslao pudico polono, vincuntur et ad chriſtianiſmum tranſeunt; quaeſtio de *Euchariſtia*, vtrum ſit corpus Chriſti tantum *ſub ſigno*, *Bulaeus* p. 373. *Raynald.* a. 1237. n. 35. Iuniores Fratres in *Heresburg ſacram habent comoediam* de *Ioſepho* vendito, quod ordinis Praelati male interpretati ſunt; annal. *corbei*.

1265 Hegiræ 664. d. 13 Oct. Papa *cruciatam* Hieroſolymitanam conuertit in *Siciliam*; pacta inter *Carolum* et papam; *decimae* in Galliis imperatae in Siciliam; *Armeniae* regem ad *Syriae* auxilium papa excitat, in Gallia, Germania, Polonia, cruciatam proclamat, cuius dux *Otto*, brandeburg. marchio deſtinabatur. Rebellio Baronum in Anglia. *Templarii* papae auctoritati ſe ſubducunt. *Germanus* 3 poſt *Arſenium* eſt patr. Cpolit. pauci temporis. In chronico S. *Bertini* h. a. p. 742 ſcribitur contra *aurum alchimicum*. *Thomas* et *Bonauentura* reſpuunt dignitatem eccleſiaſticam.

1266 Hegiræ 665. d. 2 Oct. Papa regi *Carolo* ſcribit: nec montes nec fluuios habemus aureos, forte requiris miraculum -- Carolus *Manfredum* reprimit. Cracouienſis Palatinus Ruthenorum ducem *Suarnonem* vincit; papa *Carolum* et alios in *Syriam* excitat. *Bendocdar* Armeniam vaſtat; *Thomas* mendicantes defendit contra *Wilhelmum* de S. Amore. *Diſputationes in comitiis ordinis Minorum* iam inſtituuntur; *Wadding*. In *Dania* legatus turbas *ob decimas* com-

A. Chr.

componere et aepum e carcere regis liberare studet; *Kranzius.*

1267 Hegiræ 666. d. 22 Sept. *Conradinus* Siciliam repetere audet; ei Romae quidam fauent. Papa controuersiam *Richardi* et *Alfonsi* componere studet, istum dicit potiore iure niti. Apologia aepi Narbonensis de eucharistia, *Raynald.* n. 36; epistola papae ad aepum bremensem, qui haeresin *de eucharistia* per canonicum Hamburgensem *Thidericum*, sinebat succrescere, ibid. n 39 Papa regi *Bohemiae*, crucifero, tribuit *Letoniam* et in ea regni solium. *Ludouicus* cum 3 filiis expedit. syriacam vouet; etiam Theobaldus, rex Nauarrae, *Tolosanus* comes &c. *decima* in triennium adsignata, *inuito clero*, priuilegiis cunctis reuocatis. *Ilchan Abaga*, princeps Tatar. oratorem ad papam mittit, de bello contra Saracenos; de alia *legatione*, et *Marco Paulo*, veneto, narrat chronic. S. *Bertini* p. 746. *Frisia* inter omnes nationes christianas *decimas* non soluit; ideo plagam Oceani sustinet; nam qui decimas dant, quadruplo remunerantur; acceſſ. *Hugonis* pag. 540.

1268 Hegiræ 667. d. 10 Sept. *Iosephus* Galesinius patr. Cpolitanus. Papa anathema in *Conradinum* edit; eum tamen Romani amplissime recipiunt; sed *Carolus* vincit et capite eum plectit. Rex *Lusitaniae* a clericis apud papam accusatur; papa obstat electioni *tertii* regis Romani. *Isabellam* regis Gall. sororem, quae a Graeculo quodam *caput S. Pauli* acceperat, papa corripit. Moritur *Clemens* 4, qui *Romam* numquam ingressus fuit. *Testamentum* regis Ludouici in terram s. profecturi, apud *Bulaeum* p. 392. *Frisiones* hic rex in societatem suam vocauit; positi *trunci* in ecclesiis, *Hugo* p. 542. singuli peregrini habeant 7 marcas sterling. sex cados butyri, pernam porci, latus bouis, farinam &c. *Antiochia* a Saracenis capta.

1269 Hegiræ 668. d. 30 Aug. *Cruciata* iam iter arripit; Carolus pro filio Philippo matrimonium contraxit cum filia principis *Achaiae*; in *Cpolin* consilia agitat. *Pachymer. Iacobum* Aragon. pellex a sacro itinere retrahit. *Hugo* rex Cypri, *Tyri* factus est rex Hierosol. Collegium *cluniacense* in vsum scholarium Parisiis exstrui-

A. Chr.

struitur. *Arsenianum* schisma inter Graecos crescit. Concil. *Rauennae.*

1270 Hegirae 669. d. 20 Aug. *Eduardus* Walliae, in Palaestinam ducit, *Guilielmus* tripol. dominicanus offert librum *de statu Saracenorum Theobaldo*, socio Eduardi (postea *Gregorio* X) *Oudin.* t. 3. pag. 556. *Michael* palaeol. causam sacrae coniunctionis *Ludouico*, hic cardinalibus, permittit; in *tunetanis* castris rex moritur. *Belae* in Hungaria succedit. fil. *Stephanus*. Bellum *Marchionum* brandeburg. et Polonorum. Cardinales Viterbii tandem conueninnt in *Gregorium* X.

1271 Hegirae 670. d. 9 Aug. Cardinales mittunt ad *Theobaldum*, archid. *leodiensem*, in Syriam; (mirabilis inscriptio: angelica iunioris Tobiae comitiua laetari, *Raynald.* n. 17. In *Pforzheim* Iudaei dicuntur puellam christianam trucidasse, Cantipratensis. Tabulae foederis et pacis inter regem *Bohemum*, et Vngariae; inclusi sunt reges Gall. Siciliae, *Michael* palaeol. duces Poloniae &c. apud *Raynaldum*. *Richardus* moritur; eius filius paulo ante Viterbii in ecclesia occisus fuerat; *Alfonsus* iam vrget sua iura imperialia; doctor quidam ex *Arabia* Lutetiam venit, et docet; *Stephanus* ep. paris. errores varios condemnat. *Bulaeus* p. 397. *Eduardus* Tataros in auxilium vocat aduersus *Saracenos*.

1272 Hegirae 671. d. 28 Iul. Nouus papa venit in Italiam e Syria; ad *concilium* generale parari iubet, etiam *Michaelem* inuitat; 12 triremes in *Syriam* comparat; vetat *Ianuenses* mercatores Saracenis deuehere necessaria. Mortuo *Stephano* Hung. succedit filius, *Ladislaus* 3; *Henrico* autem Angliae, *Eduardus* fil. in Syria pene a sicario occisus. Papa iubet *Gaufridum*, de bello loco, dominic. scribere vitam S. *Ludouici*; paulo post *Petrum* de *Tarentasia* et *Bonauenturam* cardinales creat. Ioh. de *Rupella*, Minorita, *Annibaldus Annibaldensis*, mortui; statutum fac. medicae paris. contra *practicantes*, *Bulaeus* p. 400.

1273 Hegirae 672. d. 18 Iul. *Lugdunum* designatus locus concilio. *Rudolfus*, comes Habsburg. tandem rex romanorum eligitur; hic finit *Iordani* teutonici libellus, de translatione imperii. De *Paulo* epo cracouiensi, eius libidi-

A. Chr.

bidinibus, (monacha pellice) &c. multa narrant ſcriptores poloni. *Iudaei* paſſim *telonearii* et *monetarii* fiunt. Luſitaniae rex a papa porro reprehenſus, quia non obſequatur eccleſiae. *Ottocarus*, rex Bohem. vouet *aſiaticam* expeditionem.

1274 Hegirae 673. d. 17 Iul. Concilium *Lugduni* oecumen. Frideric. Burggrauius de Nürnberg et *Godfrid* comes alius inter oratores. Rudolfi dicunt, *nec litteras nec latinam linguam nouimus*, *Raynald.* n. 7. Graeci legati aduenium; ſeſſione 5 conſtitutiones de *conclaui*. Moritur *Thomas* Aquinas, et in concilio *Bonauentura*; epiſtola vniuerſitatis pariſinae, qua petit illius corpus et libros, *Bulaeus* p. 408 ſeq. *Sexta* et vltima ſeſſio vetat *nouos ordines*. Papa *Alfonſum* et *Ottocarum* contra Rudolfum porro agentes, pluribus epiſtolis reprimit; Cpolin ſcribit; Graeci vnionem non admittunt. *Ottocarus* in comitiis Auguſtanis proſcribitur.

1275 Hegirae 674. d. 27 Iun. Moritur *Raymundus* de *Penna forti*; *Alfonſus* reſumit inſignia imperii, ſigillo imperiali vſus epiſtolas varias mittit. Aepus Toletanus in acie contra Mauros occiſus. Papae verboſa conſtitutio in Alfonſum Luſitanum, ſine fructu; *Raynald.* n. 21-28. nec paruit papae epiſtolis *Iacobus* rex Aragon. *Rudolfus* Lauſannae papae iuramentum praeſtat de iis, quae oratores *Lugduni* promiſerant; *Raynald. decimae* in ſexennium ſacrae imperatae, pro terra ſancta *Ioſepho* patriarcha graeco deiecto ſuffectus eſt *Ioh. Beccus*. *Magnus* fit rex Sueciae loco Waldemari.

1276 Hegirae 675. d. 15 Iun. Gregorio X ſuccedit *Innoc.* V. huic *Adrianus* 5, huic *Iohannes* XXI. ſeu *Petrus* Hiſpanus; parum ei honori aptus. Formula clientelaris *Caroli* regis Siciliae erga papam, *Raynald.* n. 38 ſeqq. Statutum Pariſiis aduerſus *librarios* ſeu *ſtationarios*, ne libros iuſto carius vendant; aliud de *determinationibus*, vt expenſae moderentur. Concil. *bituricenſe* de feſtis *nationalibus*, (*Guilelmalia*, *Carlomagnalia*) *Bulaeus* p. 431.

1277 Hegirae 676. d. Iun. Papae continuae querelae *de terra ſancta*; decimas comiti *Flandriae* eam in rem tribuit, et regi Aragoniae in *Mauros*; fruſtra admonet regem *Luſitaniae*, vt ſacris iuribus abſtineat. *Carolus*

Pto-

A. Chr.

Ptolemaidis dominium auxilio *templariorum* ad se transfert. Ruina palatii opprimitur *Iohannes* 21; post eius mortem graeci legati aduenium. *Stephanus* ep. parisinus iterum errores varios damnat; *Bulaeus*, biblioth. patrum, d'*Argentré*. Synodica graeca *Romam* missa cum fidei professione, *Raynald.* n. 34 seqq. *Nicol.* 3 papa suffectus Iohanni.

1278 Hegirae 677. d. 25 Mai. Actum porro cum Graecis de coniunctione; Palaeologo multi insidias ideo struunt; Epistolae papae ad *Abaga* Can et *Cublai* Can; *Beguinam* niuellensem rex *Philippus* gall. consulit, de reginae scelere et infamia; victoria Rudolfi ab Ottocaro; ille per Conradum Minoritam, oratorem, papae Ottonis 4. priuilegia confirmat. *Carolus* rex Sicil. et Hieruf. promittit, cum Sicilia numquam se imperium coniuncturum; Etruria is cedere a papa iubetur et a *Vicariatu* imperii. doctrina *Ioh.* de *Oliua*, Minoritae, examinata; *Rogerii Bachonis*, angli, minoritae, a legato papae doctrina damnata. *Martinus Polonus* aepus gnesensis denominatur. *Raym. Martini* scribit *pugionem fidei.*

1279 Hegirae 678. d. 14 Mai. Legatus papae in Hungariam venit; Hungari enim vitam christianam fere obliti erant; nec rex legato paruit, chronic. *Salzburg.* Pezii; Raynald. Synodus a legato *Budae* habetur appendix *Rayn.* *Otto*, marchio brandeb. procurator Bohemiae. Floret cantuar. aep. *Ioh. Peckam*, *Aegidius Romanus*, *Wilhelm. Durant* Regi Lusitaniae, *Alfonso*, qui noluit a papa regi, succedit *Dionysius* fil. *Magdalenae* corpus inuentum in Gallia. *Hastiludia* a papa denuo vetita. *Alfonsi*, Castellae, iniurias in papae ius ecclesiasticum, 7 articulis recenset *Raynald.* n. 24. *Boamundus* Antiochiae princeps Saracenis vsus est aduersus epum tripolit. et templarios. *Ranulfus* epus parisiensis, post *Stephanum* floret; etiam *Guil. Varro*, angl. e commentario eius in libros sentent. *Scotum* multa sumsisse dicunt.

1280 Hegirae 679. d. 2 Maii. *Templarii* mittunt legatum ad auxilia Syriae quaerenda; papa auget *missae* caerimoniam nouis carminibus *pro pace*, *Rayn.* n. 17. *Nicolaus* moritur, ei suffectus post tumultus varios *Martinus* 4.

Ini-

A. Chr.

Initia rebellionis in *Carolum*, per *Ioh. Prochytam*, cui et *Nicolaum* conſenſiſſe narrant multi; apud Inſulam *Maioricam* per Genuenſem mercatorem *Inghetium*, dicuntur multi *Hebraei* ſacra chriſtiana amplexi. Floret *Thaddaeus*, florent. medicus, Trithem. *Albertus* M. moritur. Collegium *Harcurianum* Pariſiis inſtituitur.

1281 Hegiræ 680. d. 22 Apr. Papa imperatoris *vicarios generales* in Italia confirmat; iubet Galliae praeſules hortari chriſtianos, vt *teſtamentis legent* opes in bellum Syriacum; excommunicat imper. graecum, vt eo facilius *Carolus* bello adire poſſet; huic filia *Rudolfi* nubit. Rex *Hungariae* eiicit legatum, *cumanarum* mulierum amator. Multa diſcordia Pariſiis. *Mariaeburgum* in Pruſſia conditur. Moritur *Conradus* de *Mure*; eius ſcripta *Oudin.* tom. 3 p. 476 recenſet.

1282 Hegiræ 681. d. 11 Apr. *Abaga Can* veneno perit, cum Tatari et Armeni Saracenos vehementius preſſuri viderentur. *Carolo* decimae ſacrae in *Syriacum* bellum tribuuntur; *decimas lugdunenſes* aep. Magdeb. vetuerat in ſynodo prouinciali; *Osnabrugenſis* ſuas in res verterat, alii partem defraudabant, *Raynald.* n. 7. *Anathema* in *Michaelem* palaeol. etiam cenſura in regem Aragoniae *Petrum*, ſocium Michaelis in bello contra *Carolum*. *Veſperae Siculae*. *Alfonſus* Caſtellae, Saracenorum auxilia contra filium Sanctium adhibet. *Minoritae* impetrant a papa, ius *confeſſionum audiendarum*, ſine venia ordinariorum. Moguntini *Iudaeos* eiiciunt; idem aliarum vrbium ciues faciunt. *Vecco* ſucc. *Ioſephus*.

1283 Hegiræ 682. d. 1 Apr. Papae in *Petrum* Aragon. ſacrae ſententiae; eius regnum *Gallis* datum; forma iuramenti a nouo rege praeſtandi, Raynald. *Decimae* lugdunenſes pro Sicilia effuſae; Alfonſus contra Sanctium fil. papae auxilium implorat. Epus *cracouienſis* dicitur Lituanos in Poloniam incitaſſe; rex Angliae ſacras decimas ſibi tribuit, Nouus rex Tatarorum, Abagae frater, antea chriſtianus Nicolaus, iam *Muhamed Can*, chriſtiana ſacra inter ſuos omnino euertit. *Michaeli* mortuo ſuccedit fil. *Andronicus*. Pariſiis conuentus academiae plures aduerſus priuilegia mendicantium.

A. Chr. 1284 Hegiræ 683. d 20 Mar. Cruciata in Siculos a papa proclamatur; *decimae* Galliis imperatae in vſum Caroli. Impoſtor *Fridericus* 2 in Germania prodit. *Raynaldus* n. 28 recenſet regis Luſitaniae ſtatuta contra papam: non voluit *decimas* dare de praediis regiis; vetuit *eccleſiaſticos praedia* comparare; vectigalia impoſuit eccleſiaſticis, qui pecuniam e regno efferant Pariſios aut Romam; praedia a morituris eccleſiis donata libera eſſe non patitur. Rex angliae multa a papa petit, quae papa non concedit, Raynald. n. 36 ſeqq. *Gregorius* Cyprius, Cpoli patr. floret. *Alfonſus* caſtellae moritur (alii 1285), qui *hiſpanicam* linguam coli iuſſit, etiam biblia in eam transferri. *Sanctius* ſucceſſit.

1285 Hegiræ 684. d. 9 Mart. Moritur poſt clades varias ab Arag. rege acceptas *Carolus*; papa *Martinus* moritur, *Honorius* 4 ſuffectus; qui *arabicae* linguae ſtudium pariſiis promouit vid. *Waddingii* annales *Rudolfus* queritur, *decimas Germanicarum* eccleſiarum regi Galliae conceſſas eſſe; moritur *Philippus* rex Galliae, pro eo papa *orationem dominicam* recitantibus dat indulgentias; *Philippus* pulcher ſucceſſit. Tantum in 4 caſibus collectas fieri poſſe in Sicilia, papa ſtatuit; Raynld. 33 *formula* generalis ſubuentionis, n. 58. Cumani Tataros in Hungariam inuitant. Quaeſtio de *Aegidii Romani* doctrina. *Duranti*, ille ſpeculator, fit ep. mimat. *Arnaldus* de *villa noua* floret.

1286 Hegiræ 685. d. 27 Febr. *Rudolfus* coronam imper. a papa poſtulat per epum baſil. *Legatus* papae in Alemanniam, in quam iam diu nullus venerat, miſſus; idem in *Bohem. Daniam*, *Sueciam*, Pomeran. Papa *Iudaeos* in Anglia iubet compeſci; Dux *Wratislauienſis*, qui epiſcopum eiecerat, anathemate percuſſus; *Henricus* rex Cypri *Ptolemaidem* Carolo Siciliae eripit. Rex *Norwegiae* vetuerat, clericis vendere *ſterlingos* aut aliud argentum; eum papa iubet legem tollere. *Apoſtolicorum* ordo ſublatus; *Guilielmitas*, papa exornat. *Iacobus*, *Petri* aragonii fil. coronatus rex Sicil. eius autem frater *Alfonſus* rex Aragoniae. Orationes ad nouum regem Galliae Pariſiis, Bulaeus p. 475 ſeq. Aep. cantuar. dam-

na-

A. Chr.

nat haereſes in Anglia, de corpore Chriſti. *Iohannis* Ianuenſis, de Balbis, Dominicani, *catholicon* hoc anno compilatum.

1287 Hegiræ 686. d. 26 Febr. *Georgii* Cyprii. qui ab a. 1283 patriarcha Cpol. fuit, *tomus ſynodalis* contra *Ioh. Veccum*, inchoatur, a ſeq. abſolutus, Lambec, *Oudin.* p. 563. *Honorius* reſcindit foederis conditiones, quas *Eduardus* inter Alfonſum arag. et *Carolum* 2 Siciliae ſcripſerat. *Tatari* Poloniam affligunt. *Honorius* moritur: ſucceſſit poſt menſes decem Nicol. 4 primus e Minoritis. Puer *Wernherus* a Iudaeis Weſaliae occiſus dicitur. *Arlotus* de Prato, generalis minorum, moritur, cui in *Conformitatibus* tribuuntur *Concordantiae*, quas poſt *Antoninum* alii Hugoni tribuunt *Guido* de *Columna* ſcribit libros 34 hiſtoriae Troianae. *Pontius Carbonellus*, minorita, floret, qui *catenam* e patribus in biblia collegit.

1288 Hegiræ 687. d. 4 Febr. Papa per Minoritas ad regem et reginam *ſlauorum* ſcribit, de fide catholica, *Raynald.* item ad Reginam *Tuctanem* Tatarorum, atque *Argun* regem Tatar. Papa in *feſto niuis* comparentibus in baſilica *Mariae* maioris dat indulgentias 3 annorum: *per Mariam intratur ad Chriſtum* &c. *Carolus* claudus duris legibus e carcere exit.

1289 Hegiræ 688. d. 25 Ian. Papa coronat *Carolum* Sicil. conditiones habet *Raynaldus*. Controuerſia de 40 articulis inter regem Luſitan. et clerum, componitur; de regio *iure patronatus;* excommunicatores rex banniri facit &c, ibidem; papa ſcribit ad *Cublai can* et alium principem Tatarorum, qui *Latinos* fidei magiſtros pati dicebantur; (Wadding plura habet.) Papa iubet aepum colonienſem e captiuitate dimitti: reuocat *conſtitutionem de conclaui;* ſcribit ad Regem *Armeniae* et ſororem eius *Mariam;* multa papae ſtudia in *Syriam* iuuandam; rex *Eduardus* crucem ſumſit. *Georg.* Cyprio ſucc. *Athanaſius* 1.

1290 Hegiræ 689. d. 14 Ian. Papae *encyclica* de ſtatu Syriae funeſto; excuſat Rudolfo, quod Gallo *decimas* in dioeceſibus germanicis dederit; queritur apud regem *Philippum*, quod iniurias in eccleſiam is nondum correxerit; easdem querelas regi Anglorum oggerit. In Suecia poſt *Magnum* mortuum *Turkillus* regni

A. Chr.

procurator *Carelios* christianis legibus subiicit. *Rodericus* minorita creatus epus *Marrochii*, et legatus in *Africa*. Academia *Vtyssiponensis* a Dionysio conditur, bulla papae ap *Bulaeum* p. 493, In Anglia ob regnum *Scotiae* varia studia valent; *Iudaei* paulo post ex Anglia pulsi. Turbae in Hungaria post *Ladislai* mortem; *Caroli* 2 filius Neapoli rex Hungariae creatus; Hungari *Andream* eligunt *venetum*; *Rudolfus* id filio suo *Alberto* procurat. *Robertus* Gallus floret, cuius *visiones* seu *reuelationes* et sermones habentur.

1291 Hegiræ 690. d. 3 Ian. Pessum eunt res christianae in Syria; papae encyclica admonet, sub *cruce* mori, esse initium perennis vitae; Rayn. n. 3. passagium in a. 1293 indictum. *Ptolemais* a Saracenis capta, in quâ 6, 7 *dominia*, (*Templarii*, *Hospital. Teutonici*, Pisanus consul, rex Cypri, rex Carolus) praedones cruciferi Sultanum prouocarant. *Clarissae* sibi hic nasum abscindunt, vt a Saracenis defendant corpus. Aliam papa emittit Epistolam, vt bellum in Syria geratur; alias ad orientales principes. *Wilhelmus Cheivi* et *Matthaeus* minoritae legati sacri inter Tataros; *Bulgarorum* etiam *imperatorem* (sic nominat) et aepum suscitat. Moritur *Rudolfus*, imper. cuius *Epistolae* multae in biblioth. *vindobonensi* exstant. *Alfonso* arag. succedit frater *Iacobus*, qui Siciliam tenebat, quem ideo regno isto prohibere per epos papa studet. *Indulgentias* multas tribuit adituris *lateranensem* et alias basilicas. *Nazarethana* per angelos domus in Dalmatiam transfertur; multae nugae apud *Raynaldum*; atque hoc praemio occidentalium expeditiones satis compensatas recte putat *Spondanus*.

1292 Hegiræ 691. d. 13 Dec. *Alfonsus* nassou. eligitur. Papa *crucem* proclamat in auxilium *Armeniae*. Rex Angliae postulat *omnium regnorum decimas*, quorum reges non in Asiam eant. Moritur *Nicolaus* idolum Minoritarum; sedes vacat 2 annis. Anima candida duciſſae Poloniae, *Kingae*, ab angelis *canentibus hymnum* (regnum mundi) in caelum aufertur. *Iacobus* genuens. aepus fit cardinalis, quem quidam biblia *italice* transtulisse narrant post *Sixtum* senensem.

Bel-

A. Chr.

Bellum inter Anglos et Gallos oritur; inter *Genuenses* et *Venetos*. *Henricus* gandau. archidiac. tornac. moritur. *Athanasio* Cpoli succ. *Ioh.* Sozopol.

1294 Hegiræ 693. d. 21 Nou. *Caelestinus* 5 fit papa, *asini* frena tenet rex Sicil. et Hungar. cardinales pompam augustiorem malebant, non ad suam, sed ad Christi gloriam. Renouat Gregorii X decretum de *conclaui*; *caelestinorum* ordinem (cuius auctor fuit) priuilegiis auxit; eius *imperitia* ridetur et luditur a curialibus; abit igitur a pontificatu. Eius simplicitate dicuntur *Bizochi* et *Fratricelli* praecipue succreuisse, specie *regulae* Francisci strictae. *Nazarethana* Domus e *Dalmatia* iam in *Italiam* translata in siluam matronae *Lauretae*; (*Tursellini* Historia, quam alius Iesuita, *Roestius* defendit.) *Guiartus* des *Moulins* absoluit *gallicam* translationem bibliorum

1295 Hegiræ 694. d. 10 Nou. *Marci Pauli*, *Veneti* commentarii de *regionibus orientis* italice scribuntur; latine translati saepius excusi. *Bonifacius* 8 fit papa, inter tristia prodigia. *Exemtio* mendicantium per papam, turbas multas creat. Ad hunc scripsit *Arnoldus* de villa noua, medicus, *quaestiones*; idem contra pseudo-theologos et religiosos mendicantes varia scripsit, *Oudin.* p. 617. Siculi *Fridericum*, aragoniae regis Fratrem eligunt, inuito papa. Poloni ducum varia consilia sub vno capite melius coniuncturi *Primislaum* creant regem. Iudaei 2 in castellae regno promittunt signa redemtionis nouae; *signa crucis* in Iudaeorum vestitu comparent; (*Fortalitium fidei* narrat, lib. 3 consid. 10 mirab. 10.) Initia discordiae inter *Philippum* regem et papam; *Bulaeus* p. 513. *Friderico* siculo papa spondet nuptias cum *Catharina* Cpolit. imperatrice; et imrium *Andronico* eripiendum.

1296 Hegiræ 695. d. 30 Oct. Siculi *Fridericum* coronant; papa publice vetat, et *Carolo* attribuit decimas; eius fil. *Ludouicus* intrat ordinem *Francisci*, fit epus *Tolosanus*, aetatis venia impetrata. Rex Scotiae, Galli socius, a rege *Eduardo* regno priuatur. Papa non ob-

A. Chriſti

ſtante iuramento, aepum moguntiae iubet *Adolfi* apparatum in Gallos impedire; vetat clericos vectigalia, decimam, viceſimam &c. ſoluere, ſine facultate papae; Regis Philippi *conſtitutionem* nouam papa reprehendit, et quod *Adolfum* laeſerit, cum tamen *Burgundia* ſit feudum imperii. In *Polonia Ladislaus*, loćticus fit rex, occiſo *Primislao* in pugna aduerſus Marchiones brandeb. in Pomerania.

1297 Hegiræ 696. d. 19 Oct. Papa crucem contra *Columnenſes* proclamat, qui variis libellis ſparſis papae infamiam creant, et negant *Caeleſtinum* legitime a papatu abiiſſe. Papa *Iacobum* Arag. facit regem *Corſicae* et Sardiniae, et ducem cruciferorum; *Philippo* regi plura concedit, *conſtitutionem* mollit; idem concedit Bohemiae regi, Wenceslao, vt a clericis ſubſidia colligat. *Petrus Ioh. Oliui*, minorita, moritur, quem Franciſcani ſtudioſe defendunt; vid. *Bulaeus* p. 575 ſeqq. *Fratricelli* et *Bizochi* augentur. *Ludouici* regis Canoniſatio. Multorum animi ab *Adolfo* auerſi.

1298 Hegiræ 697. d. 8 Oct. *Albertus* auſtriac. Adolfo opponitur, hic in praelio occiſus. Papa conſolatur regem et patriarcham *Armeniae* bonis verbis; diſcordia Templariorum et regis Cypri, inſulam turbat. Liber *ſextus decretalium* proditur. Calamitas Iudaeorum publica, quia hoſtiam in mortario contuderint. *Ioh. Scotus* floret.

1299 Hegiræ 698. d. 28 Sept. Praeneſte, quia pontifici rebellauit, exciſum, ſale ſeminato. Papa cum rege Angliae de iure in *Scotiam* litigat; rex ius ſuum tuetur; papae plures Epiſtolae ad *Philippum*; priuilegia baſilicae *lateranenſi* data, eiectis Auguſtinianis. Vetat ne corpora mortuorum aqua coquantur, aut exurantur. Rex Cypri metuit a potentia *Templariorum* in regno ſuo; papa feucritatem regis mollitum it. Epiſtola longa papae ad dominicanos, *miſſionarios in terras orientales et aquilonares*, Raynald. n. 39 ſeqq. *Hayto*, hiſtoricus Armenus, intereſt variis praeliis contra Saracenos. In Germania mos, mulieres obſeruare ſacras vigi-

lias

A. Chr.

lias *ad tumulum crucifixi;* mane autem excitare presbyterum, vt de monumento tollat, Suffrid. Petri, lib. 2. Epitomes. Papa tandem *Albertum* confirmat roman. regem. *Carolus Robertus*, e filia *Rudolfi*, puer coronatur rex Hungar.

1300 hegiræ 695. d. 16 Sept. Annus *Iubilaeus*, peccatorum indulgentia fit frequentiſſimus; multa dona. *Wenceslaus* pulſo Ladislao fit rex Poloniae. *Caſſanus*, chriſtian. rex Tatarorum, Sultanum Aegypti proſternit, *Haython.* c. 41. Carolus Saracenos iubet aut baptizari aut terra excedere. Ab hoc anno ſolent ſcriptores initia imperii *Turcici* repetere, ab *Othmanno.* Papae vehementior epiſtola ad Philippum, ob comitatum melgorienſem aepo narbonenſi ſubductum.

SECVLVM XIV.

CAP. I.

De statu publicae doctrinae praecipue inter Latinos.

Cum nobis iam maxime contrahenda sint vela primum ei rei dabimus operam, quae est praecipua; vt publicae doctrinae illa capita recenseamus, quae sunt etiam ad nos magni momenti: vnde appareat, semper fuisse homines erecti ingenii, qui sacrorum publicorum *emendationem* suo modo adiuuare ausi sunt; sed et documenta *ineptiarum* theologicarum hic occurrent. Aliarum rerum aut breuior esse potest recensio, e.c. papalis potestatis tenuior iam formula, *Schisma illud occidentis*, &c. aut in tabula attingi possunt. Hoc autem caput est frugiferi et amplissimi argumenti. Longo ordine talia recenset d'*Argentre*, e quo praecipua describimus. *Arnaldi* de villa *noua* multi libelli *gallica lingua latinaque* scripti, damnati fuerunt ob errores varios; *Antichristum* instare, ante 1400; in populo christiano diabolus nil dimisit, *nisi pellem*, apparentiam cultus ecclesiastici; apostasia regnat in toto corpore Christi, a planta pedis ad verticem; opus misericordiae deo magis placet, quam sacrificium altaris; papa consultat tantum de humanis. Anglus quidam Eremita in templo *Paulino* londinensi docuit: ea sacramenta, quorum iam vsus in ecclesia est, non esse a Christo instituta. In *viennensi* concilio 1311 papa *Clemens* 5 damnauit: si quis dubitat aut negat, substantiam animae rationalis esse formam corporis humani; statuendum autem, baptismo paruulis sicut adultis conferri *gratiam informantem*, praeter culpae ablationem. Contra *Begardos* et *Beguinos* in Alemannia; hi statuunt, posse hominem impeccabilem fieri; in hoc gradu perfectio-

nis non opus est *ieiunare*, orare — nec obligari talem ad praecepta ecclesiae; in *eleuatione* corporis Christi non est assurgendum; inquisitores videant, de *fidei articulis* et ecclesiae sacramentis. — per baptismum non conferri gratiam informantem. *Durandus*, epus mimatensis, aduersus *exemtiones monachorum* disputauit; exstat Tomo 4 Bulaei. Mulier quaedam 1310 parisiis tradit librum Theologis, in quo statuit: animam *annihilatam in amore* creatoris, posse naturae concedere, quicquid appetit. Magistri *Oxonienses* 8 articulos reprobant, in scholis *Fratrum Augustin.* defensos: potuisse deum patrem produxisse creaturam *ante verbum*, origine, natura, vel tempore; *redemtio* alio modo fieri potuisset sine Christi incarnatione. A. 1315 in Austria multi haeretici combusti, *Trith.* in hirsaug. deridebant sacerdotium, missam et sacramenta; Maria peperit hominem, non angelum, ergo virgo non mansit. Per 12 ministros, Apostolos, totam Germaniam quotannis visitarunt; romanam ecclesiam Christi non esse; merita sanctorum spernebant — omnes summa cum hilaritate in igne perierunt. Hi per *Bohemiam*, *Austriam*, *Thuringiam* multi fuerunt. Pag. 285 *Ioh. Duns* Scoti, ordin. minor. temerariae opiniones, quas veteri Theologi solent improbare; diuinas proprietates et a se et ab essentia dei distingui *formali distinctione*, ex natura rei. In diuinis sunt prioritates et posterioritates; *diuersa instantia* durationis, formaliter distincta, esse in aeternitate. — non quaeuis caritas, (in remisso gradu si est actus) iustificat — caracter in baptismo collatus non est aliquid in anima reuera impressum, sed est extrinseca denominatio, quia hoc factum infectum fieri nequit; esse actus voluntarios plane indifferentes, in esse morali — res prohibitas in 2da tabula, per se malas non esse! *Iohannis* 22 constitutio 1317 aduersus Begardos et beguinas: *fingunt* 2 *ecclesias*, *carnalem*, diuitem, romanam; et *spiritualem*, in qua ipsi sint; omnes clericos carere auctoritate; iurare vetant; sacerdotes peccatores non posse conficere; Euangelium *fuisse*

inter ipſos obtectum et exſtinctum &c. Iohannes hic *Clementinas* quidem publicauit, quae *ſtatum* omnem *Beguinagii* damnant; ſed ſuccreuit porro hic ſtatus; alia conſtitutione diſcrimen *Beguinarum* piarum fecit. Plures ſententiae Ioh. contra Haereticos in Italia, habet *Bzouius* a. 1322; eius litterae aduerſus haeret. in *Bohemia* et *Polonia*, ad epum cracouienſ. Raynald. 1318. In *Baluzii* miſcell. tomo 1. pag. 213 ſeqq. exſtat Epiſtola Magiſtrorum, qui *articulos* iſtos de *Poſtilla* fratris *Petri Ioh. Cliui* ſuper *Apocalypſi* extraxerunt et damnarunt; in prologo is *ſeptem ſtatus* et periodos eccleſiae deſcribit; *ſextus* eſt: renouationis vitae euangelicae, expugnatio *antichriſtianae* — *quintus* coepit a tempore patris noſtri *Franciſci* — per *meretricem* intelligit *eccleſ. romanam*, quae portetur a diabolo, eccleſia *carnalis* — in *ſexto tempore* ordo quidam *euangelicus* (Franciſc.) ſubiiciet ſibi regna paganorum (ideo Franciſcani tam ſedulo *miſſionibus* dederunt operam.) — exterminium totale eccleſiae, quae nunc eſt, fiendum per 10 cornua ſeu reges. — *Ioachim* de Friderico 2 et eius ſemine — et ipſe Franciſcus *ſecrete* fratri Leoni *reuelaſſe* dicitur — quod Fridericus in ſemine ſic reuiuiſcat tempore myſtici antichriſti, vt non ſolum romanum imperium ſed etiam *regnum Francorum* obtineat. (Hinc patet, cur *Franciſcani* praecipue imperatoribus operam dederint) — *Michael* Caeſenas, ord. minor. 1328 ad concil. generale prouocauit, *a papa velut haeretico*, quod in fide et moribus *papae praeeſt*, ſicut ſuperior; papa enim *errare poteſt* in fide et moribus, ſicut plures romani pontifices exciderunt a fide. — Frater alius, *Bonagratia* de Pergamo, eumdem *Iohannem* in conſiſtorio publice et in ſcriptis corripuit, et vt ab erroribus ſuis reſiliret admonuit; (*Ockam* in compendio errorum Ioh. 22.) Papa hos tres excommunicauit, Martenii theſaur. tom. 2. p. 740. vbi et plura ad hanc cauſſam pertinentia ſequuntur. A. 1329 frater *Veranus*, qui contra papam publice praedicarat, ad eius praeſentiam adductus, nullum ei fecit reuerentiam;

in

in faciem dixit, quod erat haereticus, non papa. Similia in proceſſu papae contra *Ludouicum* bauarum occurrunt, *Martene* tomo 2. p. 641; in *Ockami* defenſorio contra Ioh. 22. et in alio libro eius, *Opus* 90 *dierum*, idem in *dialogis* ſtatuit, omnes clericos et epos eccleſiae *in haereſi* verſari poſſe. Praeter iſtas ſerias nugas *de paupertate* quaeſtiones aliae motae et definitae; e. c. Iohannis de Poligniaco, ſorbon. doctor, qui ſtatuebat, *confeſſiones* proprio ſacerdoti, faciendas, licet monachis iam factas, ſententias Iohannes idem reprobauit; hanc papae conſtitutionem (*Vas electionis*) Gerſon dixit eſſe irritam, quia eo tempore papa *haereticus* fuit. *Ioh. de Ianduno*, gallus, et *Marſilius de Padua*, pariſienſes magiſtri veniunt ad *Ludouicum* bauarum, et ei confirmant, *imperium non ſubeſſe eccleſiae;* fuit enim hoc, ante, quam haberet eccleſia aliquid; nec regulari debet imperium, per regulas eccleſiae &c. contin. *Nangii* a. 1326; a. ſequenti papa damnauit errores horum magiſtrorum, verboſo edicto (Licet iuxta doctrinam &c.), eorum rationibus reſpondere conatus — imperium per Papam *ad Latinos a Graecis translatum fuit* — dicunt, quod omnes ſacerdotes, papa, aepus, ſimplicesque, ſunt ex inſtitutione Chriſti auctoritatis et iurisdictionis aequalis — quod eccleſia tota non poteſt vllum hominem punire, coactiua punitione, niſi concedat imperator; ſed dixit Chriſtus, *quodcunque ligaueris*; ligantur autem *inuiti* (i. coacte, ſcilicet.) Paulus: *in virga veniam* ad uos, indicat, poteſtatem coactiuam, ſine imperatore. Haec decreta *Marſilii* etiam *in linguam gallicam* translata fuerant, *Bulaeus* tomo 4. p. 216. ſimiles articulos *Petri* de *Cugneriis*, conſiliarii Philippi, habet; refutatum iuit *Bertrandus* ep. eduenſis in bibliotheca patrum. Papa a. 1329 damnauit articulos *Ekardi*, dominicani; 1. quam cito deus fuit, tam cito mundum creauit. 2. concedi poteſt, mundum fuiſſe ab aeterno; ſimul et ſemel, quando deus filium genuit, etiam mundum creauit. In omni opere, etiam in malo culpae et poenae, manifeſtatur gloria dei; deum quis

blas-

blasphemando, deum laudat. transformamur totaliter in deum, ſicut panis in corpus Chriſti; quicquid deus pater dedit filio in humana natura, hoc totum dedit mihi; quicquid SS. dicit de Chriſto, hoc etiam verificatur de omni bono homine — feramus fructum, *non actuum exteriorum*, qui bonos non faciunt, ſed *interiorum*, quos pater in nobis operatur — omnes creaturae ſunt vnum purum nihil; homo bonus eſt ille vnigenitus dei filius, quem pater aeternaliter genuit &c. Obſeruo, hic *easdem ſententias eſſe latinas*, in Papae hac bulla, quas *Moshemius* iam ſeculo 13 recenſet, *e libris ſecretioribus* ineditis, germanicas, *inſtitut.* hiſtor. eccleſ. in 4. pag. 552 ſeq. Etiam iſta: *aliquid eſt in anima, quod eſt increatum* et increabile; *deus nec bonus nec melior, nec optimus*, habentur in hac Bulla ap. d'*Argentraeum* pag. 313. quod mirum eſt, *Moshemium* non vidiſſe; ſunt articuli 26, et iſti 2 poſteriores. *Trithemius* hunc M. *Ekardum* dicit Saxonem, et praecipuum *ariſtotelicum* fuiſſe; exſtare autem talia in eius expoſitione, *in Euangelium Iohannis.* Cum vero papa damnarit iſtos articulos, vel id ſufficit, vt intelligamus: minime peruerſum aut eius generis ſenſum vſumque iis ſubeſſe, quam ſolet cetera romanae eccleſiae doctrina ſecum ferre, ſed *Eckardum* frigida iſta et infrugifera dogmata, quibus vel peſſimus quisque ſuperbire ſolebat, ſalubrem in modum informaſſe; cuius generis ἦθος, ſi quis velit nomine inuidioſo *Pantheiſmi* deſcribere, non video, qua id ratione fiat, ſic, vt tamen Chriſti et Apoſtolorum philoſophia tandem omnis non ſimili modo inuerti queat. Iam a. 1331 ſequuntur lites multae, ob Iohannis ſententiam *de viſione beatifica*, ſeu quod deum per eſſentiam animae decedentium non viſurae ſint, ante reſumtionem corporum; operae non eſt pretium iis recenſendis immorari, quae ad hanc ineptam controuerſiam pertinent. De *cauſſa efficiente* peccati, et Franc. *Mayronis*, (in 2 ſentent. diſt. 43 qu. 4) et *Thomas Bradwardinus* (de cauſa peccati, contra Pelagium) videbatur ita praecipere, vt deum non omni-

no

no abesse statueret; quia omnia eueniant de necessitate naturaliter praecedente, a voluntate diuina; *Augustinus* iam praeiuerat distinctionem causarum superiorum, primarum, et inferiorum — ista disputatio de *necessitate* tali porro continuata fuit ad *Wiclefum*, *Hussum*, *Lutherum*, *Baium*, *Ianſenium*. — de peccato *veniali;* nulla transgressio legis aeternae est venialis, *intrinsecus* (d'*Argentre* p. 327) sed ob misericordiam dei, (sic alii p. 334. 369.) De doctrina *Bradwardini* de necessitate etiam seculo 17 multi egerunt, Guil. *Gibieuf*, Ioh. Gonsales *de Leon*, qui eamdem sententiam tenuerunt; *Thomistae* distinctiones opponunt, p. 329. *Durandi* de S. *Porciano*, epi meldensis, dominic. temerariae opiniones, quae in scholis improbantur; tertia: *creandi potentiam* posse a deo tribui creaturae; sic et Lombardus; sed hic ille non tenetur. negat deum immediate *agere* in omni actione creaturae; 5. deus potest facere, vt *remanente subſtantia panis et vini* corpus et sanguis Christi essent in sacramento. — *hoc*, i. e. *contentum* sub hoc, est corpus meum. (Haec est illa *Lutheri* sententia.) In sacramentis non inest caussatiua virtus gratiae — recipit gratiam, *non a ſacramento*, *ſed a deo;* communis autem opinio affirmat. Character seu id, quo homo efficitur minister sacramentorum, non est nisi relatio rationis, *ex ordinatione* dei; sicut nummus sortitur rationem pretii; sic et *Scotus* censet. *Matrimonium* non est stricte et proprie sacramentum; sic et Petrus Ioh. *Oliui* iam statuerat. *Ordo* proprie est solum sacerdotium, non vero diaconatus &c. Multi habitus et actus scientiae sunt certiores *fide* et actu eius; statuit *fidem* diuinitus infusam etiam in haereticis reperiri. A. 1330 scotistarum antesignanus *Ioh. de Ripa* cum aliis docuit: fidem et caritatem non esse causam s. rationem *meriti*, sed diuinam *acceptationem* et *imputationem* — aliquis in puris naturalibus *potest acceptari* ad vitam aeternam; de *merito* ea ratione plures statuerunt, (etiam a. 1409 Petrus Plaout, mag. paris. *ſola acceptatio* Dei per se, est causa gratificationis; vnde viam

cogno-

cognoſcimus eandem, qua perrexerit *Lutherus*.) *Pariſiis* a. 1339 doctrina *Ockami* (iam 1327 *Ioh. Buridanus* eamdem *nominalium* doctrinam tenuerat et ſec. 11 iam *Roſcelinus*) publice damnata ab *Ariſtotelis* fautoribus; eſſentiam ab exiſtentia non diſtingui, nec in deo nec in naturalibus cunctis rebus; *Scotiſtae* praecipue *Reales* fuerunt: *Peripatetici* mediam viam iuerunt, pag. 338; atque diu durauit illa controuerſia. A. 1340 Roberti *Holcot*, dominic. quaedam temere dicta; de notione *peccati mortalis*; ſi quis credit ſe bene faceré, quantumcunque malum operetur, ſola tamen intentione, vt ſeruiat deo: dico, quod non peccat mortaliter — quidam ſtatuerunt, *poſſe deum* falſum dicere, ſcienter, vt fallat creaturam — A. 1345 *Begardi* ſtatuunt: quod condemnati per papam aut inquiſitores, *erunt beati et martyres Ieſu Chriſti*. A. 1347 Pariſiis damnati fuerunt articuli 40 Iohannis de *Mercuria* (Mericour), ciſtercienſ. n. 26 probabile eſt in lumine naturali: non eſſe accidentia, *ſed omnem rem eſſe ſubſtantiam*; hoc poſſet probabiliter poni, niſi eſſet eccleſia, ea diſtinguit a ſubſtantia ſacramenti — idem ſtatuit *acceptationem*, qua ad gloriam ducimur, poſſe cuilibet bono vſui naturali noſtri arbitrii alligari; et plures *ſcotiſtae* aiebant: ſine dono ſupernaturali poſſe voluntatem creatam acceptari ad praemium. Multa diſputat, quod deus cauſſa peccati dici queat. De artieulis, a magiſtro *Nicolao* de Autricuria poſtea reuocatis, pag. 355. Modica certitudo haberi poteſt, ſi homines conuertant intellectum ſuum *ad res et non ad dicta Ariſtotelis* et commentatorum; propter ſermones *logicos*, deſerunt res *morales*. Iſta conſequentia non eſt euidens: *A* eſt; prius non fuit; igitur *aliud eſt*, ac A. Non poteſt euidenter oſtendi, quin quaelibet res ſit aeterna — deus et creatura nihil ſunt. Actus animae noſtrae aeterni ſunt. Publicus furor *flagellantium* inde ab a. 1349 vix tandem a papa repreſſus fuit. A. 1351 *Guardianus Franciſcanorum* in concione dixit: *ſanguinem Chriſti*, in paſſione effuſum, interea ſeparatum fuiſſe a perſona verbi; contradixe-

dixerunt dominicani, et reuocauit. A. 1356 *Iohannes de Rupeſciſſa*, minorita, ob praedictiones temerarias carceri traditus fuit: reditus eccleſiae in breui perdentur, populi eccleſiaſticos ſpoliabunt, ita, vt vix habeant victum; tota ſuperbia clericorum, vtcunque magnorum, concludetur in luto — hic frater ex *Apocalypſi* talia deriuauit; *Alchimiae* deditus fuit, ſed tempus inutiliter conſumſit; hic *Trithemius* etiam inuehit in hanc artem (in chronico Hirſang.) ſupereſt *copia prophetiae* fratris de Rupeſciſſa. Martini *Gondiſalui* deliriationes: ſe eſſe germanum S. Michaelis; locum Luciferi ſibi a deo ſeruari (ſed is *Franciſco* deſtinatus fuit;) aduenientem antichriſtum ſe ad ſingulare certamen prouocaturum. *Bertholdi* de *Rorbach*, e ſecta Begardorum, errores, 1356. Archiepus armachanus, *Richardus Radulfus* omnem operam dedit 1357, ſcriptis etiam libellis et apud papam, vt 4 ordines *mendicantes ab eccleſia* deleantur; eius liber, defenſorium Curatorum contra Priuilegiatos, et horum contra aepum typis excuſus habetur. A. 1368 Simon Langham aep. cantuar. damnauit varias ſententias, de ſalute *non baptizatorum*, pag. 388. error eſt, ſi quis dicit, *gratia*, quam communiter ponunt, eſt *truffa*. Errores Arn. *Montanerii* ordin. minor. (ex *Eymerico*) nemo poteſt damnari, qui fert habitum *Franciſci;* b. Franciſcus quotannis deſcendit in purgatorium, et extrahit animas (eadem tamen ſententia, *aliquoties exſtat in conformitatibus* Franciſci). *Petri* de *Bonageta*, ordin. minor. dicta de *euchariſtia* damnata 1371: ſi hoſtia cadat in cloacam, lutum, ſpeciebus remanentibus deſinit corpus Chriſti eſſe, redit ſubſtantia panis; ſic et ſi a mure corrodatur; ſi a peccatore ſumatur, dum ſpecies dentibus teritur, Chriſtus in coelum rapitur, et in ventrem non traiicitur. A. 1372 Papae *Gregor.* XI epiſtola aduerſus *Alberti*, halberſtad. epi errorem, quod omnia in hoc mundo *ex neceſſitate eueniunt*; exſtat ap. Raynaldum. — Apud *Germanos* a quodam anonymo haeretico vulgatus eſt liber hoc tempore: leges ſeu *ſpeculum Saxoniae*, errori-

roribus refertum. Papae *Gregor.* XI bulla aduerſus 20 volumina Raym. *Lulli*, patrio ſermone *catalanorum* ſcripta. In faſtis *pariſienſibus* a. 1376 exſtat ſcriptum, aduerſus errores *Marſilii de Padua* et *Iohannis de Ianduno*, in *gallicam linguam translatos*, d'Argentré exhibet pag. 397 ſeqq. *aliquis Theologus* credebatur transtuliſſe. Errores *Iohannis Wiclef* et monumenta eo pertinentia, Tomo 1 parte 2 pag. 1 ſeqq. longo ordine. *Wiclefi* praeceſſor fuit *Iohannes Bulle*; *Wiclef* autem euangelium, quod Chriſtus contulit clericis, *e latino* transtulit in *anglicam linguam*; *anglico ſermone* etiam confeſſionem fidei edidit; confer. Hiſtoria Vniuerſit. *oxonienſis*, et *Wilkinſii* concilia; excerpſimus autem plura ſeculo ſequenti, in cauſſa *Huſſi*. Fautores Wiclefi magiſtri plures fuerunt iſto tempore; atque poſtea non ſolum *Lutherus*, Lipſienſi in diſputatione cum *Eckio*, profeſſus eſt, multos articulos *Wiclefi* veriſſimos eſſe, atque iniuſtum eſſe, plura dicta aceruatim reprobare, non addita cenſurae ratione; ſed et Anton. *de Dominis*, in republica chriſt. lib. 1 c. 12 et *Suauis Polanus*, ſeu *Sarpius* ſimiliter ſtatuit — A. 1384 initium controuerſiae, inter *Dominic.* et Franciſcanos pariſienſes deſignatur, cum dominic. aliquis affirmaret, *Mariam conceptam fuiſſe* in peccato originali ſicut alii homines, illa quaeſtio ſupra centum annos in ſcholis et ſacris ſuggeſtibus agitata fuit, magno pietatis et modeſtiae ſcandalo, vt dicit ipſe d'*Argentre*. A. 1387 cenſura facultatis pariſienſis aduerſus ſententias Ioh. de *Monteſono*, qui Mariam dixit fuiſſe in peccato originali conceptam, is ad Clementem 7 prouocauit, quod academia aduerſetur *Thomae* doctrinae; *Petrus de Alliaco* coram Clemente *Auenione* defendit cauſam *pariſienſis* vniuerſitatis aduerſus Ioh. de *Monteſono*; iſta verba: Iohan. 17, *pater ſancte in nomine tuo ſerua eos*, applicat ad papam; ſunt inuenuſtiſſimae declamationes. Verboſiſſimus alius tractatus huius Petri, in eadem cauſſa, a pag. 75 ad p. 128; hic inter alia Petrus recte tenet, praeter papam etiam epos, theologosque poſſe ſen-

ten-

tentiam ferre; iſte autem Iohannes e. c. dixerat: irrationale eſt, quod ep. pariſienſis, qui quandoque *non eſt theologus, nec in ſacris ſcripturis peritus*, poſſit opiniones doctorum ſententialiter condemnare, p. 85. — *vnio hypoſtatica* in Chriſto, videtur eſſe *accidentalis*; eſt relatio, et ſecundum rem eſt in natura humana, non in diuina p. 90. Multa de merito *naturali*; — refutatur p. 97 theſis: non eſt contra fidem, ponere aliquod *creatum* vel aliqua creata eſſe, ſimpliciter et abſolute eſſe; p. 99 illa: neceſſe eſſe non repugnat eſſe cauſatum. p. 103, vario ſenſu aliquid *contra ſcripturam* eſſe dici poteſt. p. 109, *omnes* ſaepe dicitur de *maiori parte*; p. 113, in multis, ſine expreſſa auctoritate SS. ſufficit eccleſiae auctoritas, ad fidem faciendam; *haereſis* importat corruptionem fidei chriſtianae p. 113 multa de *Thomae* doctrina, quatenus ſit approbata ab eccleſia. Obſeruationes adduntur p. 120. 1. *Alliacum* diſtinguere inter *papam* et *romanam ſedem*; ille errare priuatim poteſt; illa non; (iudicium eporum *ſuburbicariis* eccleſiis praepoſitorum accedit.) 2. Verba Chriſti Matth. 16, 18. Luc 22, 32 ad catholicam eccleſiam referuntur; ad Petri ſedem romae *applicantur*. Sequuntur variae formulae *reuocationum*, per dominicanos, atque iſta exempla poſtea aliorum in inuidiam ita valuerunt, vt nihil ab eo tempore frequentius reperiamus, quam *mandari reuocationem* (externam illam, quae honorem et auctoritatem aliorum confirmat.) A. 1388 pariſ. crematus fuit liber *Thomae* apuli, de *eccleſiaſtici ordinis ſtatu*; in eo multa aduerſus virgines, eccleſiam et eccleſiaſticos proceres; non opus eſſe ſacramentis &c. A. 1389 *Petrus Seiplanes*, ſacrum viaticum hac formula dabat: credisne, quod *hoc eſt pater, fil. et Spir ſ.* credis, quod in Chriſto ſint *tres naturae*, humana, ſpiritualis, diuina? *Eymericus* contra eum ſcripſit. Liber *Ioh. Rusbrochii*, de ornatu ſpiritualium nuptiarum, (in quo dixit, noſtrum *eſſe* dependet ab eſſe increato, et ſecundum eſſentialem exiſtentiam *vnum* cum illo eſt; homines ſupra ſui creationem ſublimati in vitae

contemplatiuae altitudinem, vnum ſunt cum deifica claritate) a *Gerſono* reprehenſus fuit; defenſus a Ioh. de *Schönhauia* et *Surio*. Sub finem ſeculi in *Aluernia ſeditio ruſticorum* fuit, vt iam alibi antea aliquoties, contra nobiles et clericos. Quidam ſtatuerunt: quia Chriſtus, qui mentiri non potuit, dixit, ecce filius tuus; ecce mater tua, *Iohannem* fuiſſe *filium Mariae naturalem*. In dioeceſi *rhemenſi* publice docuit Ioh. de Varennis: non habemus nunc papam, praeter deum et Mariam, *noſtram papiſſam;* presbyteri *coniugati*, (mariez) ſacramenta non poſſunt adminiſtrare. *Pariſiis* determinatio facta 1398, ſuper nouis ſuperſtitionibus; multa *de pactis* cum diabolo, vnde patet, quibus deliriis homines ducti fuerint illi, qui tamen a *fide* non dicebantur aberrare; damnata autem hic fuit et illa theſis: per inuocationes daemonum, per *inuultuationes*, nullum vmquam effectum daemonum ſubſequi; deum enim, dicunt magiſtri, permittere talia; articulus 19: quod ſanguis *upupae*, hoedi, *pergamenum virgineum*, corium leonis, habeant efficaciam, ad cogendos daemones. (In *Bodino* et alibi falſo haec cenſura ad a. 1308 refertur.) A. 1399 multas turbas dedit ſacerdos aliquis in Italia, qui numerum *flagellantium* albatorum ad 70000 ad ſe traxit; cum papa, quia *Romam* tenderet, comprehendi iuſſit et comburi; pontificatum ſibi tribuere eum voluiſſe quidam confinxerunt.

Haereſes.

Iſto capite breuiter et *haereſes* quasdam recenſebimus, licet ea, quae iam collecta fuerunt, plerumque etiam *haereſibus* ſoleant annumerari. Omittimus calidas partium illarum lites, quae de *paupertate Chriſti*, de *immaculata conceptione Mariae*, de *beata viſione*, multis ſcriptis agitatae fuerunt; nihil enim ineſt ſalubris ingenii. Atque ſi noſtro iam iure abuti velimus, infandas turpitudines, exagitaremus, quas *Franciſcanis* licuit, Barthol. *Albizio*, piſano franciſcano, miniſtro, ſub finem ſeculi compilare et in publicam lucem edere,

edere, in isto infami et daemonico libro, *Conformitates Franciſci;* puduit tandem Romanos foediſſimi libri, poſtquam ex *Alcorano Franciſcanorum*, quem *Eraſmus Alberus* non ſine *Lutheri* auctoritate, germanice collegit, intellexerant, Germanos non eſſe chriſtianos aſinos; itaque vſitato artificio vſi barbaricas libri naenias expunxerunt, ſed ſatis negligenter. Suo enim ſe indicio, quaſi ſorex, iſta caſtrata bononienſis iunior editio facile prodit, et 2 antiquiores *mediolanenſes* eo cariores facit. Non hic locus eſt recenſendis obſeruationibus quorumdam amatorum hiſtoriae litterariae; vel ex *Baumgartenii* deſcriptionibus librorum bibliothecae ſuae talia copioſe peti poſſunt. Illud omnino verum eſt, his Franciſcanorum ſacris ſtercoribus religionem chriſtianam longe magis deriſui et taedio omnium ſanorum hominum expoſitam fuiſſe: quam multorum illorum ſententiis et dictis, qui dicuntur a religione chriſtiana auerſi eſſe; talem enim quis amaret? *Haereſes* igitur multae hoc ſeculo *Templariis* obiectae, quae omnem ordinem tolli et deleri iubebant, ſi fidem facile iis habemus, quae narrari ſolent. Atque negari quidem non poteſt, iam ſeculo isto 13, non raras eſſe ſententias hiſtoricorum, de perfidia, proditione et flagitiis *Templariorum*; nec dubitari fere poteſt, eos rem ſuam ita *chriſtianae* illi, cuius dubiam indolem ſatis intellexiſſe videntur, praetuliſſe: vt vel *Saracenos* ad ſocietatem ſuam iuuandam facile adſciuerint. Periit etiam, non ſine illorum culpa et malignitate, tandem longa illa ſpes, regni Franco-latini in Aſia, quod praecipue Francorum regum ſtudiis, bellisque et impenſis quaerebatur; nec ſuperiorem dominum, ſiue regem ſiue imperatorem, pati didicerant. Sed haec et eius generis plura *ad haereſin*, et quidem ingenio ſuo fere invſitatam perſpiciendam multo minus faciunt, quam paparum e. c. fere perpetua conſilia et ſtudia. Paulo poſt initium ſeculi iſta tragoedia inſtituta fuit aut acta. A. 1307 ſtatuta die *Templarii* omnes in regno Franciae ſubito capti et in carceres miſſi, cum *Magiſtro* transmarino. Crimina iſta ob-

iecta, quod *Ieſum Chriſtum* negarent, idolum, (caput tetrum, cranium,) oſculentur, in crucem vero ſputum iaciant aut mingant, Magiſtrum ſuum in nudo ano, (in ſpina dorſi, vmbilico, membro virili) oſculentur, a mulieribus quidem abſtineant, ſed fratribus miſceri iubeantur. Credere in deum creatorem, qui non mortuus ſit &c. Talia ex ipſis documentis et actis publicis multa legi poſſunt, in gallica *Hiſtoria Templariorum* per P. *Puteanum*, quae praeter editiones 4 a Moshemio nominatas, etiam pariſiis 1700 prodiit, cum actis *ſchiſmatis*, tempore auenionenſium paparum. Iſta etſi cuncta vera omnino eſſe vix aliquis pronuntiare auſit, tamen conficta tantum fuiſſe eo conſilio, vt rex et papa diuitias ordinis inuadere potuerint, minime ſtatuerim; quia iam a longo tempore, ob publica flagitia, *Templarii* mala apud omnes fere vtebantur fama, ſupereſſe etiam in Gallia prouerbium quidam narrarunt: bibit ſicut templarii. Publica certe flagitia, ſine ſimili priuata conſuetudine et lege quaſi, locum tam proprium et ſtabilem non habuiſſent. Immiſſi fuerunt *Hoſpitalarii* milites in bona ordinis. Iſta autem publica et priuata impietas ſuccreuit magnam partem, ex diuitiis, et ex inepta illa publicae chriſtianae religionis formula, ex piis fraudibus et falſis miraculis, quibus non ignorabant, ſatis gnari et experti, plebem ceteram turpiter duci; facile certe credimus, milites et nobili genere natos homines, etiam ſentiendi et intelligendi modum alium reperiſſe, qui religionis vim ingenuam nullam valere intelligerent, ſi *Saraceni* aut alii ſiue hoſtes ſiue amici aut vincendi eſſent aut fallendi; iactari autem quotidie noua myſteria et miracula, a quibus et *Muhammedani* et alii homines alieni, virtutis tamen humanae minus expertes et deo propiores eſſent. Hic igitur ordo, cum αὐτοσχεδιάζειν, etiam in ſacris publicis, videretur informaſſe; nec adduci poſſe ad regum in *Europa* leges: eo facilius papa conſenſit conſiliis regis Franciae, Cypri, Angliae &c. Ceterum non omnium militum fuiſſe eamdem militiae formulam, vel ex iſtis actis patet. Illud hic addendum, ha-

ben-

bendae quaestioni in Gallia praecipue praefuisse *Guil.* de *Nogareto*, cuius strenuam aduersus *Bonifacium* 8 industriam rex expertus fuit; et rem omnem secum hoc ferre, vt statuamus, quod iam *Kranzius* dixit in *Wandalia:* oportere non leuem fuisse occasionem euertendi ordinis, quem papae (et reges) antea tot priuilegiis ornarant. Minoris momenti sunt visitatioris formulae *haeretici; Dulcinus* aliquis, *Lombardus*, plura hominum millia duxisse narratur; triplicem religionis modum, sub patre, filio et nunc sub Spiritu s. docuisse dicitur; clericos et praelatos papae non esse bonos pastores; et alias sententias Fraticellorum. Eius populum immissis cruciferis in *Alpibus* papa dispersit; homo ipse cum *Margareta* captus et membratim concisus. De continuatis istis ineptis et ridiculis controuersiis, ob paupertatem, inter *Franciscanos* leniores, (de communitate,) qui vestes meliores gestabant; et seueriores, *spirituales*, qui sacrosanctam regulae auctoritatem etiam in *caputiis* seruari volebant: vix operae est pretium plura repetere; *spirituales* vel in Iohannem 22, quasi *antichristum* inuehebant; itaque hic *inquisitorum* ministeriis aduersus hos homines abuti solebat; eos autem *Ludouicus* bauarus sic defendit, vt similis ingenii omnes homines, *Beghardi*, *Beguinae*, *Fratricelli*, in Germania certe, locum tutum fere haberent. Aduersam autem fortunam sub *Carolo* 4 experiebantur, mutatis rei publicae iuuandae consiliis; itaque et creuit inuidia et infamia horum nominum, quae antea honore et fauore non carebant. Inde ab initio seculi *Antwerpiae* coierat noua societas *fratrum sororumque*, qui a S. *Alexio* nomen sibi imposuerant; e *Laicis* hi fuerunt, operibus misericordiae se vouentes, qui et morbos atrociores et mortuos solebant diligenter procurare; *Lollardi*, dicti, quia carmina lugubria canerent; *Cellitae* etiam, a cellulis. Honestum igitur nomen, et, vt fuit populi ingenium, satis amatum, clericorum et inquisitorum malignitate cum haereseos crimine iungi iam solebat, vt fere *spiritualibus*, *Begardis*, *bonis hominibus*, accidit.

Hic ibi tamen etiam ſeculo 15 fautores et defenſores inue-
nerunt; atque vel in *Bauariae* monumentis eccleſiaſticis
eius generis ſocietates deſcribuntur, qui mutuam operam
ſociis addixerunt, cereorumque numerum in funere contu-
lerunt; hi tamen minus a vulgata ſuperſtitione abfuerunt;
ac iſti *fratres ac ſorores liberi ſpiritus*, qui eccleſiae le-
gibus ſe et ſuos ſubducere auſi ſunt; nec deſunt ex iſtis
myſticis, qui cum *Heſychaſtis*, ſ. *Quietiſtis*, qui *Grae-
cam* eccleſiam turbaſſe hoc ſeculo dicuntur, recte comparari
poſſunt. Vel iſtam ſententiam: in Chriſti transfiguratione
iſtud *lumen* quod Iacobus, Petrus, Iohannes viderunt, *diui-
nam fuiſſe eſſentiam*, ſicut eam beati vident in patria, te-
nuit Ioh. de *Varennis*; inter opera Ioh. *Gerſoni*, tomo 1
appendix pag. 905. edit. recent. Nempe *Barlaamus*, ca-
laber, monachus S. *Baſilii* monachorum *Graecorum* inſti-
tuta vt cognoſceret, multa monaſteria viderat, praecipue
autem in monte *Atho* reperiſſe ſe putabat, quae cum vete-
rum *Euchitarum* moribus conuenirent; maxime fanaticam
iſtam quietem, defixis oculis in partem ventris illam me-
diam, vnde ομφαλοψυχοι nominabat, qui animum vm-
bilico quaſi affixum, diuinam eſſentiam ſic contemplari ſtatue-
bant; *lumen* enim ſuboriri, iſtius generis, quod in Chriſti
transfiguratione viſum ſit. Copioſe narrant *ſcriptores
graeci* de noua hac controuerſia, cum *Gregor. Palamas*
aep. theſſal. monachorum ſuorum cauſſam defenderet; iam
ſcriptis in vtramque partem locus fuit, et *ſynodis*; *Cpol.*
1341 vicit monachorum cauſſa, et *Barlaamum* in Italiam
redire oportuit. Nec ſucceſſit ſtudium *Gregorii Acindyni*,
qui *Barlaami* rem diligenter contra aduerſarios egit, ne-
gans eius generis lucem, quae a dei eſſentia ſit diſtincta;
poſt plures ſynodos tandem a. 1351 in *Barlaamitas* ſenten-
tiae vehementius latae fuerunt. *Leo Allatius* verboſius
illuſtrauit eam hiſtoriam, in opere, de *conſenſu* vtriusque
eccleſiae, lib. 2 c. 16. 17, et poſt eum *Oudinus*, in diſſer.
de *Barlaamo* Hieracenſi ſeu locrenſi (poſtea) epiſcopo, to-
mo 3 p. 815 ſeqq. *Fabricius* tomo X biblioth. graecae;

gra

graecis *Niceph. Gregoras*, *Ioh. Cantacuzenus*, ſeu *Ioſaphat* hiſtor. byzant. ſui temporis &c. Fuit autem hic *Barlaam* antea inter Graecos a latinis et ipſe alienior, poſt hanc vero litem, epi nomine auctus, pro *latinis* multa ſcripſit, vt *graecos* ad vnionem reduceret. Itaque recenſet *Allatius* multas ſcriptiones, aduerſus *Latinos*, etiam contra *Thomam* aquinatem; contra papae λεγατες ſeu πρεσβεις. De *primatu* papae edidit Claud. *Salmaſius;* praecipue *epiſtolas* aduerſus graecos ſcripſit. Itaque fallebantur, qui cum Frider. *Spanhemio* duos Barlaamos, ob contraria ſcriptionum argumenta, fecerunt. Ceterum parum ſalubris et vtilis, fuit iſta diſputatio de *lumine Thaboritico*, (ἐνεργειαν vocabant *Palamitae*) ad quam ſolebant e graecis patribus longo numero ſententiae cogi. Nec ſucceſſit illa quaſi fatalis opera, in vnionem vtriusque eccleſiae impenſa; quam fabulam verbis multis repetere piget; nec enim tanti eſt, cum e ſuperioribus ſatis perſpexerimus, meram fabulam actam fuiſſe. Nec de *miſſionariis* in *cathaiam*, ſeu ad Sinenſes, ad *Tataros*, quos papae *Clem.* 5. *Iohannes* 22, *Benedictus* 12 deſtinarunt, eſt, quod copioſius narremus; ex *Aſſemano*, *Raynaldo*, *Waddingo* potiora collegit *Moshemius*, in hiſtoria *Tatarorum* eccleſiaſtica. A. 1307 Ioh. de *Monte Coruino* aepus in *Cambalu* factus eſt, (*Pekingam* ſolent interpretari;) 7 etiam noui epi, e Franciſci ordine, eas in terras mandati. Ad *Benedictum* 12 miſit grandis dominus Tatarorum ambaſſiatores, litteras et eſſenia (munera, xenia), quos papa honorifice tractauit, et vnum ſcutiferum Tatarorum *creauit ſeruientem armorum ſuorum* (ergo et baptizatum?) et dicto domino *Tatarorum* deſtinauit litteras, *continentes articulos fidei* et exhortationes, etiam pulcra eſſenia; ſic narratur in octaua vita Benedicti, tomo 1 *Baluzii* papar. auenion. p. 242. Etiam legati principis *Alanorum* venerant, ob foedera; miſit papa Franciſcanos legatos, *Wadding.* ad a. 1338; etiam ex *Armenia*, ſed ſine litteris, venerat, regis *Leonis* nomine, *Minaſius*, de rebus fidei

et auxiliis aduersus *Saracenos* acturus. De *Armenorum* hoc seculo *erroribus* narrat *Guido* de Perpignan, in *summa de Haeresibus*: Ex culpa primi parentis *nullum peccatum originale contrahi;* hominum *animas* alias ab aliis propagatas esse; paruulos fidelium, etiam *sine baptismo* morientes, in paradisum venire; *omnes animas*, siue bonas siue malas, *de inferis* a Christo eductas fuisse; nullum ergo esse *ignem purgatorium;* a peccatis post baptismum semel tantum absolui posse per sacerdotes; baptismum paruulis collatum, sine eucharistia, esse irritum; non esse aquam vino addendam in s. coena; *plures vxores* ab eodem viro haberi, tolerant; negant sordes humanas e corpore Christi exiisse; de romana ecclesia temere iudicabant, vt Graeci, credunt non sub specie panis et vini esse *vere et realiter* corpus et sang. Christi, *sed tantum in similitudine et in signo*; non transsubstantiatur. A. 1318 *Armeni* ad romanae ecclesiae gremium redierunt, assentientes *confessioni catholicae fidei*, quam misit Ioh. 22. Raynald. d'*Argentré* tom. 1 p. 274.

Sed ista omnia consilia tam non ipsas hominum mentes animosque emendarant, vt post seculi medium potius desinant eius generis fabulae de *latinis* multis christianis inter *Tatavos* et *Sinenses*; Muhammedanam religionem *Timur beg*, quem *Tamerlanum* nominant, reipublicae causa vnice promouit inter suos; et *Sinenses* nouae familiae imperatores similem modum reipublicae suae secuti sunt. Nec est, quod miremur, eam *doctrinae christianae rationem*, quae et publicae rei conuersiones maxime inuolueret, et fabulis ineptis consecrandis praecipue destinata erat, neglecta vel naturalis probitatis virtutisque humanioris frugifera indole parum visam fuisse praestare formulae sacrorum publicorum illi, quam terrarum domini intelligebant sunm dominium et rempublicam propius adiuuare. Itaque nec successerunt mediocria conamina illa, quae bellum sacrum renouatum ibant, et *cruciatas* illas; seu quia defecerat ille sacer stupor, aut illa fides, quae toties fefellerat, recuperandae Pa-

laesti

laeſtinae; ſeu quia intelligebant latini principes, papae magis, quam publicae chriſtianae aut ſuae rei cauſam agi. Atque vel *decimarum* in bella ſacra effundendarum fere continuum onus multis diſplicuit. Vt tamen animi commouerentur, non piguit vel ad *prophetias* inter Muhammedanos prouocare: anno 1335 legem Muhammedis finiendam? (*Baluzii* notae tom. 1. papar. auen. p. 787.) His mendaciis, quae ſallere iſta impudentia non poterant, tandem fidem omnem decoxerunt, qui porro auctores ſuaſoresque paſſagiorum eſſe ſuſtinebant.

CAP. II.

De Papis rom. et conciliis potioribus.

Hiſtoria romanorum pontificum hoc ſeculo eſt rebus magnis et notatu dignis ditiſſima; vt longarum litium de *ſacerdotio* et *imperio*, et pugnarum caediumque fructus tandem ſatis certi, publico chriſtianae rei bono, ſuccreſcere viſi fuerint. Etſi enim *papalis* imperii ſatis ampla illa et dura formula tam confirmata, tot ſeculorum malignitate, videri poterat, vt minores iam reges latini, quam fuerunt auguſtiſſimi illi romani imperatores inde a ſeculis aliquot, immutare ſacram regnorum ſeruitutem vix poſſent: feliciter tamen contigit, vt poſt minora experimenta contemnendae romanae ſanctitatis, quae ſeculo 14 non rara ſunt, *Philippus* pulcher *Bonifacii* atrocem ſuperbiam pedibus omnino conculcarit. Pauca iam tantum attingimus; copioſiſſime enim hanc Galliae gloriam alii illuſtrarunt; vid. Acta inter *Bonif.* 8 *Bened.* XI. *Clement.* 5 et *Philippum* pulcrum, per *Petrum Puteanum*, et gallos ſcriptores hiſtoricos, quos aduerſus *Italorum* tenuem et inuenuſtam induſtriam, vel rerum ipſarum lumina feliciter adiuuant. *Bonifacius* ipſe, quicquid inanium carminum ſacrorum, ſeculorum plurium copia, ſtilus ille eccleſiaſticus coniungere potuit, in regem illum effudit; praecipue iſta bulla ridicula, *vnam ſanctam*

ecclesiam — cogimur credere; extra quam nec salus est — vna fuit arca Noe — vnum caput, non duo, quasi monstrum; qui Petri successoribus non subsunt, nec sunt de ouibus Christi. In hac ciusque potestate *duos esse gladios; temporalis* enim et spiritalis; *illum in vaginam* Petrus iussus condere — (quasi alter fuerit *spiritualis*, cum dicitur, *ecce duo gladii*; o insaniam sacram!) *temporalis* ille est in manu regum et militum, sed *ad nutum et patientiam sacerdotis* — finit stulta illa bulla: subesse romano pontifici omnem humanam creaturam, diffinimus esse *de necessitate salutis*. d. Laterani 14. calend. dec. Alias similis stoliditatis bullas habet *Bulaeus* tom. 4. pag. 5 seqq. constituit nos deus *super reges et regna;* si rex Galliae aliter sentit, *est infidelis* p. 7. — si te deus incorreptum de hac vita subtraheret, *anima tua de nostris manibus requiretur*, p. 9. supplicatio populi gallica ad regem, ne patiatur istas papae insanias p. 15 seqq. itaque rex talem papam per *Guilielmum* de *Nogareto Simoniae, haereseos* et aliorum criminum accusari iussit; porro aduersus excommunicationem rex ad *futurum concilium totius ecclesiae* prouocauit; *Columnensium* vero auxilio tandem *Bonifacio* Anagniae capto ille Nogaretus vel ferrea chirotheca colaphum inflixit; ferre non potuit papa istam contumeliam insanabilem; itaque, etsi e carcere liberatus fuit, Romae paullo post iracundiae motibus periit. Parui temporis fuit *Benedictus* XI, sed satis mitis erga *Philippum*; 1305 aepus Burdegal. in Petri cathedram positus fuit, *Clemens* 5; inde porro mansit papalis illa species sub gallica auctoritate; *Auenione* in gallia morabantur per annos LXX, quod tempus solent *captiuitatem babylonicam* nominare *transalpini* scriptores. Operae pretium est legere, quae breuiter sed prudentissime obseruantur in *Histoire du droit* publique ecclesiastique Francois, tom. 1 p. 445 seqq. et tom. 2 depuis la mort de *Boniface* 8, jusqu'au grand schisme; praecipue *dissertationem* sextam, *du schisme et des Appels au futur concile;* septimam, de l'inquisition et des Appels *com-*

me

nie d'Abus; octauam, de la maniére de proceder en cas de *Pluralité des papes*; de vitis autem paparum *auenionenſium* ab a. 1305-1394. collegit *Baluzius* illud eximium corpuſculum tomis 2 Pariſ. 1693. 4. Inanes ſunt rhetoricationes *Bzouii*, et tranſalpinorum, vt praefatio *Baluzii* docet; ipſe Nic. *Clemangius* potius ſuo iure queritur, bonos in Gallia mores Italorum quaſi contagione corruptos fuiſſe. Inſunt autem in *Baluzii* corpore plures paparum vitae. *Clementis* 5, vitae ſex. *Ioh.* 22, vitae ſex. *Benedicti* 12, vitae octo. *Clementis* 6, vitae ſex. *Innocentii* 6, vitae quatuor. *Vrbani* 5, vitae quatuor. *Gregorii* XI, vitae quinque. *Clementis* 7, vitae duae. Sequuntur *Baluzii* notae ampliſſimae et rerum vtilium copia ditiſſimae a pag. 576-1478. Iſtae paparum hiſtoriae non ſunt paris momenti et vtilitatis, quod facile creditur. *Tomus ſecundus* complectitur collectionem *actorum veterum* inde a fine ſeculi 13 per hoc ſeculum 14, (omiſſis tamen actis contra *Bonifacium;*) Multa de *Templariis;* p. 186 opinio cuiusdam, ſuadentis regi *Philippo*, vt regnum *Hieroſolym.* et *Cypri* acquireret pro altero filiorum ſuorum; de inuaſione Aegypti, et diſpoſitione bonorum ordinis *templariorum;* pag. 341 Bulla Ioh. 22, ad aep. toloſan. cum frater *Bernhardus*, Delitioſi, ordin. minor. populum *Carcaſſonae praedicationibus* decipiens, aduerſus inquiſitores ſic concitauit, vt ipſorum domum et eccleſiam dominic. expugnarint; carceres inquiſitiones fracti; is dixit: ſi *Petrus* et *Paulus* viuant, non poſſe ipſos ſe *ab haereſi defendere* (veriſſime dixit!) Huius hominis memoriam conſeruare debet hiſtoria, inter teſtes veritatis. Pag. 436 Epiſtola Ioh. 22 ad Iohan. epum *argentoratenſem*, aduerſus *Beguinas*; Begardi ſe nominant *pueros* vel fratres *liberi ſpiritus.* — ſunt in dioeceſi argentor. mulieres numerum 200000 excedentes, laudabilis ſtatus, quas alii non diſtinguunt ab iſtis ſuperſtitioſis. Pag. 478 *appellatio Ludouici* imper. ad *generale concilium* aduerſus Ioh. 22, — publice dicit, ſi eſt diſcordia inter reges, tum papa timeretur,

tur, et facit quidquid libet; discordiam *Alamanniae* esse salutem papae et ecclesiae — insontes in Italia tamquam *Patarenos* damnauit, qui erant fideles imperii — confert ac atus epatus et abbatias, indignis, partialiter, modo sint imperio rebelles — papa de officina haeresis Epicuri id sumsit — est animarum proditor — refutantur Papae *constitutiones* illae de paupertate — pro subsidio terrae sanctae semper exigit thesauros de decimis, duplicatis, triplicatis — pag. 512 seqq. *Ludouici* imp. processus contra Iohannem. p. 522 sententia contra hunc Iohannem, manifestum haereticum vbique promulganda — pag. 762 *Inuentarium* pecuniae numeratae, in arca Hugonis Rogerii, cardinalis, post eius mortem; 5000 flor. boni et fini auri &c. est summa pluries centum mille aureorum; e qua descriptione de re nummaria huius seculi multa addisci possunt. Ad annum 1381 pertinet consultatio illa, pag. 864 seqq. quae statum Europae in caussa schismatis illustrat. Ex vtilissimo corpore *histoire de Languedoc* tom. 4, inter *documenta* occurrunt, pag. 21 *oppositio* a. 1317, cum papa abbatiam S. Bened. de Castris in Episcopatum euehere voluit; *ius papale tale non est*, quod possit oppida et *vrbes* Franciae donare titulo *ciuitatum*, hoc soli regi competit — hic papa, inhaerens vestigiis praedecessorum, satagit *adiungere* superioritati imperii spiritualis, *superioritatem omnis imperii temporalis*, et vt talem maiestatem facilius adipisci possit, multiplicare epos intendit. A. 1322 accusatus fuit abbas S. Saturnini, Amelius de *Lautreco*, quod praedicando docuerit *animas ex sua essentia esse mortales* sed *per gratiam dei* factas esse immortales; sed error fuit accusantis. A. 1327 solemnis caerimonia funebris peracta fuit, sic volente consule Tolosano, ipso viuo; epus vetuit, ne imposterum id fiat. A. 1330 rex commissarium deputauit Tolosae, pro reformatione et reparatione *omnium abusuum* et attentatorum iurisdictionis eccles. fregit portam *camerae inquisitionis et registra* secum abstulit — in parlamento 1331 statutum: curiam *inquisitionis* esse *curiam regalem*,

non

non ecclesiasticam. Carta regis Philippi: cum praedecessores et nos curiae inquisitionis et eius officiariis concesserimus, ius et imperium, in idololatras, magos, haereticos &c. Pag 118 exstat epistola lectu digna *Philippi*, contra *Inquisitorem* Tolosanum, pessimae vitae; qui vi tormentorum homines fateri compulit, quod Christum negarint &c. p. 114 concilium apud *Nemausum* (Nismes) indictum, in causa regis et *Bonifacii*. p. 130, contra *inquisitorum* processus, regis mandatum, pro sedando populo. Pag. 174 vetat rex a. 1326, subsidium, quod papa postulabat a clericis, praestari. Sed ista sufficiant; res enim satis patet, *paparum* auctoritatem non parum infractam fuisse. Eo autem magis miranda est, *Iesuitarum* illa temeritas, *Labbei* et *Cossartii*, qui, praeter alias formulas cascas, in editione *conciliorum*, in domo regis curata, scribere ausi sunt: *iuste excommunicauit* Bonifac. 8. *Philippum* pulcrum, quia violauit ius gentium. Vid. *notas in censuram Hungaricam* 4 propositionum cleri *gallicani* pag. 11 in collectione opusculorum: *Vindiciae* doctrinae maiorum scholae parisiensis, *contra defensores monarchiae vniuersalis* et absolutae curiae romanae, per *Edmund. Richerium*; hic et pag. 152 seqq. est disputatio inter clericum et militem, tempore *Bonifacii* 8, incerti auctoris. Longe liberalius sententiam dixit *Ioh. Tillet* in chronico de regibus Francorum, (cuius sententiam et *Bochellus* repetit, in corpore decretorum eccles. gallic.): Mira *Bonifacii* impudentia fuit; verum *multo stolidiores* esse puto, qui disceptant, an tantum liceat pontifici — Atque ex hoc tempore multo magis non fuit obscura formula *potestatis circa sacra*, in *Gallia*, *Anglia* et aliis quibusdam regnis; cuius meliorem explicationem e protestantibus, aduersus Reformatorum quorumdam ancipitem sententiam, scripsit *Ludouicus Molinaeus* in *Paraeneſi*, londini 1656. 4; atque sic post eum iam alii.

Con-

Concilia, praecipue Germaniae.

Vt ſtatum eccleſiaſticum publicum omnem perſpiciamus clarius, opus eſt e conciliis quasdam ſententias repetete; vt eo facilius comparari poſſint, cum iſtis ſuperiorum temporum, et ſeculi 15. Attingemus autem et *Angliae* aliarumque prouinciarum concilia breuius. In *ſynodo moguntina* 1301, *quaeſtuarios omnes* et petitiones lucratiuas, quas ſolent populo proponere, ſuſpendimus. In *Wilkinſii* concil. tomo 2. p. 279, pro compenſatione ſubtractionis decimarum, *ad liberationem animae*, animal poſt optimum melius, eccleſiae feruetur; — quae debent in eccleſiis inueniri, miſſale, — campanae *manuales pro mortuis*, *tabula pacis* vel *oſculatorium* — p. 283, ſi tertio in fornicatione reperti, vir et mulier contrahant ſic: *ego te accipio in meam*, ſi de cetero te cognoſcam — ego te accipio etiam in meum — Concil. *Colonienſe* 1306, 1. contra *Begardos* et *Begardas*, apoſtolorum nomine ſe inſinuantes — 2. eorum quidam *Praedicatoribus* et *Minoribus* publice reſtiterunt in fidelium iniuriam. 13, qui truncos erigunt in plateis — *Wilkins* p. 287, epiſtola decani et capituli S. Pauli ad *Clementem* 5, pro canoniſatione *Roberti Groſthed*, epi lincol. Concil. colon. 1307. *Feſta* recenſentur; multa alia eccleſiaſtica, ſed parui momenti. *Wilkins* p. 293, conſtitut. ſynodales, per Wint. epum de baptiſmo; mater eccleſia *ſuperaddendum cenſuit confirmationis* ſacramentum; — extrema vnctio, tam ad *alleuiationem corporum*, quam ſalutem proficit animarum — multa de teſtamento et mortuario, in fauorem eccleſiae. *Clemens* 5 conuocat concil. generale; *bulla* in concil. *londinenſi* 1309 lecta, in qua multa contra *Templarios* leguntur; etiam proceſſus alii contra eos publicati, — ſtatutum p. 314, vt templarii *quaeſtionarentur absque mutilatione et debilitatione* perpetua alicuius membri, et ſine violenta ſanguinis effuſione — petierunt poenitentiam. p. 379 acta contra *Templarios* in regno Angliae, Scotiae, Hiberniae; *arti-*

articuli e monaſtico Angliae, habentur etiam in *Puteano*, *Bzouio* aliisque ſcriptoribus; pauca in phraſibus differunt. Hi in *Anglia non fatentur*, aliquid eius generis, ac iſti in Gallia dicuntur faſſi; p. 358 ſeq. demum quidam teſtes occurrunt, qui aliquid aliud ſiniſtri videntur efficere; e. c. de ſchedula, in qua contra Chriſtum ſcriptum fuerit; ſed plerique teſtes *ex auditu* narrant; quaedam notatu digna videntur, ſed abhorrent a noſtra breuitate. Concil. *cameracenſe* a. 1310 additiones, *Harzhem.* p. 114 de matrimonio, haec formula: Petre, vis promittere, per fidem tuam, quod *Bertam* hanc *accipies* in vxorem, et contra. *De Feſtis;* cum apud eam exuberare debeat deuotio, quae eſt *apud deum mediatrix et impetratrix gratiarum*, Maria — Concil. generale *Viennenſe* 1311 et 1312 ob cauſſam 1) *templariorum.* 2) ſubſidium terrae ſanctae; 3) reformationem *ſtatus eccleſiaſtici*; excerpſit *Raynaldus* n. 56 e codice *Vaticano* incerti auctoris, ſed ingenui: *Infinita* fere ſunt, quae reformari deberent; ignorantur quaſi totaliter a chriſtianis articuli fidei, et alia, quae ad religionem et ſalutem animarum pertinent; praecipue in *regno Francorum* (nempe in Italia non;) homines viles, vita et moritus indigni, fiunt ſacerdotes; monachi non viuunt in ſuo monaſterio, ſicut equus effrenis diſcurrunt, mercantur, et alia enormia faciunt, de quibus loqui verecundum eſt et turpe; praelati non poſſunt bonis perſonis hodie prouidere, obſtante multitudine clericorum apud curiam roman. impetrantium, qui quidem numquam eccleſiam intrarunt; homines peregrinae linguae, per priuilegia fructus beneficii recipiunt; vna perſona 4-5 obtinet beneficia, aut 10-12 praebendas; etiam pueri obtinent dignitates — vtinam *cardinales*, qui ſunt animalia pennata plena oculis ante et retro, talia perſpiciant — ſimiles ſibi ſimiles eligunt, — dico cum Edmundo cantuar. aepo, per dona corrupta eſt chriſtianitas hodie — monſtruoſa vita clericorum — canonici vix ad finem horae in chorum reuertuntur — bene dico, opus eſſe, *in capite* etiam, et in membris reformatione

tione — — Talia hic ad Clementem, qui eum consuluerat, scripsit; omnino eius indolis, vt nemo ex istis improbis ausus sit, eius sententiam sequi. Ipsum autem concilium nihil, quod sit satis dignum, decreuit; contra Begardos, de Syria; de Baptismi vi in infantibus; de vsuris; *hebraica, chaldaica* et *arabica* lingua commendata; sed aduersus Iudaeos et Saracenos; disciplinam vero vix attigerunt patres. *Colonienſe* eiusd. anni; statuta multa pro ecclesiasticis; ne clericis publica poenitentia imponatur e. c. cum alii in albis procedunt, illi *in nigris cappis*, in facie laicorum. 21. non fiant imprecationes, nec cantetur *media vita*, contra aliquas personas; (inde illustrantur quaedam seculi 15, in *Buschii* reformatione &c.) 23. annus domini *ex nunc in natiuitate* domini obseruetur, *vt in ecclesia romana*, quae est aliarum magistra. Concil. *treuirenſe*; ei. anni. 14. contra gerentes *cucuteras* seu *cucusas*, *mitras*, *rigatas*, *scacatas* vestes; 17. contra *incorporationes* ecclesiarum; 19 quilibet presbyter *matriculariam* habeat, ne porro agricola mysteriis adstet. 50, ne quis in nostra prouincia *de illis rusticis* aliquem recipiat, qui se Apostolos dicunt; *Begardi*, qui se fingunt expositores SS. otio intendentes, cum tabardis, tunicis longis et caputiis longis — 54, contra conuiuia in exsequiis. 69, vt ante vel post et super altare sit imago, sculptura, pictura, in cuius sancti meritum constructum sit; 79, qui *caracteres*, *notas*, *breuia* accipiunt. 80, qui *Psalterium* per sortem inspiciunt, aut alias scripturas, *in astrolabio* — 81. nulla mulier se nocturnis horis *equitare* cum *diana* paganorum vel cum Herodiade, profiteatur; est illusio. Daemonium sustinenti, licet petras, herbas, sine incantatione habere; in diebus *aegyptiacis* — non licet *mensas parare cum ampullis et lampadibus*; non per 12 signa caeli praedicere nascentium fata. — contra *quaestores*. 93, qui ad Epum mittendi sunt; casus quidam. 12 contra indoctos medicos. 114 si infans *caput ex vtero* emiserit, a muliere baptizetur, si solum caput, vel pars corporis maior

ior apparcat, nec discerni potest sexus: dicat, *creatura dei* ego te &c. et erit baptizatus. 145, vxor etiam marito inuito oblationes facere potest; sunt statuta 146, sed vix vnius temporis. Concil. *Salzburg.* aliud, *Vltraiectinum*, sub *Guidone*; pleraque e superiori seculo sunt; in *lingua materna* populus doceatur, pater noster, credo, 10 praec. 7 sacram. sunt 15 necessaria, 2 voluntaria. *Moguntinum*, libris 4, pleraque e superioribus; Laicos doceant, *simpliciter credere* sicut ecclesia; clerici explicite; nemo ad beneficium admittatur, cuius progenitores clericum aliquem captiuarunt. Liber 2 de iudiciis &c. saepius impressum, etiam in *Lünigii* contin. 2 Spicil. Ante titulum de vita et honest. cleric. omissa fuit diuisio, lib. 3. *Templariorum* appellatio in hoc concilio acceptata fuit; commissoriae litterae ad aep. Colonienſem, de citandis *Templariis* — *Wilkins* p. 409, constitutiones aep. Eborac. multa ad curiam et officiales pertinent; de salario *aduocati*, procurat. testibus — constitutt. epi *Dunelmenſis:* ne sacerdos solus peragat diuina officia; — ne ecclesiastici defectus in ornamentis &c. iusto maioris aestimare ex auaritia audeant; regis mandatum, p. 420, ne aepo cantuar. abbates, priores &c. obsequantur, qui collectam in concilio proposuit, rege inconsulto; — ordinatio aepi eborac. contra mendicantes, qui *se fratres de cruce* nominant. alia eiusdem, *contra adorationem imaginis* B. virginis de Faston, ac si in ea plus aliquid numinis sit, quam in aliis; simplices sic in *idololatriam facile trahi possent.* (Liceat hic adiungere aduersus superstitionem talem, ex epistola 53 *Iohan. de Monasteriolo*, in *collect.* ampliss. *Martenii* tomo 2. p. 1417: adeo religio nostra adaucta est, ac passim effunditur minus caute, *vt rescindi potius*, quam extendi meo iudicio expediret. O Saluator! vtinam secundum traditionem tuam scientificissimam et in maxima parte sui moralissimam lex tua seruaretur; non in plerasque incideremus *anilitates*, sed cum religione sapientiam coniungeremus. Nec a credulitate remotum est, *Muhammedem*, ob tot, tot rerum

ſuper res, inculcationes, ſuis ſectatoribus ſeceſſum ſuaſiſſe -) Concil. *magdeburgicum* 1313, in rem eccleſiaſticorum. Concil. *herbipol.* 1314, nullus habeat plures *Vicarias;* contra quaeſtorum audaciam; legatur hoc ſtatutum ſaepius pro ambone *teutonice;* 6. de iure patronatus, ne ſint porro *Kartenträger*, vt Laici tales nominant. *Cameracenſe* 1315 — nonnulli laicalis iuſtitiae aſſerunt, quod legata et donationes cauſſa mortis non valeant, niſi teſtator de lecto mortis conſurgens per XI pedum ſpatium pedes eat — *Clementis* 5 bulla, ne *torneamenta* et *iuſtae* de cetero fiant in regno *Franciae* et *Angliae*, *Wilkins* p. 437. Aepi cantuar. monita, ne 4 *denarii* diurni, qui *Templariis* exinde aſſignati erant, iis ſubtrahantur; eiusdem a. 1314, pro *decima* contra Scotos; 1315 eiusdem, pro *decima ſexennali* pro terra ſancta, per papam impoſita. p 467 Iohannis 22 bulla ad Angliae epos, vt aſſiſtant *Rigando*, auditori palatii ſacri, et apoſtol. ſedis nuntio, in colligendo *denario S. Petri*, (Hic coniungere liceat Bullam *Nicolai* 4 in collect. ampliſſima tomo 2, p. 1301, in qua enumerantur cenſus eccleſiae romanae in *Francia*, Burgund. Prouincia; monaſteria plerumque vnum *marabetinum* dant; aliae eccleſ. vnciam auri, marcam argenti) aliae bullae de denario Petri, p. 469 *Alfredi* regis pater anno 857 conceſſit Romae ſolui 300 *mancuſſas*, ſeu *marcas* — Concil. monaſterienſe 1317. et aliud a. ſeq. Harzhem. p. 251; vt ſacerdotes 2 hoſtias in pyxide ferant ad aegrotantes, ne populus falſo credat ineſſe adhuc corpus domini, et idololatriam committat; alia ad reformationem cleri. *Wormatienſis* 1316; vnus ſit *ordo officii* diuini, qui hic deſcribitur, p. 257. olim ſtatutum fuerat, vt die *Ioh.* euangel. ſacerdotes vnum ex ſe eligant, qui *more epiſcopi* illa die miſſam glorioſe celebret; id nunc in ludibrium verſum; fiunt in eccleſia ludi theatrales, inducuntur *monſtra laruarum* — nec ſacerdos *in aſino* more inſani equitet per plateas, ſed ſi iucundari delectet, eccleſiam intret et circumſtantibus, non impetuoſe, aquam proiiciat — Synodus *moguntina*, multa

ta de *monachis* et monialibus mandat. in cameracenſi ſynodo *expenſae* determinantur, pro ſigillo — octo vocabula (linea) contineat, *monoſyllabis* non in iſto numero computatis, — ſynod. *vltraiectina* 1318, *decretales* libri *ſeptimi* nouiter emanatas vobis publicamus; eas *decani chriſtianitatis* et prouiſores — penes ſe habeant. Synod. *Olomucenſis:* — qui in natiuitate Chriſti, paſchatis maxime feſto, et pentecoſte non ſuo plebano *confeſſi fuerint*, ab eccleſia arceantur et ſepultura careant. 19, nullus baptizandus *vltra vnius menſis ſpatium* reſeruetur. Concil. *Halae magdeburg.* 1320; de abuſibus infeudandi; *Vluſhale*; rectoribus eccleſiarum liberum ſit, pulſare ad diuinum officium, quando voluerint; nec pendeant ex arbitrio laici — *Colonienſe* 1321 — quidam per *mulieres* etiam in plateis et locis publicis proclamare faciunt, quod *primam miſſam* celebraturi ſunt, auaritiae cauſſa — cauſſae apoſtolicae tractari in hac dioeceſi poſſunt, coloniae, Bonnae, in Zanten, Suſati, Tuitio — *Magdeburgenſis* ſynodus 1322 — ne *Pfandatores* clericis immittantur — *Colonienſis* 1327, — ne de cetero *trunci* erigantur — illa, quae *pro fraternitate* b. Petri largiuntur, per ſe reſeruentur, ſine commutatione — *Proteſtatio et appellatio Ludouici* 4 ad concil. generale, contra Iohannem, p. 298 ſeqq. ex *Herwarti* Ludouico bauaro defenſo; multum differt ab ea, in *Baluzii* monumentis ad *auenion.* papas; — *Wilkins* p. 499, vt ſtipendia *conuerſi*, docentis Oxonii *linguam hebraicam*, ſoluantur — conſtitutt. ſynodales *oſorienſis* eccleſ. in Hibernia, a. 1320 p. 502, ne eccleſ. beneficia laicis *ad firmam* dentur, (iam ſuperiori ſeculo tales leges plures occurrunt;) p. 507 mandatum de *proceſſionibus*, feria 4 et 6 ſingulis ſeptimanis — p. 528 Aepi cantuar. mandatum: ne porro poſt dominicum corpus in die paſchatis ſumtum, oblationes non conſecratae et vinum in eccleſiis comedantur — corpus Chriſti per voracitatem coinquinant et ſummergunt cibo materiali commiſcendo — p. 535 nuntiis papae, aepo 14, epo 10, archidiacono 4 floreni

reni aurei quotidie procuratio destinata; p. 560, catalogus festorum; ne commessationes et ebrietates vincant orationes et lacrimas — In conciliis pluribus *Germaniae* nihil noui occurrit, aut memoria dignum; statutum *paderbornense* 1343 quod paulo post in *monasterienſi* etiam ecclesia valuit, de *festo conceptionis* Mariae immaculatae; *Ludouici* responsio canonica ad obiectum sibi processum Iohannis 22 a. 1338, Harzhemius p. 323; multa eximie contra papam dicuntur; Constitutio ordinum imperii: quod *imperialis dignitas et potestas est a solo deo*: pag. 331. Synodus *olomucenſis* 1342; in catalogo festorum, *natiuitas cum* 3 *diebus* sequentibus; (id antea rarius legitur;) c. 8 ne clerici filiis et filiabus suis nuptialia conuiuia faciant; sunt enim iis magis pudori: c. 13 festum *Cyrilli* et *Methodii*, apostolorum et patronorum nostrorum; S. *cordulae* virginis — 17, *indulgentiae*, si quis in eleuatione hostiae genu flexerit — 21 *Iudaei* caputia non ferant; *Pragenſis* ecclesia in *metropolitanam* euecta per papam; A. 1344 *Balduinus* aep. treuir. statuit, *ferias* vindemiae et messis moderandas in *capitulis* et monasteriis. Ioh. de *Arkel*, ep. Vltraj. contra *monachas*, quae filios generarunt, et de vniformitate Festorum, statutum, a. 1346; *quaestiones* variae, cuius aetatis esse debent, qui extrema vnctione vnguntur? quoties liceat? cum pubertati proximus *peccare* poterit — A. 1349 epistola decretalis Clementis 6, ad aepum moguntinum, contra *Flagellantes*. *Naumburgenſe* 1350 — ne *quaestores* admittantur — *Caroli* 4 epistola ad aep. Moguntin. vt custos canonum sit; quis dispensauit, vt canonici cum clericis de Christi patrimonio ludos, torneamenta exerceant? habitum militarem gerant? talia corrigas et reformes — *Synodus Eystettenſis* 1354 de *concubinariis sacerdotibus*, tabernariis, lusoribus, — si redit sacerdos ab infirmo, vacuo vase, extinguatur candela, nec pulsetur nola, — nullus *filiam sacerdotis*, qui ipsum baptizauit, ducat in vxorem; propter *nimietatem indulgentiarum* et *turpitudinem nequitiamque quaestuariorum*,

rum, prohibemus — *Festum instrumentorum* passionis, lanceae et clauorum, *Caroli* 4 precibus a papa *Innoc.* 6 de nouo institutum, in *Alemannia et Bohemia*; Synodus *pragensis* 1355, statuta 68. — vt epi habeant *carceres duplices*, minores et magis rigidos, quia clerici et monachi magis metu poenae quam verbo vitae coercentur; c. 26 clerici *mores et vitam reforment* — c. 44 quia *sine baptismo nullus potest saluari:* etiam laicus in suo vulgari baptizare potest — 50 de sponsalibus: *carnalis copula eo ipso matrimonium* efficit, si sequatur promissionem; nec posterior aliquis contractus praeiudicat — 55 de *Iudaeis*; dicitur, si recipiant nutrices christianos, per triduum *lac eas effundere faciunt in latrinam*, cum corpus et sang. Christi receperint. 64 restringuntur *dominicani* et *franciscani* in *confessionibus*; statutum *pragense* pag. 406, *osculum pacis* alteri porrigant, ob indulgentias; — in *tabula cum crucifixo* in signum pacis ad osculandum porrigatur. *Ioh.* dux Saxon. inferioris, epus *caminensis* ipse omnia administrauit, non habuit coadiutorem seu *Chori* episcopum. Synod. Eystettensis 1364, capitum 51; sed plura addita e *basileensi* sequentis seculi. — *Magdeburgi* 1370. c. 39 de excessibus *priuilegiatorum*; mendicantes, qui *Terminarii* deputati sunt ad supportanda onera nostrorum clericorum (de *Terminariis* postea plures querelae) manent per totum annum cum suis mulieribus, quas *Marthas* dicunt; *medicos* aut artifices se faciunt, — in *stufis* communibus balneari non verentur. Multae synodi *colonienses*, sed nullius momenti; pleraque iam affuerunt; licet negligentia *Harzhemii* non obseruarit. Aepus colon. 1370 reuocat litteras, quibuscunque *quaestoribus* concessas, praeter quam — de presbyteris, qui *focarias* secum habent, p. 501, contra detestabiles contractus, *Handgelt* noua constitutio pag. 520, *Lombardi* qui capiunt Handgelt. — Synodus colon. 1372 de poena *Wede* (7 solidi et 6 denarii) et *Hohwede;* si papa decimas sibi dari vellet: *nos ad euadendum* earum solutionem, vobis assistemus. Sy-

nodus *pragenſis* 1381; ſunt in his dioeceſibus ſectae Sarabaitarum et *ruſticorum Waldenſium* — *Salzburgenſis* 1386 ne *mendicantes* admittantur; tamquam *pſeudo prophetae fabuloſis praedicationibus populum* ſeducunt. A. 1387 inualuit *Moguntiae* ſecta *Waldenſium*; 36 ciues Moguntini combuſti. Synod. *Vltraj.* 1392, in cauſa monachi cuiusdam; falſarius fuiſti, epiſcopum te feciſti per X annos — degradatus fuit; in ſignum deiectionis, epus *cum vitro exunxit* leuiter loca manuum, quae fuerant inuncta; *ducens tractum cum illo vitro* a pollice dextro per indicem ſiniſtrum; inde a pollice ſiniſtro ad indicem dextrum; *de hac raſione* ſeu tonſione manuum notatur *in tertia parte ſpecul. tit. de accu.* §. ſecundo loco, verbo, *degradandum*; honore *ſacerdotis*, *diaconi*, *ſubdiaconi*, et clericali habitu, ſic exutus fuit; barbitonſor abſtulit tonſuram clericalem. Ceterum in *digreſſione* ad hoc ſec. *Harzhemius* p. 631 exhibet etiam Bullam papae, de erroribus *Eckardi*, quem ſolet *Taulerus* etiam collaudare.

Vt per *Germaniam* rei *eccleſiaſticae* ſynodis iſtis et decretis parum luminis et honoris acceſſit: ſic et in conciliis *Wilkinſii* pauca memoria inueniuntur digna; praeter iſtas vſitatas formulas. *Conſtitutio Benedicti* 12, a. 1335, *Wilkinſii* pag. 578, de *procurationibus* viſitantium; in *Francia* Nauar. &c. paulo minor eſt ſumma denariorum, quam in Alemannia, Anglia, Hungar. Boh. Polon. &c. In regno *Caſtellae*, Legionis, Aragon. Portugalliae, minor adhuc, quam in *Francia*; minor in *Apulia*, Italiae partibus, *Slauonia*, *Achaia*, Cypro. — *Turonenſes* nunc ſic intelliguntur, vt 12 faciant vnum florenum puri auri, ponderis et cunii *Florentini*. Rex Angliae praerogatiuam Cantuar. aepi, contra *appellationes* ad papam defendit. p. 584 ſeq. ſtatuta papae pro ordine *nigrorum* monachorum, p. 588 ſeqp. limitatio *prouinciarum*; — Bremenſis, magdeburg. cum *caminenſi*, pro vna prouincia habentur &c. de *ſtudiis*; magiſter in monaſterio victu vtitur ſolito, et praeterea ſalarium, *pro libris* emendis; de *ſtudentibus* monachis,

nachis, in generalibus ſtudiis; penſionibus illorum; verboſiſſima formula pag. 614, ordinatio collegii Dunelmenſium monach. in Oxonia; Conſtitutt. *Benedicti* 12, ſuper *reformatione* canonicorum regularium, 1339. — inſtituantur tam in *ſcientiis primitiuis* (grammat. logica, et philoſophia) quam *diuini* et deinde *canonici* iuris — pag. 663 ſeqq. exſtat excuſatio aepi cantuar. Ioh. *Stratford*, a. 1340 ad regem *Eduardum* 3; quae poſt carmina de ſacra poteſtate in reges, multa continet, ad rem publicam anglic. pertinentia; — mus in pera veſtra non fuimus; in veſtris obſequiis non veſtra ſed noſtra corroſimus; regis epiſtola ad papam, contra hunc aepum. In ſynodo prouinciali, conſtitutiones aepi, quantum liceat recipere, pro *inuentario* &c. — ne *archidiaconi* nimios equites apparitores ponant in decanatibus — multa ſtatuta de foro eccleſiaſtico, aduocatis — pag. 745, mandatum *Radulfi*, epi: tempore peſtilentiae, ſi presbyteri deſint, *confiteantur* homines, ſecundum apoſtolum, alter alteri, *laico, ſuo peccata*, aut, ſi vir deſit, *mulieri*, ad hoc faciendum hortamur, in viſceribus Ieſu Chriſti; denunciantes, quod talis *confeſſio, etiam laico* facta, multum proſit ad remiſſionem peccatorum; — tenentur autem confeſſiones has ſilentio tegere — a. 1348. Memoria omnino digna eſt haec conſtitutio; *baptiſmus*, vt ſatis notum eſt, *laicorum* miniſterio dari poteſt et debet; itaque et de *ſacra coena* omnino idem valet, ſi miniſtri ordinarii ſacri deſint; quicquid de *ſacrificio* et ſacerdotis perſona comminiſci dogmatici iſti ſoleant.

Ceterum et iſta controuerſia regum cum papis, et *ſchiſma* poſt mortem *Gregorii* XI, 1378 non paruum impedimentum ad papae auctoritatem attulit, et fecit, vt ſynodi etiam, quibus illa auctoritas ſolebat maxime adiuuari, *legationesque* numero fuerint pauciores. Iam enim papis opus erat aduerſus aemulos regum fauore et eporum adiutoriis. *Romano concilio* 1302 et papae parum honoris manſit, praecipue ad Gallos, vid. *Bulaeum* t. 4. p. 41 ſeq. atque inde etiam a *Iohanne* 22 pars melior tenebat, quod

reges et imperatores maxime volebant, papam *concilio generali* subiectum esse; episcopi tamen in *prouincialibus synodis*, quod vidimus, vix mediocrem diligentiam adhibuerunt societati sacrae emendandae; monachos compescere student, et suam iurisdictionem communire; praescribunt de festis &c. Ad dogmata christiana salubriter explicanda parum aut nihil emolumenti ex tot Synodis Germaniae, Angliae, &c. accessit. In *Gallia* plures *Synodi* inde ab a. 1306 habitae, ad deliberandum, quid possent facere super Grauaminibus, quae inferebantur a papa et suis ecclesiis gallicanis; Praelati vsi sunt consilio regis et regalium; *Bulaeus* p. 107.

Ceterum et de *Iudaeis* atrocia multa narrantur hoc seculo; eximie oppressi, expulsique fuerunt, e. c. e Gallia; Iudaeus *hostiam* in aquam bullientem misisse dicitur; sed statim *speciosus puer* apparuit, ambulans super aquas bullientes; Iudaeus eum puerum ferreo instrumento summergere tentauit, sed eum tangere non potuit — clamore liberorum Iudaei plebs concurrit, et multi adhuc viderunt puerum dominum nostrum — nuntiatum est epo parisiensi; is venit cum toto clero, et vidit hostiam sanam et integram, quam processionaliter reportauit in ecclesiam — *Iudaeus* in quadriga ligatus et comburendus dixit: si haberem librum meum Talmud, non possem morti tradi; allatus est liber Talmud et Iudaeo in quadriga datus — sed ignis ad tractum ballistae paratus euolauit; Iudaeumque et librum in ictu oculi in fauillam redegit. Haec in *chronico belgico magno*, nec Bulaeum poenituit a. 1306 ex eo repetere omnem fabulam. Ingenium seculi malignum satis inde perspicimus. *Iudaei* omnes, paucis baptizatis exceptis, e Galliis expulsi fuerunt. Talia breuitatis caussa omittimus; hic idem enim spiritus ignorantiae et malitiae seculo sequenti adhuc valuit; atque ex isto seculo parauimus copiosissima excerpta varii generis, quae causam religionis publicam priuatamque eximie illustrant.

CAP.

CAP. III.

De ſtatu eruditionis et ſcriptoribus.

1. Sub occidente ſole.

Si opportunitates illas, quibus Latini homines litterarum ſtudioſi, non exiguis vti poterant, memoria repetimus: ſtatuere forte licebat, eruditionis ſtatum non omnino abiectum hoc tempore fuiſſe. Tot iam *generalia ſtudia*, ſeu academiae, per Europae varias partes florebant, *artes* illas, *grammaticam*, *logicam*, *philoſophiam* publico aere profitebantur non rari doctores, et addiſcebant auditores multorum millium numero; linguae *hebraicae*, *chaldaicae*, *arabicae* (in curia *romana*, vbicunque ſit, in ſchola *pariſienſi*, *oxonienſi*, *bononienſi*, *Salamantina*, iuſſu *Clementis* 5. a. 1311.) per 2 profeſſores docebantur; ſumtus aut reges aut capitula, et monaſteria praeſtabant: vt fieri vix potuerit, quin hominum ingenia excolerentur. Nec enim leuiter aut negligenter illa ſtudia tractabantur; erant ſatis ſeuera ſtatuta in collegiis iſtis, *cluniacenſi*, *Harcuriano*, *Pleſſiaco*, *aeduenſi*, aliisque *Pariſienſi* in academia; praecipue homines docibiles et mente apti atque idonei iubebantur eligi; qui praecipue in *grammaticalibus* operam multam inſumerent; inde demum *ſummulas* logicas, porro *veterem logicam* et poſtea *nouam* audire iuſſi. Iam porro ad libros *naturales* et *Philoſophiae* adire licebat. *Theologiae* autem ſtudentes operam primo dabant *bibliae* ordinate per biennium audiendae; (nec enim abiecta fuit *textus bibliorum* cura;) inde ſermonibus et collationibus experimenta ſubeunda; porro *in gallico praedicare* audebant, vt facultatem illo exercitio ſibi compararent, et alibi in gallico promtius praedicandi. Lectio libri biblici ſolebat in *pariſienſi* academia, *curſus* appellari; porro iam *ſententiis* et *Theologiae* eruditae dabatur opera; quae iam hoc tempore dicebatur ſuprema et difficilis ſapientia. *Libri* e communi bibliotheca diuidebantur, ſeruato catalogo

accipientium; interdicti etiam fuerunt *studentibus vagi per vrbem discursus*; solitarios enim affixos libris et cogitationi sedere conuenit — Haec tantum e statutis *cluniacensibus*, ap. *Bulaeum* tom. 4. p. 121 seqq. excerpsimus, multo autem plura facile colligi possent. Nec *Oxonii* minor fuit diligentia, tanta autem frequentia, vt *Richardus*, oxon. doctor, inde aep. Armachanus. pag. 339 scribat, suo tempore *Oxonii* fuisse 30000 studentium: hoc vero tempore, cum *Mendicantium* vafra studia interuenerint, vix supersesse 6000; ista autem scripsit a. 1358. Hic *Rogerius* rationes inuestigat, cur studentium in academiis numerus imminuatur; monachi *mendicantes* doctores academici, iure confessionum vsi, iuuenes fere omnes ad se trahunt munusculis datis; aliis iam persuadent, alios metu, vi etiam, adhibitis, ad *ordinem* suum adducunt, inuitis parentibus, nec permittitur eis, cum parentibus loqui, nisi sub fratrum custodia; licet scriptura sacra Exod. 21 prohibeat, *hominem furari*. Hic parentes iure metuunt, liberos suos ad studium mittere, quia eos amittunt. Porro ob infinita lucra, quae per priuilegia sua, confessionibus et sepulturis procurant, magno numero multiplicantur in conuentibus, atque sic omnes libros vtiles emunt, vt in omnibus conuentibus sit vna grandis libraria; alii igitur libros venales fere nullos possunt reperire, in genere artium, *Theologiae*, *Iuris* canonici, *Medicinae* et iuris ciuilis — aliquis Anglus ne *bibliam quidem vtilem* emere Parisiis potuit. Hunc sermonem *Richardus* eo fine habuit, *vt nec Clerus nec populus decipiatur vlterius*, aestimando hos fratres imitari Christum — Litterarum hi studiosi etiam *Latine* loqui iussi, vt per assuetudinem promtius et magis congrue proferant, *Bulaeus* p. 93. Atque non raro inuenimus excitari *Senecam*, *Iul. Caesarem*, aliosque veteres auctores. Sed inepta librorum illa exempla, quae *Grammaticam latinam*, Philosophiamque et *Theologiam* adiuuare dicebantur, statim inde a rudimentis discendi corruptionem et labem aliquam intulerunt. Linguarum aliarum studia tantum

tum ad *Saracenos*, *Tataros*, *Iudaeos* destinata, nihil vtilitatis ad Theologiae ingenium afferre poterant. Seculo medio epus dunelmensis, *Richardus de Bury*, ad quem *Petrarcha* de *Thule* insula rogans epistolam scripsit, *Oxonii* aulam fundauit, *bibliothecae* communi dicatam, in studiosorum vtilitatem; huius *Richardi Philobiblion* ex *Goldasti* bibliotheca prodiit cum centuria epistolarum, Francofurti 1610. 8 (licet minus emendate excusum;) ex hoc opusculo eruditionis indoles paulo laetior apparet; sed pauciorum fuit hominum illa virtus, vt semper. *Vsum librorum* Richardus eximie collaudat; — mali clerici, p. 417, libris sunt plurimum ingrati; libros loquentes inducit, pulcherrimam satiram in ignauos clericos scribens — in abyssis condimur (libri) cloacarum — venundamur, obsides in tabernis — interpretes barbaros sustinemus — subdimur pictoribus, aurifabris — p. 429, de laude religiosorum mendicantium priorum, et reprehensione modernorum; 445, deploratio destructionis librorum per bella et incendia. p. 450, de multiplici opportunitate auctoris, in colligendis libris vndequaque. — libros non libras maluimus — legatum saepe egit, et sic in Francia, Italia — omnes admisimus, qui codices afferebant. p. 460, antiqui studentes praecedunt nouos feruore discendi — hic describit *modum discendi* cap. 10, succesiue scientia ad perfectionem creuit; auctor *grammaticam graecam et hebraicam* procurauit — p. 471 de vtilitate et necessitate Grammaticae. — de excusatione *poesis* et vtilitate eius. c. 16 de libris nouis scribendis et antiquis reparandis. 17, de libris munde tractandis et collocandis. c. 18 auctor contra suos obtrectatores se defendit. c. 19. ordinatio, qualiter libri extraneis concedantur. Operae pretium est legere hunc libellum, et ingenii venustatem huic seculo gratulari; nos autem iuuat similes aliorum scriptiones aliquas hic recensere, quae vix ab aliis iam ad hoc consilium fuerunt adhibitae. *Iohannis* de *Monasteriolo* Epistolas multas edidit *Martene*, tomo 2 ampliss. collectionis; is mortuus quidem fuit post

secu-

ſeculi 15 initium, ſed hoc ſeculo maximam partem vixit, et plures epiſtolas ad *Nicolaum* de *Clamengiis* dedit. Epiſtola 22 excerpta ex hiſtoria *francorum* continet, quae hominis ingenium et ſtudium commendant; ep. 38 de opuſculo quodam *Petrarchae* eleganter loquitur; aliae ad *Nicolaum*, *Petrum*, *Gontherum*, ſuos praeceptores, fidem faciunt, pleraque bonorum ſcriptorum nomina ab his non ignorata fuiſſe; 42. 33 de ſuis ſtudiis et libris narrat; 47 *defendit auctorum profanorum lectionem*; dixerat aliquis, *Ieſu* nihil commune cum *Lycurgo;* 56 rogat alium, vt *Iohannis* de *Magduno* librum, *Romantium de Roſa* defendat aduerſus reprehenſores. 58, aduerſus Ambroſium, qui *Ouidium Virgilio* praeferebat. 59, defendit *Ciceronem.* 60, iratus eſt *Petrarchae*, qui dixit, extra *Italiam oratores* aut poetas quaerendos non eſſe; ep. 66 *Liuius* deſcriptus, ſed non integer. 67, an *rhetorica* naturalis praeſtet artificiali; 69, de *orthographia* quorumdam vocabulorum. 70. cur *inter philoſophos* ſit tanta diſcrepantia. *Tomus tertius* eiusdem ampliſſimae collectionis multo plura continet, ad laetiorem litterarum et eruditionis vultum informandum; praecipue *Ambroſii* camaldulenſis *Epiſtolas* libris XX, qui circa 1376 natus partem etiam ſeculi 15 viuendo exegit; *epiſtolae* omnes ſunt e ſeculo 15. Sed continua eſt illa litterarum melior indoles, inde a fine ſeculi 14, in *Italia* certe, quam *Graeci* illi exules mirifice adiuuerunt. Plurima ex his epiſtolis ad *litteras* bonas vniuerſas, multa etiam ad ſacram eruditionem, et *Reformationem* eccleſiaſticae diſciplinae, in modicum adeo corpuſculum, colligi poſſunt, cui rei haec noſtra breuitas nos indulgere non ſinit. Sufficit nos admonuiſſe, et indicaſſe, e quibus quaſi fluminibus hiſtoriae eccleſiaſticae ieiuna et arida iſta tractatio, ſuccreſcere in longe meliorem poſſit, vt ſalubrius intelligamus, nihil magis obſtare chriſtianae religioni et cognoſcendae et commendandae, quam ferream iſtam *Theologiae*, vt illius formula inde a ſcholaſticis et patribus adeo, valuit, indolem et ſeruitutem publicam. Vt autem luculen-

lentius spectetur *Theologorum* huius seculi vsitatior sacra barbaries, qui ista scholastica consuetudine suum aliorumque ingenium diligenter opprimebant, decerpam quaedam ex *Propositione notabili*, facta coram papa *Vrbano* 5, et cardinalibus, vt *Franciam* praeferret Italiae, sedemque Petri in Gallia eligeret: exstat apud *Bulaeum* tomo 4 pag. 396 seqq. Piget autem sententias e SS. corrasas longo ordine describere. — Filius vester rex Franciae B. V. sic alloquitur, ex 1 Maccab. 14. — munus affert per verba *legis Titiae*, ff. de aur. et arg. — *Carolus*, quasi *clara lux* — Quinque auri pondo sic exprimuntur. 1. Fidei professio. — 2. caritatis sponsio. — 3. vnionis expressio. — 4. fidei repromissio — 5. oblatio — (semper legis illius verba applicata.) Rex Franciae dialogice per me loqui intendit. Filius: domine quo vadis? Pater: venio Romam. Filius: *num iterum crucifigi?* — Prima pars thematis praeassumti, *quo vadis*. — secunda pars, *Venio romam*; dicit filio, non possum annuere, 1. propter diuinam iussionem. 2. loci dispositionem. 3. sedis praerogatiuam. 4. coniugii vim. 5. praedecessorum imitationem. 6. diuinam reuelationem. 7. multiplicem aliam rationem. Iam explicat haec 7, et inde refellit — in *Francia* sunt *Reliquiae* pretiosissimae, crucis vexillum, lancea, corona spinea, corrigiae fustigationis, titulus crucis. *Reliquiae* in Francia secundum electionem gratiae, Rom. XI, *saluae factae sunt*, — Roma a praedonibus condita, retinet antiquum; *Roma manus rodit; quos rodere non valet, odit.* — In Francia sunt 7 candelabra, *ex Apocalypsi;* non *Roma* sed Marsilia est *in medio* Europae, vt *Cosmometrae*, ex doctrina *Hali* deducunt, et Alfragano. In Francia est melior politia; nam sec. Aristotelem tres sunt species; *Aristoarchia*, dicitur ab *ares*, virtus; *Themocratia*, *Themos*, *pretium* (τιμος voluit; loco δημος.) Sicut Christus mansit in Iudaea, in qua natus fuit, sic decet et papam manere in Gallia &c. Huius ineptissimae indolis, quae sententias *numeris* multis diuidit et distrahit, sunt *fermones*

mones sacri et *commentationes* philosophorum omnes; vt ad nostram vtilitatem inde aliquid referre non liceat, nec operae pretium sit, scriptores istos *theologos* plerosque hodie legere. Id vnum beneficii loco reputari potest, quod *academiae* multo liberius philosophari et ratiocinari audebant, quae res et in *Philippi* pulcri caussa aduersus *Bonifacium*, atque conciliorum auctoritate vindicanda spectatur, et in liberis sententiis, quas in *haereseon* suspicionem adducebant illi, qui auctoritatem et honorem *Theologorum* praeferebant veritati inuestigandae et amplectendae. Sed iam potiorum auctorum nomina recensenda sunt.

Canonistas Germanos huius seculi nominat *Harzhemius* in digressione ad seculum XIV; nos *Historicos*, quos immiscuit, omittimus; *Engelbertus*, admontens. abbas, qui de initio, progressu et fine rom. imperii scripsit; et institutionem principis christiani. *Petrus*, de Saxonia, *Summam casuum conscientiae*. *Sibertus de Beka*, de censuris noui iuris, et super regulam *ordinis Carmelit.* *Iohannes* de Friburgo in Brisgouia; registrum super textum summae Raymundi; quaestiones casuales; summam confessorum, et ex ea Manuale; Confessionale. *Wilh. Occam* de potestate summi pontificis; defensorium; (dialogus militis et clerici exstat in *Richerii* collectione) recudit *Goldastus* Tomo 2 monarchiae S. romani imperii; pag. 313 sq. 8 quaestiones et decisiones, de potestate papae; Suprema potestas spiritualis ex natura rei non cadit in eumdem hominem &c. Dialogus: ad quosnam spectet, ad Theologos, an canonistas, definire, quinam sint haeretici censendi, pag. 399-976. Summarium, et ipsum opus 90 dierum Occami, contra Haereses Iohannis 22; in quo de gestis *Michaelis* de *Caesena* p. 993 seqq. Methodus scholastica impedit lectoris oculum et animum; verissime autem multa dixit. Idem *Goldastus* librum *Marsilii* de Padua, defensor pacis, recudit in isto opere, eodem tomo, cum tractatu de translatione imperii ad *Francos*, a Francis ad Germanos, p. 147 seqq. (*defensor pacis* dicitur coniuncta *Ioh.*

de

de *Ianduno* opera compoſitus;, vide Examen iudiciale *Franſciſci*, veneti, tomo 1. miſcellan. *Baluzii.*) Idem *Marſilius* conſultatione, de diuortio Iohannis, filii regis Bohemiae, a *Margaretha* Carinthiaca, ius principum *in Matrimonia* vindicauit. *Ludolfus* (de *Bebenburg*) ep. bamberg. auctor libri, de iuribus regni et imperii, ad treuir. aepum; *Berneggerus* poſt alias editiones recudit; item, de veterum Germaniae principum liberalitate in eccleſiam, ad ducem Sax. *Rudolfum*, ſaepius excuſum. *Iohanni* de *Ianduno* tribuerat *Goldaſtus* informationem de nullitate proceſſuum Iohannis 22 contra Ludouicum, *pro ſuperioritate imperatoris* in temporalibus; eſt autem *Henrici* de Calhem, cancellarii Ludouici, ex ordine minorum. *Petrus* de Palude, dominic. patriarcha hieroſolym. ſcripſit, de cauſa immediata poteſtatis eccleſiaſtica; in Miſcell. *Baluzii* tom. 1 p. 165 habentur acta inquiſitionis a Ioh. 22 inſtitutae, cum reſponſionibus Paludani; in iis multa ad *ius* eius temporis *eccleſiaſticum* pertinent; idem ſcripſit de paupertate Chriſti aduerſus Michael de Caeſena. *Aluarus Pelagius*, decretorum doctor, Epus ſiluenſis in Luſitania, *Apologiam* ſcripſit contra *Marſilium* de Padua, et *Ockamum*; opus aliud celebrius, de *planctu eccleſiae* ab eo aliquoties correctum, in quo eccleſiaſticam corruptionem non negligenter deſcribit. Simili inſcriptione vſus eſt *Conradus* de Magdeburg, *planctus eccleſiae in Germania*, opuſculum metricum diſcordiam inter papam et Ludouicum deſcribit parte 1, altera vero praecipue *mendicantes* exagitat. *Iohannes de Saxonia* (*Erfordia* alii) ſumma confeſſariorum, quae et *ſumma iuris* dici ſolebat; idem tabula iuris ciuilis et canonici; vocabularium biblicum, ex Britone. Sed cur longo ordine iſtos ſcriptores recenſeamus, qui *iuri canonico* dederunt hoc ſeculo operam; cum ex *Bulaeo*, *Oudino*, facillime colligi poſſint, nihil autem ad noſtrum conſilium faciant? *Theologica* igitur et alia quaedam breuiter nominabimus, quae ſcire noſtra adhuc aliquid interſit. Guil. *Duranti*, epus mimat. de modo celebrandi concilii gene-

generalis; iuſſu *Clem.* 5: quod alii falſo ad ſeniorem Durantum ſec. 13 retulerunt. *Iacobi* abbatis Cariloci, defenſorium iuris, (contra pſeudo prophetas) ſeu contra impugnantes, e.c. *Aegidium* Romanum, aepum biter. alios. *Exemtiones;* compendium eius exſtat in appendice *Raynaldi* tomo 15. *Porchetus* de Saluaticis, carthuſ. e Raymundo ſublegit *Victoriam* aduerſus Iudaeos. *Iacobus* de Lauſanna, dominic. pariſ. doctor, opus moralitatum, in 12 libris; *Sermones* de tempore, quibus gallicas voces, non ſine riſu, immiſcuit; multos etiam commentarios in SS. *Franciſcus Mayronius*, multa ſcripſit; in 4 libros ſentent. de vninocatione entis, formalitatibus, terminis theologis, in Ariſtotelem; 1500 quaeſtiones theol. *Vbertinus* de *Caſali*, paupertatis et ſpiritualium ſtrenuus defenſor; *arbor vitae crucifixi*, opus magnum. *Iohannis Rigaldi* eſt compendium theol. libris 7, quod *Bonauenturae* tribuitur. *Bertrandus* de turre, minor. Cardinal. praeter *ſermones*, artem *diuidendi themata* et dilatandi ſermones. *Durandus* de S. Porciano, ep. meldenſis, e cuius libello, de *origine iurisdictionum*, *quibus populus* regitur, Petrus Bertrandi ſe plurima eorum ſumſiſſe dixit, quae 1329 contra Petrum *Cugnerium* pro defenſione eccleſiae dixit; ſcripſit *Durandus* in 4 ſententias, prae aliis ſcholaſticis vtilem commentarium; in 8 libros phyſicorum; contra eum ſcripſit *Durandellus* dominic. vt *Thomam* defenderet, in 4 libros ſentent. *Bernardus* Guidonis, lodou. epus ex Inquiſitore; ſcripſit varia hiſtorica — eidem illa *acta, practica* inquiſitionis, ſeu collectaneum ſententiarum aduerſus haereticos tribuuntur, quae Dominicanus aliquis ad *Limborchium* attulit, qui *Hiſtoriae Inquiſitionis* adiecit. *Petrus* de Verberia, *Aureolus*, quem falſo cardinalem, aquenſem aepum, et ordinis minorum fecerunt; fuit *vallis ſcholarium;* ſcripſit commentar. in 4 libr. ſentent. (*Oudin* tom. 3. p. 848) *Armandus* de bello viſu, in Pſalmos poſtilla; explicatio difficil. terminorum in philoſ. et theol. *Guido* Terrenus, ep. elnenſis, ord. carmel. et inquiſitor,

in

in 8 libros ethicorum; in decretum Gratiani; ſumma de haereſibus et concordia Euangel. excuſa. *Petri Bertrandi* libellus pro eccleſiae gallicanae libertate, contra *Petrum de Cugneriis* et de ſpirituali et temporali iurisdictione excuſa ſunt; multa alia vero latent. *Monaldi* Inſtinopolitani (non aepus beneuent.) *ſumma* iuris can. *aurea*, Lugduni excuſa. *Iacobus* Gaietanus, cardinal. de *Iubilaeo* ſcripſit, et *ordinarium* caerimon. eccleſ. romanae (eſt in Muſaeo italico tomo 2.) *Ioh.* de *Ianduno* (non gandauenſis) multae ſcriptiones *philoſophicae* in Ariſtotelem ſaepius excuſae ſunt. *Benedictus* 12 *reformationem canonicorum, ciſtertienſium*, et formularis *poenitentiae* promouit; commentar. in *Matthaeum*; *Thomas* gualenſis, wallenſis, de arte ſeu *theoria praedicandi*; propugnatorium S. Thomae, contra Scotum. Henricus de *Vrimaria*, ordin. erem. de perfectione ſpirituali, et ſermones; in ſymbolum &c. quaedam Alex. Halenſi tribuuntur. *Daniel* de *Taruiſio*, aep. boſtrenſis, minor. aliquam diu in *Armenia* vixit; legatus regis Romae defendit *Armenos:* reſponſio Danielis ad errores Armenis impoſitos, *Wadding.* in annal. 1341 ſeqq. *Richardus* de Bury, cuius *Philobiblion* iam excerpſimus, *catechiſmum* ex *Guil.* pariſienſi collegit. *Thomas Bradwardinus*, aep. cantuar. eruditionem ſuam libellis mathematicis, de proportionibus velocitatum, arithmetica ſpeculatiua, geometria, et theologico commentario ſatis probauit, cauſa dei aduerſus Pelagianos; fuit cum aliis pluribus diſcipulus, clericus certe, probus, *Richardi* illius. Iſta omnia excuſa ſunt. *Franſcus Petrarcha*, ingenii cultura aliis multis ſuperior, qui et *poeſin* vtraque lingua, et ſtilum alium feliciter expertus eſt; opera omnia tomis 4 Baſileae edita; eius diſcipulus fuit Io. *Bocacius*, de *Certaldo*, qui de Genealogia deorum; nominibus montium, ſyluarum &c. libros collegit. Laudat *Paulum Peruſinum*, bibliothecarium Regis Siciliae; *Barlaamum*, et *Leontium*, theſſalonic. ſed et hiſtoriam nouam adiuuit. *Matthias* von Beheim, in ſolitudine hic Halae (Cluſener in Halla) 1343 euan-

gelia germanice reddidit, exſtat inter codices biblioth. *Paullinae* Lipſiae; ei et *Pſalterium* germanicum ſolet tribui, quod ibidem habetur. *Innocentii* 6, quem dixerunt maximum canoniſtam, regeſtum ſupereſt decretalium, 15 volum. *Ioh.* de *Rupeſciſſa*, ordin. minor. in carcerem coniectus, quod temporis vitia acrius perſtringeret, vaticiniis etiam abuſus; commentar. in *Cyrilli* eremitae prophetiam et *Ioachimi*, in carcere ſcripſit 1349. *Nicolaus* Roſelli, cardinal. commentar. de 4plici iurisdictione rom. eccleſiae in Siciliam; collectio variarum ſcriptionum eſt in *cottoniana* bibliotheca. Guil. *Brito* magnum olim nomen ob vocabularium biblicum. *Carolus* 4, ſuam vitam ipſe ſcripſit; *aurea bulla* eius nomine celebris. *Nicolaus Eymericus*, Innoc. 6 inquiſitor, auctor *directorii inquiſitorum*, ſaepius excuſi, romanae editiones praeſtant; contra *Lulli* opera, contra Aſtrologos, et varias haereſes temporis; commentar. ingentem in Iohannem; in Pauli epiſtolas plures. *Richardus*, armach. aep. ſermones; libri 19 contra errores Armenorum; contra *mendicantes*. *Petrus*, de Ceſſona, monach. claraual. religionis emendandae cauſſa ſcripſit epiſtolam aliquam *Chriſti* ad Innoc. 6. et *Luciferi*, ad mundanos (in *Wolfii* lection. memorabil.) *Iohannis* de Lignano, ICti clariſſimi Itali, quaedam exſtant in tractatu tractatuum; Pro *Vrbano* 6 tractatum adiecit Raynaldus ſuo operi. *Ioh.* 7, abbas S. Bertini, multa in *gallicam linguam* transtulit hiſtorica, ex *Haythono* et aliis; exſtat in cottoniana bibliotheca. S. *Brigitta*, Birgitta, e regio Suecico ſanguine, et *nouo ordine S. Saluatoris* 1363 inſtituto, (regula 31 capitum) et *Reuelationibus* iſtis celebris, quae libris 8 aliquoties excuſae ſunt. ſcripſit autem eas ſupprior aliquis *Petrus*. Multa inſunt contra papam, ideo a *Flacio* in catalogo excerpta — totam pietatem clerici in vnum verbum et in lucrum conuerterunt (da pecuniam) — Huic alia ſancta iungenda, *Catharina* ſenenſis, qua non minus alii abuſi ſunt, ad ſententias publice ferendas; ſcripſiſſe dicitur *italice* orationes, epiſtolas multas (364) dialogum;

logum; eadem honore *ſtigmatum* vſa eſt. *Nicol. Oreſmius*, lexou. epus, qui primus collegium *nauarricum* ornauit, ſacra biblia *gallice* transtulit; ſcripſit de mutatione monetae; quaedam ex *ethicis* et *politicis* Ariſtotelis, etiam *Petrarchae* quaedam gallice dedit; iſtam bibliorum translationem alii cuidam *Radulfo* de Praeles tribuunt, quo Carolus rex Galliae 5 vſus eſt conſiliario; hic ſuam poſt translationem librorum *Auguſtini* de ciuitate dei, ſcriqſit, poſt 1375; tempore igitur diſtinguitur. *Ioh. Horneby*, carmel. ineptis litibus cum dominicano Ioh. *Stokes*, inclaruit; carmelitae ab *Vrbano* 6 tandem obtinuernt, vt quicunque eos fratres Mariae dicerent, haberent indulgentias 3 annorum &c. vnde alii addiderunt, eſſe *Mariae* aegyptiacae, meretricis, fratres; *Oudin.* pag. 1155. *Gerardus* Groot (Zutphanienſis) *Clericos*, ſeu fratres *vitae communis* inſtituit, *ſcholarum latinarum* promotores; eius quaedam aſcetica cum *Thomae* Kempenſis ſcriptis excuſa ſunt; *Ruſbrochii*, et ſimiles libellos e germanico, latine transtulit. *Bartholomaeus Albizius*, piſanus, fine ſeculi edidit turpiſſimas *Conformitates* S. *Franciſci*; quas *emendaſſe* dicitur *Bruchius*, Bonon. ſec. 16, ſed vix alicubi barbariem ſtili mutauit; libri autem argumentum ſaepe aliud ſuffecit. Idem *Albizius* etiam de conformitate (ſeu laudibus) *Mariae* cum Chriſto ſcripſit. *Nicolai* Gorhami, dominic. commentar. in N. T. multi excuſi ſunt, plura MSta ſuperſunt; verum commentar. in *apocal.* nondum excuſum eſſe putat *Oudin.* *Baldus* de Vbaldis multorum librorum, qui ad ius canon. temporis illius pertinent, auctor; nec honore caruit *Petrus* Ancharanus, Baldi diſcip. in *decretales* ſcripſit; et *conſilia*; *Henricus Boick*, in decretales &c. *Hiſtoricorum*, ſi chronica omnia computemus, et eos, qui ſanctorum vitas ſcripſerunt, eſt magnus numerus, ſed meliores fere ſunt iſti. *Petrus*, duisburgenſis, ordin. teuton. ſacerdos, ſcr. chronicon *Pruſſiae*, cui *Hartknochius* adiecit vtiliſſimas *diſſertationes*. *Bernardus Guidonis* ſcr. ſpeculum romanor. pontificum, imper. et regum Franc. item

Speculum sanctorum, seu *sanctorale;* gesta comitum *tolosanorum Catellus* edidit. Chronicon *aulae regiae*, abbatis *Petri;* cui Guil. de Baldenzell dicauit *hodoeporicon* terrae sanctae, (*Canisius* edid. in antiq. lect.) Directorium terrae sanctae, Petrus Paludanus scripsit 1332, ad passagium faciendum; quod gallice transtulit seculo sequenti Sebast. Mamerot. *Itinerarium Odorici*, minor ad Tatáros, excusum est in actis SS. d. 24 Ianuar. *Ioh.* de *Beka*, auctor chronici eporum Vltraiect. et comitum Hollandiae. Anglici sunt: *Rogerius* Cicestrensis (alii Richardus) *Gualterus* Hemmingfordensis, Thomas *Wickes*; *Ranulphus* Higdenus, *Ioh.* de *Tinmuth*, Ioh. de *Fordun*, *Nicolaus* Minorita, scr. historiam *Siciliae.* Guil. de *Boldenslebe* de vltramarinis partibus, (in *Canisio;*) gallice transtulit Ioh. Yprensis; Ioh. de *Mandeuille*, medic. anglus, itinerarium *latine*, anglice, gallice, scripsit. *Nicolai* de *Marcono*, itali, itinerariam in terram sanctam, Mstum in regia gallica bibliotheca, anno 1394. *Ioh. Vitodurani* chronicon, in thesauro Heluetiae exstat, minus copiosum in *Leibnitii* accessionibus. *Henricus* de *Heruordia*; *Albertus* argentinensis in *Vrstisii* corpore; exstat, &c. In corporibus *Martenii* et *Durandi* historici libelli alii in hoc tempus pertinent, chronicon S. *Bertini*, satis copiosum; minora alia chronica plura. *Marini Sanuti* secreta fidelium crucis, et Epistolae, exstant in *Bongarsii* corpore.

2. Sub orientem solem.

Floruit inter *Graecos* humaniorum litterarum studium multo magis, quam inter Latinos, licet ad religionis et Theologiae exornandam formulam iis studiis non magis vsi sint. Scriptores praecipuos designabimus; vnde de eruditionis statu facile arbitrari licet. *Theodulum* monachum, seu *Thomam Magistrum* in huius seculi initium Laurentius *Normannus* retulit, qui eius *orationes* (in *Gregor.* Nazianz. et alios recentiores) et *epistolas* aliquas edidit; eius ἐκλογαὶ ὀνομάτων ἀττικῶν vtiles obseruationes multas con-

continent. *Maximus Planudes*, monachus, vtriusque linguae gnarus, *Auguſtini* libros de trinitate graece transtulit, *Ouidii* etiam *metamorphoſes* ſomnium Scipionis per *Macrobium*, *Boethium*, diſticha *Catonis* &c. Scripſit ipſe varia *grammatica*, in *geometriam*; ſcholia in *Diophanti* alex. arithmetic. Argumentationes contra *Latinos* de proceſſ. Spir. ſ. varias *orationes*, Epiſtolas; ψηφ φοριαν κατ' Ινδες μεγαλην, Vitam *Aeſopi*. De *Nicephoro Gregora* collegit *Oudinus* diſſertationem, p. 768 ſeqq. Eius hiſtoriam *byzantinam* libris pluribus auctiorem edidit *Boiuinius*, cum antea XI tantum editi eſſent; ſcripſit praeterea contra *Palamam*, et alia theologica, *philoſophica* multa; de *Aſtrolabio*, emendatione paſchatis; *orationes* multas; catalogus omnium exſtat in *Boiuini* editione, et *Fabricii* tomo 6 biblioth. gr. De *Barlaamo* iam ſupra c. 1. actum. *Matthaeus Blaſtares*, hieromonachus, ICtus; ſyntagma canonum alphabeticum edidit *Beueregius* in Pandectis; de cauſis matrimonii ap. Leunclauium; praeterea ſuperſunt Synopſis nomocanonis *Ioh.* Ieiunatoris; capita 32 ex Ioh. epi *Citri* reſponſis ad epum dyrrhachii; carmina de *officiis* (in *Goari* notis ad Codinum) *rhetorica*, contra *Latinos* &c. *Ioh. Calecas*, Cpol. patriarcha, ab a. 1331, cuius ſtudium contra *Barlaamitas* ſpectatum fuit; τομος *ſynodi* 1341 exſtat apud *Lambecium*; ſed in alia ſynodo ipſe patriarcha electus fuit; vid. *Allat.* de libris eccleſ. graecor. diſſ. 2. et le *Quien* oriens chriſt. tom. 1. p 299. *Calecae* habentur (in vindob. biblioth.) commentar. in 4 Euangelia; et *homiliae* plures, vid. *Lambec.* *Manuel Philes*, poeta, iambicis carminibus de animalibus, in 4 orationes Nazianzeni, et tetraſtichis in Pſalmos clarus. *Gregorius Palamas*, controuerſia iſta Thaboritica ſatis notus, cuius in laudem Ioh. *Cantacuzenus* lib. 2 hiſtor. c. 39. 40 ſcripſit, aduerſarius vero *Nicephor. Gregoras* fuit, in cauſa Barlaami; ſuperſunt eius quaedam *Homiliae* de transſubſtantiatione; ſcripſit etiam contra *Latinos* de proceſſione; epiſtolas et reſponſum, ad quaeſtionem, quis

fit finis incarnationis (alibi tribuitur *Nicol.* cabasilae.) Ista in controuersia recte illustrarunt nomen θεος, non esse essentiae; sed ἐνεργειας, ista certe fuit entiquissima sententia. Idem in *Cyrillum* cyzicenum metropol. scripsit, cuius *Cyrilli* in MStis quaedam supersunt; quaestiones solutionum dogmatic. Tiberii diaconi. *Gregorius* acyndinus, aduersarius *Palamae*, vid. *Pontani* notae ad Cantacuzenum, post mortem damnatus fuit. Eius opusculum de essentia et operatione dei contra Palamam, cum *Gretseri* versione editum est Ingolstadii 1616, 4. iambicum carmen eiusdem argumenti edidit *Allatius* in Graecia orthodoxa tom. 1. *Nilus* cabasila, aepus thessal. contra papae *primatum* erudite scripsit; saepius excusum est opusculum; supersit eius epistola ad *Nicolaum* Cabasilam, ἀνεψιον, etiam huius ad illum; itaque fas non est e 2 scriptoribus vnum facere, nec *Nicolaum* ep. Methonensem cum Nicolao Cabasila confundere. *Nilus* idem contra *Latinorum* προτασεις seu syllogismos, et *Thomam* scripsit. *Constantinus Harmenopulus*, sub seculi medium, promtuarium, προχειρον, iuris ciuilis et Epitomen iuris canonici; libellum de *sectis* et confessione fidei orthodoxae; catalogum *officiorum* aulae, et magnae ecclesiae; grammatica etiam, lexicon verborum, transitiuorum &c. *Ioh. Cantacuzenus* (monachus nomen *Iosaphat* sumsit) auctor *historicae Andronici* iunioris et sui temporis; extat in corpore byzantino; apologiae 4 contra Saracenos; contradictiones aduersus *Prochorum Cydonium;* sermones contra Iudaeos, paraphrasin in libros 5 *ethicorum* Aristot. Κεφαλαια contra *Paulum*, latinorum epum Cpolitan. Confirmauit τομον exauctorationis Ioh. *Calecae*; sermo contra Palamam haereticum. *Nicol.* Cabasilas scripsit ἑρμηνειαν in Liturgiam, ab Herueto *latine*, postea et graece edita est; contra Thomam *Nilus*, non hic Nicolaus, scripsit; sed omnino eiusdem fuit sententiae, vt recte admonet *Oudinus* p. 987 contra *Allatium.* Libros *sex de vita Christi*, latine edidit *Pontanus*; *septimum* nondum habuit. Supersit etiam in *Ezechielis* partem expositio; plures

res orationes, et opuſculum de ciuilium magiſtratuum iniquis auſis ἐν τοις ἱεροις, philoſophica, contra *Pyrrhonicos*; de ſyllogiſmo, de *rhetorica* &c. *Cydonius* ab a. 1355 meliorem fortunam in Italia quaeſiuit, *Mediolani* latinis litteris operam dedit. Graece reddidit *Thomae* aquinatis libros aliquos, *Auguſtini* de trinitate, et *enchiridion*; *Anſelmum* de proceſſione Spir. ſ. *Richardi* dominic. contra Coranum; ſcripſit iam pro Latinis, contra *Caabſilam*, *Planudem*; varias orationes, epiſtolas &c. *Calliſtus*, patr. Cpolitanus, ſynodo 1351 praefuit, et τομον edidit contra Barlaamitas; vid. *Lambecium*: *orationes* etiam quaedam ſuperſunt. *Matthaeus*, filius Iohannis, *cantacuzenus*, in *cantic. canticorum* ſcripſit, Romae edit. 1624 fol. etiam comment. in *ſapientiam* Salom. ſupereſt. *Vrbani* 5 bulla vnionis vtriusque eccleſiae. *graece* exſtat ap. *Allatium* de eccleſ. or. et occ. conſenſione lib. 2 c. 17. octo aliae epiſtolae huius argumenti ap. *Bzouium* a. 1365. *Theophanes*, aep. nicaenus ſcripſit copioſius opus aduerſus *Iudaeos*, eius analyſin dedit *Poſſeuinus* in apparatu ſacro; et ex hoc *Oudinus*; diſputatio cum *Theotimo*, e barlaamitis; libros 3 contra *Latinos*; *epiſtolae* aliquot latine editae Romae 1590. *Nilus*, *Rhodi* metropol, Latinorum aduerſarius, ſcr. enarrationem nouem ſynodorum (nona, quae defendit Palamam) exſtat in bibliotheca *Iuſtelli*; de ordine in triade diuina, collectanea ex SS. de proceſſione Spir. ſ. hoc tamen opuſculum malunt alii *Nilo* Damylae tribuere, ſub finem ſeculi. *Manuel* 2 palaeologus, qui 1397 legatos miſit ad regem Galliae, ob *Amuratis* arma; 1400 imperator ipſe in *Galliam* venit, atque ibi 156 capitibus apologiam ſcripſiſſe dicitur contra aliquem *Latinum*; capita etiam C paraenetica ad filium, Ioh. palaeol. diſputationem cum *Perſa* quodam, ſeu dialogum 26, contra Muhammedan. oneirocriticon, et multa alia, quae in bibliothecis ſuperſunt. *Iſidorus*. aep. theſſal. *homilias* in *Lucam* reliquit et orationes aliquot. *Calliſtus* Xanthopulus, patriarcha Cpol. eius et *Ignatii* cuiusdam centum capita de *vita monaſtica* ſuperſunt, ſeu ſer-

mones dogmatici. *Manuel Chrysoloras*, legatus 1387 in *Angliam*, postea sub *Bonifacio* 9 Romae mansit; inde *pro Latinis* scripsit de processione; *grammatica* erotemata saepius excusa; latine transtulit *Gregorii* 1 Missam; *epistolae* etiam quaedam supersunt. Hoc praeceptore iam multi *Latini* feliciter vsi sunt. Sub finem seculi etiam floruit *Iosephus*, aegyptius presbyter, *arabicorum* canonum collector et paraphrastes, de quo plura *Beueregias* in pandectis canonum.

Tabula seculi XIV.

A. Chr. 1301 Hegirae 701. d. 5 Sept. *Bonifacii* annus 7, quo regem Galliae ob *Apamiarum* epum prouocare ausus est. rex respondet: sciat tua magna fatuitus &c. *Bulaeus.* *Albi* seu Gibellini *Florentia* eiiciuntur, et cum eis *Dantes Aligerius*, linguae patriae cultor. In Hungaria lites ob 2 reges; papae legatus male exceptus Synodus Prouincial *Rhemensis*. Papa natales restituit filiis *Sancii* Castell. *Casanum*, tatar. regem quidam christianum factum scribunt. *Grossi bohemici* primi; dubrau. *Alberti* imperat. annus 4.

1302 Hegirae 702. d. 26 Aug. *Bonifacii* bulla: *vnam sanctam* &c. *Eduardo* decimas concedit contra Philippum, Galli papae audacter se opponunt; *Bulaeus.* *Albertus* domat aepos germau.. Synodus *toletana*, de *viatico* statuit; et preces ad *Mariam* iubet. Officium *inquisitionis* papa dat dominicanis; *Pyxidem* nanticam inuentam hoc a. quidam scribunt.

1303 Hegirae 703. d. 15 Aug. Pax inter *Carolum* et *Fridericum* de Sicilia. Societas catulanorum sub *Rogerio*, templario; *Gregoras* lib. 7. Papa *Alberto* imperium iam confirmat; in conuentu *paris.* papa accusatur de haeresi, caede Caelestini &c. vid. *Bulaeum* p. 41. *appellatur concilium;* papa a *Nogareto* et aliis, (*Paterinos* dixit papa) capitur in throno, ad equi caudam ligatur; moritur; aperitionem 1605 describit *Bzouius*; sufficitur *Benedictus* XI. De puero necato a Iudaeis in *Weisensee*, narrat *Siffridus* lib. 2. Moritur *Iuo*, Ictus, a Clem. 6 canonisatus.

Re-

A. Chr.

1304 Hegiræ 704 d. 4 Aug. Reſtituit ſacra Galliae, et moritur *Benedictus;* ſedes vacat XI menſes; ad Benedictum litterae *chaldaicae* ſcriptae Hyabalabae, Raynald. *Franciſc. Petrarcha* naſcitur. *Iohannes* abit a *patriarchatu* Cpolit. ſuccedit denuo *Athanaſius*; qui *Latinis* et Alexandrinis templa adimit; le *Quien;* poſt annos 8 ipſe abdicat; ſupereſt libellus abdicationis et epiſtola ap. *Bandurium* in antiq. Cpolit. *Iohannes* Pariſ. opinio de *ſacra caena;* vid. diſſert. *Oudini* p. 635 ſeqq.

1305 Hegiræ 705. d 27 Iul. *Clemens* 5 eligitur *Lugduni* coronatur; *aurelian.* academiam condit *Pragae*; in *Iudaeos* ſaeuitum, ob hominem crucifixum; *Wenceslaus* moritur. *Michael* palaeol. moritur; *Andronicus* fil. ſolus regnat. *Ioh.* de monte *Coruino*, minor. miſſionarius Tatarorum, in *Cambalac* baptizat 6000, *Raynald. Haytho* in Cypro fit monach. praemonſtrat. *Ioh. Scotus*, laureatur in Theologia pariſiis. Fundatur collegium *Nauarricum*, Bulaeus p. 74. Medicus comitis Luzelburg. fit aep. mogunt. in locum *Gerhardi.*

1306 Hegiræ 706. d. 13 Iul. *Carolo Valeſio* papa imper. Cpolitan. offert, *indulgentias*que et decimas; grauamina cleri *anglicani* contra *Eduardum*, ap. *Bzouium* exſtant. *Theodorus*, fil. Andronici *Montisferratum* occupat. *Hoſpitalarii* Rhodum oppugnant. *Iudaei* e Gallia pulſi.

1307 Hegiræ 707. d. 3 Iul. Papae anathema in *Andronicum*, *Philippus* et *Bonifacii* memoriam damnari vult; accuſatio *Templariorum. Albertus* imperator a coniuratis occiſus; *Henric.* Luzelburg. eligitur a. ſequenti. *Lollardi* haeretici vexati. Occiſo *Wenceslao* Bohemiae regnum ad Germanos tranſit. *Haytho* venit ad papam. Ioh. de monte Coruino fit aep. Cambalienſis et Legatus orientis; *Eduardo* ſucc. filius nominis eiusdem 2. Initia *foederis Helueticí.* Legatio papae ad *Raſciae* deſpotam, qui a Graecis diſcedere dicebatur.

1308 Hegiræ 708. d. 21 Iun. Curia papae *Auinionem* translata. Bulla papae de quaeſtione in *Templarios*, ad omnes epos, cum *capitibus* accuſat. *Bzouius* &c. *Dulcinus* haeretic. occiſus. Academiam *Peruſinam* papa condit. *Hungari* legato papae reponunt: antiqui iuris eſſe, vt ſine papa regem ſibi eligant; *Carolus* fit rex.

A. Chr.

Hospitalarii in bellum saracen. a papa excitati; et *indulgentiae* aliis datae. *Ioh. Duns*, Scotus, Coloniae moritur.

1309 Hegiræ 709. d. 10 Iun. *Italiae* quaedam vrbes ab *Henrico* alienae; papa *Robertum*, Caroli cunctatoris fil. (hoc a. mortui) Siciliae, Hierosolym. regem prodit; continuae *indulgentiae* in sacram militiam. Anathema in *Venetos*, qui *Ferrariam* tenebant. *Arnaldus, villanouanus*, medicus, a *Iacobo* Aragon. ad papam missus, de Hierosolym. regno cedendo; de huius *Arnoldi* erroribus paulo post agunt, *Eymericus*, *Bzouius* et *Bulaeus*. *Bartolus* de Saxoferrato, nascitur, 1Ctus.

1310 Hegiræ 710. d. 31 Maj. *Philippus* rex porro vrget papam in caussa *Templariorum*; *Henricus* in Italiam ducit; Indicit papa *concilium* generale. *Cruciferi* Polonos premunt, Pomeraniam inuadunt; similia in Prussia, Liuonia faciunt, vnde apparet, eos *delendae* potius religionis curam habere; Bzouius. *Guiardus* aliquis dicit se angelum *Philadelphiae*, Spondan. Vacat sedes Cpolitana post *Athanasium*, biennio, Papa iubet de *exemtionibus* consultare, *Bulaeus* p. 130. *Henrici* imp. filius Iohannes, ducit *Elisabetham bohemicam.*

1311 Hegiræ 711. d. 20 Maj. Concil. *Viennensis* prima sessio d. 16 Octobr. *Henricus* in Italia feliciter bellum circumfert; *coronationis* modum papa describit, apud Raynaldum. *Thorunì* monasterium virginum conditur, in memoriam puniti ducis Lituaniae, qui eucharistiam pedibus calcarat. Narrant hoc anno, de *constitutione* imper. *Henrici*: absurdum esse imperatorem praestare iuramentum seruo seruorum.

1312 Hegiræ 712. d. 9 Maj. Sententia in *Templarios* lata; turbae ob eam *Moguntiae*. *Henricus Romae* coronatur, pulsis guelfis. *Bzouius* hic de *Raymundo Lullo* verbosius agit, quem alii *Seneschallum*, mercatorem autem *Eymericus* dixit. Circa hoc tempus *Niphon* 1. patriarcham ponit *le Quien*; in regia gallica bibliotheca est ἔλεγχος contra eum. De *Begardis* exponit hic *Raynaldus* copiosius. Controuersia *Franciscanorum*, de *exemtionibus*, idem. *Turcarum* victoria; *Philippus* rex et *Henric.* imp. fingunt, propositum ipsis esse, ire in terram sanctam. *Alfonsus* Castell. succedit *Ferdinando*. Pro-

A. Christi

1313 Hegiræ 713. d. 28 Apr. Promulgata concilii *viennens.* decreta; etiam *Festum corporis Christi* confirmatum. *Henrici* imp. diploma contra Robertum Sicil. papa sententiam imper. rescindit, mortuo interea *Henrico;* vt narrabatur, *ex venenata hostia;* multa hic collegit *Bzouius;* etiam de testimonio *Ptolemaei* lucensis. Papa creat *Robertum Vicarium imperii.* Imago Mariae *Guadalupensis* reperta,

1314 Hegiræ 714. d. 17 Apr. Moritur *Clemens 5*; dissensiones cardinalium, vt electorum de rege romano; alii *Ludouicum,* bauarum; alii *Fridericum* austr. volunt. Moritur *Philippus* pulcher, ex morbo, vt Gallici; equi casu, vt alii scriptores; succ. fil. *Ludouicus* Hutin. *Robertus Barton,* carmelita, a rege Angliae contre *Scotos* ituro assumtus, vt victoriam carmine celebraret, a *Scotis* captus contrarium carmen scribit. *Bzouius praescriptiones* hic inserit, de iure papae in electionem imperatoris; papae dictum est: cognosce vultum *pecoris tui.*

1315 Hegiræ 715. d. 6 Apr. In *Germania* bellum inter 2 reges; S. *Albani* vestis in Anglia reperta, cruenta et multorum miraculorum operatrix, Aep. *magdeburg. Burchardus* a suis occisus. In *Austria, Boemia* &c. supra 80000 haeretici; sententias eorum recensет *Bzouius* ex *Hirsaug.* Horrenda fames per plerasque *Europae* partes. Franc. *Mayronius* instituit *maiores Sorbonicas,* disputiones 14 horarum; is negauit thesaurum *satisfactionis* Christi apud ecclesiam repositum.

1316 Hegiræ 716. d. 25 Mar. Parlamentum fixum fit. Rex Galliae cardinales *Lugduni* in conclaue cogit, ei sublato succ. frater *Philippus* longus; excluso duce Burgund. lege salica. *Iohannes* 22 se ipsum creat. ad eum legationes plurium, pro regno romano, Sardiniae, Corsicae, Siciliae. *Petrus* de *Apono,* conciliator, floret, qui post mortem ob haeresin et magiam combustus fuit. Post annum a *Niphone* fit patriarcha Cpol. *Ioh. Glycys,* vxore statim dimissa; eo *Atticismi* praeceptore vsus fuerat *Niceph. Gregoras,* lib. 7.

1317 Hegiræ 717. d. 14 Mar. Papae constitutio aduersus *Vicarios imperii* in Italia apud *Bzouium,* et inter *extrauag. commun.* etiam contra *Alchimistas* habet Bzonius, num. 12, *Hugo,*

A. Chr.

go, caturc. epus, omnibus insignibus privatus, in carcere moritur, Constitutio contra *Fraticellos.* Ordines militares, *Montesii*, et *S. Georgii* afamensis, in Aragonia instituti. Inquisitores in *Bohemiam* missi, *Clementinae*, seu *decretalium* liber 7, Bononiam a papa missae.

1318 Hegiræ 718. d. 4 Mart. *Minoritarum* continuae lites decreto suo papa componere frustra tentat; 4 Franciscani Massiliae combusti: vid. de eorum calamitate *Alvarus Pelagius. Monachorum alborum*, oliuetanorum. in agro senensi, ordinem papa confirmat. Moritur *Bartholomaeus*, paruus; dominic qui in *Armenia* minori praedicauit. *Franciscus Petrarcha* scriptis iam clarus; Rebellio *baronum* Bohemiae.

1319 Hegiræ 719. d. 21 Feb. *Matthaeus* vicecomes Mediol. papae decreta sperait; ideo *haereticus* habetur. In *India*, ad S. Thomae christianos ituri 4 missionarii, a Saraceno ob generationem filii dei &c. religionis caussa igni addicti, vini exeunt *Raynaldus*; alii a. 1321. *Iacobus*, fil. regis Aragon. ordinem *Calatravae*, inde *Montesii* ingreditur, luxuriae caussa, *Bzouius.* Papa *Eremitis* August. tribuit 3 officia in curia sua: *sacravii*, *bibliothecae*, et *confessionis.* Bella *Guelforum* et *Gibellinorum* Italiam continua turbant, *Bzouius* recenset crassos errores Talmudis, quos papa publice damnauit.

1320 Hegiræ 720. d. 10 Feb. Papa porro inter *Fridericum* et *Ludouicum* medius; *Gibellinos Andronicus* classe iuuerat, in quem iam rebellat filius. Papa Iudaeos defendit, quos ob veneficia publice vexabant *pastorelli. Gerasimus Iohanni* (cuius libellus abdicationis supereſt,) homo imperitus, sufficitur patr. *Cpoli*; Niceph. Gregor. l. 8. In Anglia falsus *Eduardus* surgit. *Ladislaus* loctícus, Polon. *Denarium* Petri per omnia capita, papae spondeot; duces Silesiae repugnant.

1321 Hegiræ 721. d. 31 Ian. *Bzouius* inuehit in scriptores pro *Ludouico* bauaro et *Gibellinis*; etiam in *Dantis* libros de *Monarchia.* Constitutio papae in Fraticellos et curtos eorum habitus; Philippo succ. frater, *Carolus* pulcher. *Raynaldi* aepi rauennat, decreta, pro *reformatione Benedictinorum* et *Augustin.* In monasterii *aulae regiae*, in Bohemia, lateribus, totum V.

et

A. Chr.

et N. T litteris maiusculis scriptum fuit; Spondanus notat ex *Aenea Silvio*; *chronicae* huius monasterii auctor h. a. habet *epistolam Iohannis* papae quae in *Iudaeorum* derisum conficta videtur. Sedes Cpolitana vacat annis fere 3, ob turbas ciuiles. *Dantes* Aliger. moritur in Aragonia.

1322 Hegirae 722. d. 20 Ian. Continuatur controuersia de *paupertate*. papa *inquisitionem*, aduersus *Matthaeum* vicomitem fulminat; Bzovius habet verbosum processum. In *Saracenos* crux promulgata. *Thomae* aquin. apotheosis; sic scribit Bzovius; bulla ap *Bullaeum* pag. 197. et Bzovium. *Ludouicus* victoriam a *Friderico* reportat, *Niceph. Gregoras* narrat de *funambulonibus*, lib. 8.

1323 Hegirae 723. d. 10 Ian. 724. d. 29 Dec. Cpoli *Esaias* homo ineptus, fit patriarcha; *Cantacuz.* lib. 2. *Ludouicus Galeatio* subsidia mittit; *Sardinia* per regem Aragon. *Pisanis* erepta. *Saraceni* Armeniam premunt; papae studia in *Armenos*, Raynald. rex *Seruiae* dicitur ad rom. ecclesiam accedere.

1324 Hegirae 725. d. 18 Dec. Papa excommunicat *Ludouicum* bauarum; processus apud Bzovium; Ludouicus ad *concilium* futurum prouocat; Marsil. de Padua et alii contra papam scribunt. Noua papae decreta de *paupertate*; *Raynaldus* excerpit ex *Nitela* Franciscan. eam et refutat Crux in *Galeatium* proclamata.

1325 Hegirae 726. d. 8 Dec. Papa regem *Carolum* imperio praeficere conatur, Raynald. concordiae *Friderici* et *Ludouici* quaedam species obtinet. *Petri Iohannis Olini*, ordin. minor. haereses 21 recenset Bzovius ex *Eymerici* directorio; huius Iohannis *postillam* damnat papa consistorialiter; *Baluzii auenion.* pag. 117. 140. 167. vid. et *Raynald.* Ioh. rex *Bohemiae* partem *Poloniae* arripit.

1326 Hegirae 727. d. 27 Nou. Romae dissidia inter *Vrsinos*, papales, et *Columnas*, gibellinos. Magnae turbae Angliam concutiunt Eduardus 3 tandem succedit, Eduardus 2 in carcere necatus. Cum *Graecis* de vnione actum, qui *Gallorum* expeditionem metuere videbantur; papa contra *Nestor.* et *Iacobitas*, Graecosque purgatorium negantes, scribit *Raymundo* patr. Hierosol. Raynald.

Phi-

A. Chr.

1327 Hegiræ 728. d. 16 Nou. *Philippus Valeſius* ſucced. Caroln Galliae; *Ludouicus* bauar. in Italiam ducit, a quibusdam *Presbyter Iohannes* nominatus. Ioh. *Villanium* hiſtoricum hic eximie laudat *Spondanus*. S. *Rocchus* moritur, qui peſtilentiam procurat. Papa condemnat *Marſilium paduanum* et Iohannem de Ianduno; Bzouius habet bullam verboſiſſimam; et Papae diplomata pro *inquiſitione* in Polonia adiuuanda. *Franciſcus Aſiuanus*, aſtrol. Florentiae combuſtus. Dato ſigno *aue Maria* ſub veſperam repetentibus Indulgentiae datae.

1328 Hegiræ 729. d. 5 Nou. *Raynaldus* copioſe contra *Ludouici* ſcriptiones agit; papam non poſſe, nullum ob crimen, deponi, n. 30 ſeq. Papa alium regem iubet, non Francofurti, eligi; *Ludouicus Romae* papam alium creat (*Petrum* da Corbaria) *Nicolaum* 5. et coronatur. *Michael* Caeſenas, *Ockam*, *Bonagratia*, ad Ludouicum ſe conferunt; *ordinem* Franciſc. Iohannes voluit exſtinguere. *Andronicum*, auum, throno deiicit *Andron*, iunior, ope *Ioh. cantacuzeni*; varie narrant *Niceph. Gregoras* et *Phranza Cantacuzenus*. Moritur *Othmanus*, Pruſae; ſuc. fil. *Orchan*.

1329 Hegiræ 730. d. 25 Oct. *Nicolaus* 5 Piſae traditur in cuſtodiam, reconciliatur Iohanni; antea *Iohannis* imago ſtraminea degradata et combuſta; magnum chronic. belgic. *Bzouius* hi e *Kranzio* narrat atrocem de Iudaeorum ſceleribus fabulam. *Petrus Cugnerius* in Gallia regis iura, *Bertrandus* Ep. edu. clericor. defendit; huius exſtant in biblioth. patrum. *Petro* infamiam perpetuam adhaeſiſſe ſcribit *Spondanus*. *Frider.* auſtriac. mortuus. *Iohannes bohem.* rex, qui et *Poloniae* ſe dicebat, a *Magiſtro* cruciferorum in *Pruſſiam* vocatus; epus Wladislauiae tum praefuiſſe dicitur *Matthias*, e 12 ſimul vno partu editis, ſuperſtes.

1330 Hegiræ 731. d. 14 Oct. Papa ſcribit ad regem *Bohemiae*; hic ſe arbitrum gerit inter papam et *Ludouicum*. Bzouius exhibet *confeſſionem* Nicolai. De *Chaldaeorum* dogmatibus, ex Strozza Bzouius multa hic inſerit; et Epiſtolam *Barlaami* ad Alexium. *Caroli* regis Hungar. infauſta expeditio in Walachiam. Foedus plurium ciuitatum Italiae contra Scaligerum.

Ioh.

A. Chr.

Ioh. de Lignariis floret, qui primus parisiis Astronomiam docuit, Trithem.

1331 Hegiræ 732. d. 4 Oct. Responsio magistri generalis minor. aduersus *Mich.* Caesenam; exstat ap. Bzouium cum sententia *Capituli*. Controuersiae de *visione beatifica* papa locum dat; inter Graecos similis, de lumine *Thaboritico* &c. *Barlaami* 2 epistolas hic descripsit Bzouius. *Cruciferorum* perfidia in *Polonos*. *Ludi equestres Pegauiae a Friderico*, missensi landgrauio, celebrantur parum feliciter. *Tigurum* narrant 18 annis, ob Ludouicum bauar. sub excommunicatione sacris caruisse.

1332 Hegiræ 733. d. 22 Sept. *Andronicus* senior moritur, qui *Mariae* imaginem loco euchariſtiae in os impositi; Niceph. Gregor. lib. 10. *Cantacuzen* lib. 2. Hic Bzouius multis in Graecos inuehitur; idem ex *Demetrii* graeci ad *Barlaamum* epistola excerpta dedit dubiorum, de *processione* Spir. s. verbosa; cum responsione Barlaami. Papa dat indulgentias orantibus pro vnione *Graecorum*; et nouos mittit *Missionarios* in *Armeniam*. *Philippus* ille dictus latinus imperator Cpol. moritur.

1333 Hegiræ 734. d. 12 Sept. Hoc fere tempore nouus patriarcha Cpol. *Ioh. Calecas*, *Aprenus*, primo sedis anno synodum contra *Barlaamum* agit, Cantacuzen lib. 2. 11. Duo dominicani epi, vnionis caussa missi, suadente *Nicephoro Gregora* (vid. lib. 10) non in colloquium admissi. *Barlaami* demonstrationem processionis Spir. s. *ex filio*, exhibet Bzouius. *Mauri Gibraltar* expugnant. Rex Galliae et multi alii crucem in Palaestinam sibi imponunt. *Casimirus* polon. patri Ladislao succedit.

1334 Hegiræ 735. d. 1 Sept. Moritur papa *Iohannes* relictis, vt quidam compatunt, 25 millionibus. *Albertus* argent. narrat de visione epi, qui nouum papam vidit, et cardinali (*albo*, i. cistertiensi, fuit molitoris fil.) isti dixit: vos estis papa; uidi stabulum immundissimum - nunc pastor, et *stabularie*, expurgate *stabulum immundissimum*, curiam et sedem apostolatus -. Successit *Benedictus* XII.

1335 Hegiræ 736. d. 21 Aug. *Fratricellorum* 55 haer. iter. recenset Bzouius ex *Eymerico*. Papa abstinet a fulminibus sacris in Lud. *Lauretana*

A. Chr.

tanae Mariae effigiem ad aram illius implorantibus, indulgentiae datae; ludimagistris imperatum, vt pueriles aures statim imbuant hac religione; Bzouius e Turselliano.

1336 Hegiræ 737. d. 7 Aug. *Benedictus* quaestionem de *visione beatifica* componit. Acta lectu digna de reconciliatione *Ludouici* et papae; apud Bzouium. Foedus regis Angliae et Ludouici. Papa dat *indulgentias* iis, qui *Armenos* in bello adiuuerint. *Sepulcrum* Christi in Hierusal. Fratribus Minoribus a Sultano babyl. permissum.

1337 Hegiræ 738. d. 30 Iul. Bzouius e Pontano ad Cantacuzenum multa, excitat de controuersia illa Barlaami, *Phothei* patriarchae lib. 14 contra Gregoram &c. *Eckardi conuiuium*, e Taulero, describit Bzouius, etiam ex *Henrico*, fusone, et de ipso *Taulero*. Florent *Ludolfus* Saxo. *Petrus Aureolus*. Rex Bohemiae iratus in vratislauiensem *pop*, f. epum, ob excommunicationem. Papa ordines monachorum ad studia impellit. *Armleder* in Iudaeos furit. Leges *palatinae* Iacobi 2 maioricae; acta SS. tom. 3 Iunii, initio.

1338 Hegiræ 739. d. 19 Iul. Hic recenset Bzouius *Ludouici* constitutionem, de *imperatoria dignitate*, quae papae confirmatione non eget; donatio *Constantini a Lupoldo* bambergensi reiecta; de epistola Electorum e *Rcinsee* ad papam, pro *Ludouico*, dubitare audet. Leg. *Hermart* contra Bzouium. *Eduardus* ob nomen *vicarii imperii* a papa reprehenditur. *Dominicani* Francofordia, Spira, electi, vt papales, *Vrithem*. Hostia a *Iudaeis* in *patauiensi* dioecesi gladio icta, sanguinem emittit; eam pada iubet honorari.

1339 Hegiræ 740. d. 9 Iun. *Gibellini* rempublicam *genuensem* ad exemplum *Venetorum* immutant. *Barlaam* venit ad papam, et exponit res inter Graecos a se gestas; Bzouius ex *Arcudio* disputat. *Vecci*, *Palamae* et *Bessarionis* refutationem hic inserit, et *Barlaami* orationem in consistorio habitam; sed papa statuit, indignum esse *Graecorum* caussa nouum concilium haberi. *Ockami* doctrina ex acad. *paris.* proscripta. *Pisana* academia conditur.

1340 Hegiræ 741. d. 27 Iun. Turbae ob diuortium *Cariathiacae* a Ludouico imper. sine papa procuratum; eam *Margaretham* filio, mar-

A. Chr.

marchioni Brandeburg. dedit, dispensationis ipse auctor. Angli Gallos nauali praelio vincunt. *Simon* Quartus, genuensium decreto, classem in orientem feliciter *Caffam* duxit. Cruciferi aduersus Mauros in Hispania feliciter pugnant. In Campania falsus epus *Armenus* capitur. De *Gertrude* ab *Oesten*, narrat *Bzouius*. Errores quidam de *trinitate* parisiis damnati, *Bulaeus* p. 266. Floret *Gregor. Arimin. Thomas* Argentin.

1341 Hegiræ 742. d. 16 Iun. Rex *Bohemiae* patitur romanam ecclesiam dici meretricem babyl. huic sectae se opponens inquisitor, *Ioh. Schwencfeldius*, occisus fuit a sicariis; Bzouius. Papa audit *armenos* legatos; eorum errores 33, *Caluinianis* simillimos, describit *Bzouius*. *Barlaam* Cpolin redux, contra *Palamam* sine successu agit. Describit Gregoras, et *Cantacuzenus* &c. paulo post moritur *Andronicus*; arripit imperium *Ioh.* cantacuz. (cuius filiam *Turcorum Vrchan* habuit.) Tutor pueri *Ioh.* palaeol. Patriarcha, Iohannes per *Lazarum* hieros. in synodo deiectus.

1342 Hegiræ 743. d. 6 Iun. Moritur *Benedictus*; sufficitur *Clem. 6*; carmen in viduam Romam, *Petrarchae*, inseruit Bzouius; idem bullam de *Iubilaeo* a. 50 celebrando; hic describit. *Carolo* Hungariae, succed. fil. *Ludouic. Roberto* autem Siciliae, fil. Iohannes. *Ioh. Bocacius* floret. *Apocauci* graeci falsae litterae, *Annae* augustae nomine, ad papam perlatae.

1343 Hegiræ 754. d. 26 Maj. Papa in *Ludouicum*, et aep. moguntinum, &c. sententiam dicit; *Petrarchae* querela, de statu regni neapolitani, ap. *Bzouium*, ex epist. lib. 5. Anglorum querelae, de papalis curiae malis institutis; *Hospitalarii* a papa admoniti, vt ordinis sui diuisionem caueant. *Mich. Caesenas* moritur. *Andreas Dandulus*, fit dux Venet. historiae patriae auctor. Rex Aragoniae Gerundens. epum et canonicos regno eiicit. Papa hortatur Graecos ad vnionem, missis quibusdam auxiliis; Cantacuzen. lib. 3.

1344 Hegiræ 745. d. 15 Maj. Papa *passagium* contra Turcas proclamat per Germaniam, et nouas indulgentias, Trithem. *Dioecesis treuer.* et *colon.* impetrat a papa liberum vsum lactis, butyri, ouorum, extra quadragesimam.

A. Chr.

Eduardus inst. ordinem *Garteriorum* equitum, (a corrigia, quae sinistrum crus infra genu ambit;) Papa creat principem *insularum Fortunatarum*, quae feudum sint sedis Apostol. *Ioanna* Siciliae caussa homagium papae praestat. Praga fit metropolis, Moguntiae non amplius subiecta.

1345 Hegirae 746. d. 4 Maj. Papa nouum *anathema* in Ludouic. imperatorem prodit; decimam in bellum sacrum orientale imperat; actum cum *Cantacuzeno* de ea re, etiam de *vnione*. Lector *theologiae* e dominican. *Valentiae* institutus.

1346 Hegirae 747. d. 23 Apr. Papa de *Carolo*, Bohemiae, regno *Germaniae* praeficiendo agit; eius electionem confirmat. *Florentiae* lex contra cleri potentiam et *inquisitionem* lata. *Heidelbergensis* acad. instituta. Hoc fere tempore moritur *Ioh. Calecas*; sufficitur *Isidorus*, Monembasiae, sed paucorum mensium; huic, *Callistus*, palamita.

1347 Hegirae 748. d. 13 Apr. *Nicolaus Gabrinus*, quia papa non redit, libertatis specie res nouas Romea molitur; longa historia ap. Bzouium; de scripto *Petrarchae* nomine, ibid. *Ludouicus* Hungar. in Italiam ducit, inuito pontifice. Moritur *Ludouic.* bauarus, non sine veneni suspicione; quidam *Eduardum* eligunt.

1348 Hegirae 749. d. 1 Apr. *Carolus* Fridericum Landgrauium 10000 marcis a regno semouet: de *Waldemaro* falso narrant. Instrumentum venditae per *Iohannam* neapol. *Auenionis* apud *Bzouium*.

1349 Hegirae 750. d. 21 Mar. Pestis per Europam; *Flagellantes* augentur. *Guntherus* Schwarzburgicus *Carolo* opponitur, parui temporis aemulus.

1350 Hegirae 751. d. 11 Mar. Annus *Iubilaeus*. Chronicon *Ioh.* de *Beka* definit. Philippo Valesio succedit fil. Iohannes. Legatus *Armenus* ad papam. *Matthias* Brigittae praeceptor spiritualis *Stokholmiae* moritur.

1351 Hegirae 752. d 28 Feb. *Foedus Helueticum* augetur. *Philippus Auria* res Genuensium amplificat. Papa vetat, ne porro in Gallia *porci* in nomine S. *Antonii* nutriantur. Bulla ad *Armenos* fidei causa, ap. Bzouium; loco auxilii.

1352 Hegirae 753. d. 18 Feb. Composita controuersia de Sicilia inter *Ludouicos*, Tarentinum et Pannonium; *Genuenses* Cpolin ob-

A. Chr.

obsident, quia *Veneti* inde auxilia acceperant *Cantacus.* lib. 4. c. 11. *Wicleffi* initia. Moritur *Clemens* 6 suffectus *Innoc.* 6.

1353 Hegiræ 754. d. 7 Febr. *Franciscus Baroncellus* Romae nouas turbas excitat; *Petri* patrimonium laceratur; per legatum papae restituitur. papae epistolae ad *Cantacuzenum* et alios Cpolitanos, de vnione; *Gregoras* et alii palamitis se opponunt.

1354 Hegiræ 755. d. 27 Ian. Papa regem *Castellae*, Petrum, corrigere studet, *Blancam* quae a marito discesserat, consolatur; in Italia clauium parua est auctoritas; papae epistolae in regnum *Rasciae; Abdallam*, regem montium clarorum, hortatur ad christiana sacra tandem amplectenda.

1355 Hegiræ 756. d. 17 Ian. *Carolus* 4 Mediolani, et Romae coronatur. Moritur *Ioh. Taulerus* dominic. de eius doctrina multa *Bzouius* excerpsit; etiam de *purgatorio;* refutat *Eckium. Ioh. Palaeologus* multa spondet, vt auxilium per papam impetret.

1356 Hegiræ 757. d. 5 Ian. 758. d. 24 Dec. *Bulla aurea* a Carolo 4 Norimb. edita; papa regem Galliae *Iohannem* admonet, de bonis ecclesiae. *Ioh.* palaeologum vrget de vnione. Epus Augustanus in Italia res Caroli bello gerit.

1357 Hegiræ 759. d. 14 Dec. Interdictum per regnum Castellae. Ioh. de *Rupescissa* in carcere. *Alfonso* quarto Portugall. succedit fil. *Petrus.*

1358 Hegiræ 760. d. 3 Dec. Seditio rusticorum per Galliam componitur; de canonisatione *Leopoldi* austriaci agitur. *Ioh. Columbinus*, senensis, floret, *Iesuatarum* auctor. *Amurathes* Turcorum rex. *Henricus*, Bartoli praeceptor. moritur.

1359 Hegiræ 761. d. 22 Nou. Papa *Carolum* admonet, ne audeat clericis malis sequestrationem prouentuum minari. Carolus edit sanctionem de priuilegiis clericorum. De *Berthaldo* de *Korbach*, praecursore Caluini, narrat Bzouius et de Nicolai calabri erroribus; Barthol. *Iamnez*, AnteChristi tempus docet inuare.

A. Chr. 1360 Hegiræ 762. d. 11 Nou. Aepus Viennenſis a papa deiectus; 600 ſcuta retinet. Auguſtiniano, Buſulario, poenitentia in ferrea cauea decreta. Academia *pragenſis* inſtituta a Carolo,

1361 Hegiræ 763. d. 31 Oct. *Amurath* Graecos porro premit; e multis captiuis quidam Iengitſerorum, Ianiyerorum, militiam hic ordiuntur. *Burgundiae* dux vltimus moritur; linguae gallicae vſus publicus in Anglia abrogatur. *Calliſtus*, poſt *Philotheum*, ſecundum patriarcha, ab anno 1355 iam moritur.

1362 Hegiræ 764. d. 21 Oct. Moritur *Ludouicus* Sicil. *Birgitta* floret. *Innocentius* 6 moritur, ſucc. *Vrbanus* quintus. Diſſidium inter *Carolum* imper et generum *Hungar.* regem *Philotheus*, poſt *Calliſtum*, ſecundum fit patriarcha.

1363 Hegiræ 765. d 10 Oct. *Iohanna* Sicil. nubit regi maioricarum. *Robertum* latinumcpolitan. imperat. papa cenſuris abſoluit. *Ioh.* palaeol. *Turcis*, qui nauibus *Genuenſium* vſi erant, fit vectigalis. *Carolus* 4 libere ſententiam dicit, aduerſus paſſagium. *Albertus*, dux megap. fit. rex Sueciae.

1364 Hegiræ 766. d. 28 Sept. *Ioh.* rex Galliae Londini moritur; ſucc. *Carolus* 5. Papa fruſtra *Romam* redire parat; *Bononienſe* collegium condit, 20 burſariorum. *Robertus* ille moritur.

1365 Hegiræ 767. d. 18 Sept. *Petrus* rex Cypri, Alexandriam expugnat, ſacrum bellum papa bullis adiuuat. *Ioh.* Laſcaris et *Demetrius* angelus, ad rom. eccleſ. tranſeunt. *Henricus* Suſo moritur. *Bertholdus* Niger, Franciſc. floret, quem puluerem bombardarum inueniſſe putabant.

1366 Hegiræ 768. d. 7 Sept. Petrarcha papam *Romam* redire per epiſtolam rogat; papa *Ioh.* palaeologum ad fidem romanam hortatur, miſſa *formula fidei*. Ciuitates imperii foedus ineunt.

1367 Hegiræ 769. d. 27 Aug. Papa *Romam* redit; *Petrarchae* gratulatoria: patriarcha Cpolit. cum legatis aliis, ad papam venit.

Caro-

A. Chr.

1368 Hegiræ 770. d. 16 Aug. Carolus 4 in Italiam venit. *De Paula* Camaldulensi virgine, Bzouius narrat. *Petro* portugall. succedit *Ferdinandus*. *Sigismundus* Carolo 4 natus.

1369 Hegiræ 771. d. 5 Aug. *Ioh.* Palaeolog. Amuratis metu *Romae* fidem latinorum profitetur. *Iudaei* Bruxellis hostiam dicuntur transfixisse. *Wiclefi* scripta varia.

1370 Hegiræ 772. d. 26 Iul. Moritur *Vibanus* 5; succ. *Gregor.* XI; postquam Wilh. Pratum fecerat aepum *Cambalacensem* (sic scribendum nomen sedis *Magni Cani; Hyde* ad *Peritsol.* pag. 220. tom. 1. dissertatt. per. *Sharp* 1767.) aliumque ad *Georgianos* destinauerat. *Casimirus*, m. polon. moritur. *Catharina* senens. floret

1371 Hegiræ 773. d. 15 Iul. Petri *Bonagetae* sententiae de *hostia* damnatae, ap. Bzouium. Bellum inter ciuitates et comites *Sueuiae*. Galeatii filio *Isabella* gallica nubit; splendissimo conuiuio interfuit *Petrarcha*.

1372 Hegiræ 774. d. 3 Iul. Inquisitores *Turlupinos* multos comburunt, qui non tam ore, quam corde orandum esse statuebant; papa *Lulli* scripta damnat; aliam informationem de *Lullo*, 1583 congregatione S. *Officii* exhibitam, habet *Bzouius*, et plura acta.

1373 Hegiræ 775. d. 23 Iun. Papa conuentum orientalium, apud *Thebas*, indicit; *Hieronymitas*, ab Italis ortos, in Hispania confirmat. Processus *canonisationis* Andreae Orsini ap Bzouium. Moritur *Birgitta*.

1374 Hegiræ 776. d. 12 Iun. *Speculum Saxonicum* per papam damnatur; ciuitates plures a papae in Italia dominio deficiunt, *Saltuntium* greges comparent: *Petrarcha* moritur.

1375 Hegiræ 777. d. 1 Iun. *Wiclefi* doctrina damnatur. *Catharina* senensis h. a. *stigmata* accipit; ei Christus cor abstulit, et dedit ei cor suum.

1376 Hegiræ 778. d. 21 Maj. Carolus *Wenceslaum* fil. regno Germaniae admouere studet, papa anathematizat *Florentinos*. *Petri* alecten. epi, *itinerarium* Gregorii, exhibet *Bzouius*, hoc et seq. a. *Philotheo* Cpolit. succedit *Macarius* patriarcha.

A. Chr. 1377 Hegiræ 779. d. 10 Maj. *Echardus* 3 moritur. adsidente *Peresia*; succ, fil. *Richardus* 2. *Petrus* arag. deprecatur pro *Lulli* libris.

1378 Hegiræ 780. d. 29 Apr. Moritur *Gregor.* XI, postquam ordinem *canonic. S. Saluatoris* confirmauerat. *Schisma* ob nouum pontificem; contra *Vrbanum* 6 multi scribunt; alii *Clementem* 6, qui Auinione sedet tenent; *Hispani* neutri obedierunt; acta multa ap. *Bzouium.* Carol. 4. moritur; vitam ipse scripsit, ap. Bzou. *Wenceslaus* succedit.

1379 Hegiræ 781. d. 19 Apr. Varia pro papis diuersis studia valent. *Henrico* castellae succ. fil. *Iohannes.* *Nilus* post *Philotheum* patriarcha Cpolit. annis 8 sedet.

1380 Hegiræ 782. d. 7 Apr. *Catharinae* senens. vitam exscribit Bzouius. *Iohannae* neapol. et *Vrbani* contrariae machinationes. *Carolo* 5 Galliae succ. Carolus 6.

1381 Hegiræ 783. d. 28 Mar. Bellum rusticum in Anglia. *Carolus* ex Hungar. venit in Italiam; *Iohanna* necatur eo in loco fere, vbi nuper *Andreas* maritus.

1382 Hegiræ 784. d. 17 Mar. *Ludouicus* Hung. et Polon. rex moritur; Sigismundus a *Carolo*, Andreae neapol. fil. praeuentus. *Cantuar.* aep. contra *Wiclefum* agit.

1383 Hegiræ 785. d. 6 Mart. *Ludouic.* andegan. in Italiam venit. Rex *Armeniae* a Turcis fere eiectus, ad *Vrbanum* venit. Hic multa Bzouius de miraculis *imaginum*; *Vrbani indulgentiis* Angli in Gallia bellum gerunt.

1384 Hegiræ 786. d. 23 Feb. Peregrinatio ad cruorem *Vilsnacensem* instituitur; *Iudaei* in Germania vexati; *Magdeburgi* &c.

1385 Hegiræ 787. d. 12 Feb. *Kaefernberg* comitatus deuoluitur ad Landgrau. Thuring. *Carolus*, neapol. in Hungar. proficiscitur; paulo post occisus. *Wiclef* moritur.

Sigis-

A. Chr.

1386 Hegiræ 788. d. 1 Febr. *Sigismundus* coronatur rex Hungar. *Ladislaus* Iagello, per nuptias, christianissimum et regnum *Poloniae* accipit. *Timur* occupat *Bagdatum.*

1387 Hegiræ 789. d. 22 Ian. *Carolus* rex Nauarrae misere perit. Regi Aragon. *Petro*, Ioh. fil succedit. Antipapa *Clemens* concilium proponit. *Nilus* patr. Cpol. moritur, succ. *Antonius.*

1388 Hegiræ 790. d. 11 Ian. Bellum principum et ciuitatum in Germania. Academia *colonienſis* Festum *conceptionis* Mariae ab Vrbano institutum, contra Schisma.

791. d. 30 Dec. *Vrbano 6* mortuo, qui *Iubilaeum* in annos 33 indixit, ad modum vitae Christi, sufficitur *Bonifac.* IX.

1389 Hegiræ 792. d. 20 Dec. *Margaretha* Daniae *Albertum* Sueciae debellat. *Bonifacius* vbique terrarum subsidia nummorum conquirit, *indulgentias* vendendo. Noui orbis borealem partem a piscatoribus Frislandiae inuentam aliqui tradunt.

1390 Hegiræ 793. d. 9 Dec. *Bonifacius annatas* reseruat; *Angli* reuocati a curia romana: poena in eos statuta, qui causas apud papam agerent. *Iudaei* in Hispania vexati. Papa dat *Erfurtenſi* acad. priuilegia. *Vincentius Ferrerius* dominic. floret.

1391 Hegiræ 794. d 29 Nou. *Iudaei* e Germania proiiciendi; *Carolus* rex Galliae in amentiam incidit. *Wenceslai* imperat. varia fata.

1392 Hegiræ 795. d. 17 Nou. *Huſſus* in Bohemia discipulos facit. Expeditio christianorum aduersus *Baiazethum* parum felix.

1393 Hegiræ 796. d. 6 Nou. *Clementi* papae 7 opponitur *Petrus* de Luna, *Benedictus* 13. In Anglia *Lollardia* crescit.

1394 Hegiræ 797. d. 27 Oct. Vana studia de schismate tollendo; *Galeatius* nomen ducis Mediolanensis a Wenceslao accipit; alii serius ponunt. *Dania*, *Suecia*, *Norwegia* vno regi parent. *Iudaei* e Gallia electi. Bai-

1395 Hegiræ 798. d. 19 Oct.

A. Chr.	
1396 Hegiræ 799. d. Oct.	*Baiazeth* praelio chriſtianos ſuperat, ap. Nicopolin. *Antonius* patriarcha Cpol. moritur; ſuccedit *Calliſtus Xanthopulus.*
1397 Hegira 800. d 24Sept.	Conuentus *Rhemis*, ob ſchiſma tollendum. *Spartanus* epus, ſuis perſuadet, vt *Bajazetho* ſubiici, quam *Latinos* admittere. defenſores malint. *Chryſoloras* in Italia ſedem figit. *Timur* Syriam occupat. *Matthaeus*, patriar. Cpolit.
1398 Hegiræ 801. d. 13Sept.	*Paulus* Burgenſ. e *Iudaeo*, epus, moritur; *Mariana* lib. 29. *Timur* bellum parat in Baiazethum.
1399 Hegiræ 802. d. 3 Sept.	*Timur* Baiazethum vincit et capit. Secta *Albatorum* in Italia. Bzouius de hoſtiis per *Iudaeos* male tractatis narrat; et miracula corporis Chriſti alia, verboſiſſime.
1400 Hegiræ 803. d. 22Aug.	*Bonifacius Iubilaeum* alterum agit. Loco *Wenceslai* (ſententia exauctorationis ap. Bzouium) eligitur *Frideric.* brunſuic. et tandem *Rupertus* palatinus. *Henricus* de *Haſſia* floret. Manuel *palaeologus* Lutetiam venit.

SELECTA
HISTOR. ECCLESIASTICAE
SECVLI XV. seqq.
CAPITA.

SECVLVM XV.

CAP. I.

Hiſtoria reipublicae ciuilis.

1. Sub occidente ſole.

Finis ſuperioris ſeculi *Wenceslaum* imperatoris dignitate priuauit, qui non inuitus videtur e tam variis turbis atque temporum hominumque inſigni, (etiam *Bonifacii* noni,) malignitate ſeceſſiſſe; fatetur certe *Raynaldus* (ad an. 1401. n. 9.) Electores principes *ex arcano* ad Wenceslaum exauctorandum apoſtolica auctoritate inſtructos fuiſſe; qui et narrat, *Rupertum* conſenſiſſe pontificis poſtulatis; edictum autem *confirmationis*, ſatis impudens, a. 1403. deſcripſit idem *Raynaldus*. *Ruperti*, palatini, praecipue ſtudiis *Fridericus*, brunſuicenſis, Magni Torquati ducis filius, imperator prodebatur, eodem anno 1400, (ante quam publice deiiceretur *Wenceslaus*); ſed nec *Friderico* omnes fauebant; *Henrici* potius *Waldeccenſis*, et aliorum inſidiis *Francofurto* domum rediturus, ſatis atrociter occiſus fuit. Succeſſit *Rupertus*, palatinus,

qui, promiſſorum memor, in Italiam celerior quam paratior tendebat; ſed nihil contra ducem *Galeatium*, mediol. profecit, etſi papa cardinalem *Balthaſarem* legatum copiis addiderat; atque ad alias etiam *Italiae* prouincias auctoritate fere omni caruit. Poſt eius mortem noua diſſidia exorta, 1410, alii *Iodocum*, (barbatum,) Morauum Marchionem, Caroli 4 fratrem, etſi ſenio fere confectum; alii *Sigismundum*, *Caroli* 4 filium ſecundum, *Wenceslai* fratrem, elegerunt. (*Hungariae* ab a. 1387. regem, Brandenburgicum Principem electorem ab a. 1373.) Hic facile *Friderici*, norimbergenſis Burggrauii, ſtudiis, mortuo etiam poſt tres menſes *Iodoco*, aduerſarios principes placauit, 1414 Aquisgrani coronatus. Atque huius tandem imperatoris auſpiciis trium Paparum turpe ſchisma ſplendidiſſimis illis *Comitiis* (initium fine anni 1414) Conſtantienſibus compoſitum fuit, licet nouus pontifex, *Martinus* V. iuſtiſſima emendandae publicae ſacrae rei conſilia non fideliter proſecutus fuerit. *Huſſitarum* atrox illud bellum imperatorem et Germaniae magnam partem vario turbarum calamitatumque genere affecit; a quo vt tandem liberari contingeret, *Baſileenſe* concilium coactum fuit, 1431; nec tamen hac ratione emendatio rei vtriusque publicae multum promota fuit, licet *Bohemi* tandem arte, quam vi aperta, opprimerentur. Cum 1437 viuendi finem feciſſet *Sigismundus*, *Albertus* V. auſtriacus, Sigismundi gener, eius in locum electus fuit, adiuuante rem, qui eam dignitatem poterat ipſe accipere, *Friderico*, brandeburgico. Corona, quam triplicem geſſit, *Hungariae*, *Bohemiae*, et germanicam, facile et *Turcis* reprimendis et *Reformationi* promouendae ſuffecerat; ſed incertam ſpem *Alberti* mors omnem abſtulit, 1439. Per longum inde tempus penes *auſtriacam* gentem permanſit imperatoris nomen. Iuuit et hic *Fridericus*, brandeburg. auſtriacum *Fridericum* III. (*quartum* alii nominant, addito *Friderico* pulchro) aduerſus *Ludouicum*, haſſiacum; parum tamen profuit reipublicae imperator, licet ſuis ſatis ſtudioſus;

dioſus; *Nicolao* autem quarto, qui *Aeneae Syluii* eximia ſedulitate vtebatur, facile id dedit, vt 1448 *concordata nationis germanicae* iniret, et *Baſileenſibus* comitiis impedimentum et finem afferret. A papa Nicolao 5, 1452 coronatus fuit, poſt recitatam iuramenti formulam. *Conſtantinopolis* a Turcis occupata, *Bullae*, qua *Cruciata* indicebatur, et comitiis quibusdam, locum dedit; ſed nec his nec aliis rebus praecipue commouebatur *Fridericus*. *Pruſſiae* pars magna, quia deerat imperatoris adverſus *Teutonicorum* atrociam, auctoritas, *Polonis* ſe iunxit; *Mediolanenſem* ducatum Franciscus *Sfortia* arripuit; *Auſtriam* frater *Albertus*, et poſt eum *Matthias*, Hungariae rex, *Friderico* fere eripuit. *Paulus* 2 autem, ob *ferrarienſe* feudum, *ducem* creare auſus fuit *Fridericum*, 1470. Sed conſilii noſtri non eſt recenſere eas res, quae ad imperii germanici hiſtoriam ſic pertinent, vt cum publica ſacrorum chriſtianorum cauſſa parum coniungantur. Laetior fuit pars ſeculi altera, *typographiae* reperto miniſterio; quae res ad omnium litterarum, conſiliorumque liberalium proſperos ſucceſſus mirifice profuit. Nec tamen et imperatoris auctoritas bonis litteris defuit; *laurea* certe *poetas* quosdam ipſe cinxit, *Aeneam Syluium*, et Conr. *Celtem*. Anno tandem 1492 e vita hac exceſſit Fridericus, quem filius *Maximilianus*, primus, excepit, (iam ab a. 1486 Caeſar romanus proditus); cuius filius *Philippus*, *Ferdinandi*, catholici, vnicam filiam, *Iohannam*, in matrimonium duxit. Iam illa coniux, Burgundica *Maria*, ditiſſimam haereditatem *Maximiliano* attulerat; occiſo ad Nanceiam *Carolo*, audace, *Philippi*, boni, filio. *Ferdinandus* ille et *Mauris* eiectis, *Granada* a. 1491 recepta; et nouo orbe reperto, e ceteris Hiſpaniae regibus vnus omnium maxime eminuit. *Galliam* continua fere bella per longum tempus afflixerunt, et *Anglicum* et *Burgundicum*; praeter lanionum pariſienſium atrocem rebellionem. *Carolus* VI. mentis inops, rex, neglecto filio, qui *Carolus* VII. poſtea dictus eſt, *Henricum* anglicum, nominis huius

quintum, generum suum, scripserat haeredem. Accidit, vt fere eodem tempore morerentur et *Henricus* V. et *Carolus* VI., itaque pars iam *Henricum*, anglicum, sextum; pars *Carolum* istum VII sequebatur; hunc autem celeberrima puella, *Iohanna d'Arc*, ouibus pascendis antea, iam militibus ducendis, praefecta, miro fortunae fauore sic iuuit, vt, licet et ipsa in hostium manus venerit, (igni post tradita,) res *anglicae* tamen eximie labefactatae fuerint; atque sic, quia et *Philippus* bonus, burgundus, ab Anglis secesserat, Angli ex omni Gallia seculo medio electi fuerunt. Successit patri *Ludouicus* XI, summae in suos potentiae iam auctor; *Ludouicus* autem XII et neapolitanum regnum occupauit, licet id a posteris retineri non potuerit.

Hungariae Ladislaum, Siciliae regem, post *Mariae* mortem, contra *Sigismundum*, imponere tentauit *Bonifacius* papa, qui et argenti sacri colligendi copiam fecit liberalissime, et legatum rebus melius gerendis addidit; feliciter autem *Sigismundus* ista impedimenta superauit, Papae iam non parum infensus, ad quem nec Hungariae beneficia ecclesiastica referri passus est. *Ladislao* et *Innocentius* VII eximie fauit, vt publice vetuerit concordiam ecclesiasticam aliis conditionibus fieri, nisi confirmata huius regis in Sicilia auctoritate; parum tamen gratus exstitit, et vel molem *Hadriani* Romae per praefectum hostis tenuit; in gratiam postea recepto apostolicae ecclesiae *Vexilliferatum* attribuit pontifex, nec tamen sic turbis multis Roma carere potuit, vt tandem cum *andegauensi* principe vtiliorem societatem contrahi visum Papae fuerit. *Hungariam* hoc seculo *Turci* frequentibus bellis concussserunt, quibus procurandis et concilii constantiensis auctoritas et Paparum studia parum profuerunt. Absentia *Sigismundi* videtur opportunitatem suggessisse; ipse autem minus feliciter *Turcos* repulit, quam *Iohannes* postea *Coruinus*, Hunniades; qui et cladis *Varnensis*, (quae *Vladislaum* temere violati pacti, quod cum Turcis adhuc

valere

valere debebat, poena affeciſſe dicitur;) ſatis fortis et ſtator et vindex fuit. Poſt *Ladislaum*, poſtumum, *Iohannis* filius, *Matthias Coruinus* regno admotus fuit 1458, qui et ipſe *Turcis* feliciter reſtitit. Mortuo *Matthia*, regnum obtinuit *Ladislaus*, polonus; *Caſimiri* ex poſtumi Ladislai ſorore, filius.

Sub ſeptem trionibus inde ab initio ſeculi floruit adhuc muliebre imperium, celeberrimae *Margarethae*, quae *Waldemari* fuit filia; quam tribus regnis, *Daniae*, *Noruegiae*, *Sueciae* mirum non eſt ita non potuiſſe praeeſſe, vt cunctorum voluntatibus ſatisfaceret. Habuiſſe videntur *Sueci*, cur eius memoriam parum amarint; quam *Dani* extollunt. Minus certum eſt, eius filium aliquem *Henricum*, ſpretis tribus regnis, religionem ita adamaſſe, vt inter *tertiarios* S. *Franciſci* 1415 mortuus fuerit. (*Raynaldus* ad hunc annum.) Poſt *Margarethae* mortem ſucceſſit *Ericus*, Pomeraniae dux, quem iam in comitiis calmarienſibus 1396 *Suecis* impoſuiſſe regina dicitur. Huius memoriam adeo *Sueci* non colunt, vt criminum et flagitiorum horrendorum eum rerum quidam dicant, qui forte expiationis cauſſa iter in terram ſanctam, (per Hungariam,) ſuſceperit. Crudelitatis plures miniſtri; in Dalecarlia *Ioſſo Erichſonius* quidam; interuenit tandem *Engelbertus* vindex patriae; nec ſucceſſerunt vel ſaepius repetita ſtudia pro *Erico*. Tandem, cum et Daniae theſauros auexiſſet, regnum *Bogislao*, patrueli, conciliaturus: elegerunt et *Dani* alium regem, *Chriſtophorum*, Bauariae ducem, ſororis Erici filium; qui et Suecis perſuaſus fuit, quia in meritiſſimum de patria *Carolum Knutſonum*, multum fauoris prae ſe ferebat. *Ericus* interea X annos in *Gothlandia* piraticam exercuit; tandem in *Pomerania* mortuus eſt. *Chriſtophoro*, qui 1447 *Iohannis*, brandenburgici marchionis, filiam duxerat, a. ſequenti mortuo, in comitiis *Moratinis* eodem anno hic *Carolus* a *Suecis* deſignatur; *Dani Chriſtiernum*, (ſic nomen *Chriſtianus* mutari ſolet,) de Oldenborg et Delmenhorſt, *Adol-*

phi, flesuicensis ducis filium elegerunt, qui *Christophori* viduam matrimonio sibi iunxit, plurium ex ea liberorum pater; hic ita Suecis quibusdam optimatibus studuit, vt contra *Knutsonum* non paucos sibi conciliarit, e quibus etiam Archiepiscopus fuit; itaque *Carolus*, accepta apud *Stregnesium* clade, ad *Casimirum* regum Polon. *Gedanum* secessit; thesauros autem, quos Dominicanorum in fidem tradiderat, facile reperit *Christiernus*, ab Aepiscopo iam coronatus. Hunc regem vel cum *Marino*, legato Papae ad corradendas in Turcos, si placet, pecunias, sic egisse quidam narrant, vt hac lege veniam dederit, emungendorum Suecorum, vt regi pars dimidia cederet. Aepiscopum autem paulo post et ipsum in carcerem coniecit, Papae minis nihil concedens. *Lincopensis* tamen episcopi fortitudine eiectus fuit e Suecia; iam *Carolum* reuocabant, qui parum salubri consilio Aepiscopum restituit, per quem eo adactus fuit, vt regis quidem nomen, sed vix mediocrem in Finlandia praefecturam retinuerit. Tandem 1468 tertium ad thronum reductus fuit, per Ericum *Axelson* et Nicolaum *Sture;* mortuo iam 1471 regi administratoris nomine successit *Steno Sture*, qui contra *Christiernum*, Suecorum virtute defensus fuit, et *Moscis* etiam e *Finlandia* eiectis, pacem patriae reddidit. *Vpsaliensis* academia, cum priuilegiis Bononiensis academiae, condebatur 1479. *Christierno* mortuo mitibus promissis *Sueci* ad *Iohannem*, quem Dani elegerant, accipiendum adducuntur; restitit tamen aliis *Steno*, foedere *Anseaticarum* vrbium fultus; sed quia succrescebant domestica senatorum dissidia *Iohanni* cessit 1497 *Steno*. De *Angliae*, *Lusitanorum* et Hispanorum rebus narrandi erit postea commodus satis locus, cum studia aduersus haereticos et infideles commemoranda sunt. Ceterum insignis fuit hoc seculo et reipublicae malignitas et christianae sacrae rei turpitudo; caedes, incendia, spolia, adulteria, scorta, imposturae, fraudes, et omnis generis vitia publice priuatimque per omnes

nes prouincias regnabant; ista nomina si absint, *chronica* huius seculi vix habent, quod narrent.

2. Sub oriente sole.

Quod iam aliquot per secula non obscure collabi videbatur *Constantinopolitanum*, tam illustre olim, imperium: hoc seculo fatalibus periculis tandem omnino succubuit. Nomine solo imperatoris fere vtebatur *Manuel*, Palaeologus, qui contra *Baiazethem* angliae et galliae reges orabat; istum *Timur*, (*Tamerlanum* nominant vulgo) tandem cruento proelio deuicit; atque *Latinorum* etiam, (*Genuensium* et *Hospitalariorum*) reliquias, quae hic ibi *Turcis* adhuc restiterant, omni Asia facile eiecit; (*Innocentii 7* ad *Immanuelem* Palaeologum epistola, lib. 1.) Non defuit *Emmanuel* precibus apud Papam, nec hic cruciferis suscitandis; data etiam imperatori venia, vt per aliquot sacros antistites, qui gratiam et communionem romanae sedis haberent, in *Ierusalem*, Sicilia &c. crucem et remissionem peccaminum praedicaret; (vid. *Innocentii* epistola apud *Raynaldum* ad annum 1405. n. 2.) sed huius generis ministerio, ferus ille de silua, a vinea domini (ita Papa loquitur de Timure) arceri non potuit; licet fama bellici apparatus forte effecerit, vt *Timur* legatos, seu exploratores, ad *Carolum* VI, et *Henricum* hisp. regem miserit. Post *Baiazethem*, qui 1403 obiit, *Solimannus* succeſſit, cui cum fratribus regni causſa bellandum fuit, victus tandem a fratre *Musa*, qui non poterat non aegre ferre, quod *Emmanuel Solymanno* adhaeserat; *Musam*, *Muhammed*, alius frater, occidit; quem 1421 filius *Murad* 2, excepit; hic iam *Constantinopolin* obsidione cinxit, 1424, cum *Iohannes* patri, *Manueli*, succeſſisset; expugnare tamen tum non potuit; *Seruiam* autem occupauit; *Epirum* etiam, quam *Georgius* ille *Castriota* 1442 recuperauit; *Theſſalonicam* autem Venetis 1430 eripuit, quam *Iohannes* eis vendiderat. Succeſſit *Murado*, qui ex voto in pugna *Var-*

nensi, imperio abiit, *Muhammed* 2, is, qui *Constantinopolin* expugnauit, et graecum nomen omnino ex imperatorum numero deleuit. Nihil enim profecerat *Iohannes*, suscepto isto itinere in *Italiam*, a. 1438, *Ferrariensis* etiam concilii adsessor. Accesserat etiam domestica quasi pestis; *Theodorus* enim frater 1441, *Turcorum* adscita ope, *Constantinopolin* oppugnabat, licet frustra. Continua fuit illa perfidia atque insania sub *Constantino*, qui fratri 1448 mortuo succesſit; nam fratres, quibus non sufficere videbatur ea ditionis pars, quam in *Peloponneso* acceperant, a Turcis contra fratrem auxilia repetere non puduit. Iam eo facilius *Constantinopoleos* succesſit expugnatio, licet fortitudo et prudentia *Constantino* non deesset: quo iam minus Graecos ipsos concordia et fides defendebat. Non superuixit tamen tantae cladi *Constantinus*, inter strenue pugnantes contra irruentes Turcas et ipse occisus, a. 1453, fine *Maii*. Nihil autem attinet scriptorum graecorum θρηνωδίας recensere, (quasdam *Bzouius* descripsit;) aut *Latinorum* vanas querimonias. Nec iam *Calixti* III profuerunt sacra ministeria aut legatio ad *Vssuncassanum;* cum vana fuerint et superiorum studia; et *Nicolai* Vti, *Pii* 2, licet multa; aut *Pauli* 2, *Sixti* IVti, conamina. Europae autem reges variis consiliis ipsi impediti fuerunt. De indulgentiarum praedicatione multa narrant huius temporis scriptores. Magno numero mittebantur in omnes prouincias, cum potestate indulgentiarum plenaria, omnium peccatorum, contritis et confessis semel in vita et semel in mortis articulo, quinque ducatis consequendarum; atque eam in rem oratoriae facultatis, quicquid poterat, impensum fuit. Sed de fide pontificum et salubri consilio plerique dubitabant; rati, eos pecuniam corradere priuatis studiis impendendam; alii vel ideo rem serio nolebant agi, quia, etsi Turcorum metus non inanis erat, tamen nouo metu, quem inuidia iniiciebat, agitabantur, fore, vt, si *Turcis* quaedam insulae et terrae eriperentur, eae *Venetorum* in manus et potestatem venirent; quae

res

res igitur, tantum valuit inuidia et animorum insana corruptio, longe minus ferri posset, quam Turcorum tanta potentia. Nec desunt exempla, quae satis ostendunt, partim fuisse plebis eximiam superstitionem, variis artibus confirmatam, (quemadmodum et *Pius* caput S. *Andreae*, quod *Thomas*, palaeologus, obtulerat, antequam *Roma* exiret sacri exercitus adfuturus ductor, in solemni pompa circumferri iussit;) partim aliorum, Regum etiam magis prudentium, qui de istis pecuniarum extorsionibus longe aliter sensserunt. E.c. *chronica Slauica* p. 227, scriptorum *Lindenbrogii* edit. Fabricii, rex Poloniae cepit *Marinum* legatum, et multis eum explumauit thesauris &c. *Marinus* non dedit quartam partem regi prouentuum, vt promisit, igitur &c. Pag. 225: *Martinus* legatus venit de Suecia, vbi in tertium morabatur annum, et pergens de Wismaria, Lubec, perdidit ante Grevesmolen sacculum cum 4240 florenis rhenensibus; quas paupercula inuenit, offerens viro suo, vnde ambo iucundati sunt, soluentes debita sua &c. vnde Dux *Henricus*, de Meklenburg fecit pecuniam ab eis exigi, et praestabant. Venit legatus repetens pecuniam, quia esset papae et ecclesiae contra Turcam; respondit dux: quid me monetis, cum nihil in manibus meis dederitis? Legatus nuda manu rediit. pag. 230, dedit papa Paulus plenarias indulgentias, ferentibus auxilia contra maledictum Georgium, bohemiae regem; collecta est magna pecunia ad cistam in maiori ecclesia; sed noctu validi mendicantes exteri aculeo viscoso omnem illam pecuniam piscati sunt &c. Doctor Gregor. Heymborg, in Paralip. *Vrsperg.* voluit papa abuti potestate sua et sub velamento militaris expeditionis in Turcam facultates Germaniae medullitus exhaurire. Caluisius ex annal. Flandriae ad a. 1452, indulgentias papa vendidit hoc praetextu, vt pecunia in bellum turcicum colligatur. Sed insumit papa eam pecuniam in oppugnandis *Mediolanensibus* et *Alfonso* etiam. Quibus exemplis non male vtemur, vt intelligamus

mus huius cauſſae eam malignitatem, quae ſeculo XVI homines noſtros fere oppreſſit.

Iam ſedes *turcici* imperii haec vrbs facta; imago graeci imperatoris, *Dauidis Comneni*, *Trapezuntinam* vrbem paucis annis tenuit; a. 1461 enim et haec a Turcis capta. Continua fere fuit *Muhammedis* fortuna, *Aegeas* inſulas, *Wallachiam*, *Bosniam*, *Euboeam* expugnauit; licet *Hunniades* et *Vſſum Chaſſan* (regni perſici auctor) aliquot victorias reportarint non exiguas; *Rhodum* tentauit, vt *Hydruntum* etiam exciſum fuit; atrociſſimae crudelitatis exempla narrantur, e. c. Aepiſcopus ſerra lignea ſectus; tamen *Calabriae* dominus, *Alfonſus*, rebus ſuis inter *Senenſes* promouendis deditus fuit. Succeſſit *Muhammedi*, *Baiazeth* 2 praetorianorum militum ſtudiis 1481, qui minus fauente fortuna vſus fuit, licet non omnino nulla. *Timuris* ſucceſſores duabus praecipue familiis diſtincti; *arietis nigri*, et *arietis albi*.

3. Paparum hiſtoria.

Quod iam alibi monuimus, inde a pluribus ſeculis rerum a romanis pontificibus geſtarum ea fuit indoles, vt potius ad politicam hiſtoriam, quam ad ſacrae ſocietatis, quae eccleſia dicitur, deſcriptionem referendae ſint. Itaque et ſic ſequimur noſtrum conſilium, vt eo luculentius pateat, quam fuerit parum diuina aut chriſtiana et liberalis Paparum et gubernationis illius indoles, quae tamen illo eccleſiaſticae gubernationis nomine ſolebat plerosque omnes fallere. Supererat duplex, ſi placet, eccleſiae caput, ex ſuperiori ſeculo: *Bonifacius* IX, et *Benedictus* XIII; Romae ille, hic Auenione viuebat. Diuiſa fuiſſe inter vtrumque ſtudia, ſatis notum eſt; *Romani* autem ſcriptores ſolent *Bonifacium* iam Papae nomine vnice deſignare, qui et illiteratus fuit, et in *Italia* ſatis ferociter egit; praecipue ex Auaritia et Simoniacis artibus, fere infamia laborauit *Bonifacius* apud multos; non ſolum ob *annatas*, quarum inſtitutionem non pauci ad hunc Papam referunt, licet tanta

aucu-

aucupii initia vetuſtioris iam temporis fuerint; ſed etiam ob emiſſos legatos nummarios, ob clauſulam *Anteferri*, (*inferni* alii nominabant;) ob *reuocationem* etiam *Expectantiarum;* verbo, nihil non facile admiſit, ſi pecunia rediret. Nec proficiunt multum recentiores ſcriptores, qui in matrem aliosque gentiles praecipue querelarum rationes conferunt; fuit iam *Platina* longe magis ingenuus cauſſae arbiter. Quod ad res publice geſtas attinet, retulit *Raynaldus* (1401) informationis copiam, quam legato ſuo ad *Rupertum*, imperatorem electum, papa tradidit: in qua praecipua cura illa ſpectatur, vt *Rupertus* iuramentum Papae praeſtet, cum *clauſulis opportunis omnibus;* vt cum Rege Franciae aliisque principibus, qui alterum Papam amplectebantur, ligam non ineat &c. Idem *Raynaldus* orationem deſcripſit, quam *Ruperti* legatus coram *Bonifacio* recitauit, ſatis humilem et Papae ſpiritu plenam. Mirum etiam eſt *Rupertum* aliosque principes ſine indignatione legiſſe edictum, (ſic *Raynaldus* nominat 1403,) quod tam impudenter loquitur: quod romana mater eccleſia *ſuper reges* et regna tamquam mater omnium et magiſtra ſupremum obtineat principatum — cum *Wenceslai* depoſitio *ad nos duntaxat* ſpectaret &c. Nempe, ne ad *Ludouici* bauari, (cuius ex fratre deſcendit,) rex delabi auderet haereſin! Quam futilia autem ſunt illa, in iſtis litteris ad legatum in Exarchatu &c. Cardinalem *Balthaſarem Coſſam*, cum a *Mediolanenſi* duce *Bononia* occupata eſſet, mittimus te — recuperatorem ciuitatis (*Bononienſis*) comitatus, territorii, fortiae et diſtrictus bononienſis — vt ea, quae perierant *tuo humero ad ouile dominicum* reportes. *Excommunicationis* ſententiam in *Peruſinos*, *Aſſiſinates* &c. *interdicti* autem in loca ea eccleſiaſtica tulit, quae a filiis *Galeatii* tenebantur. Immortuus eſt Papa his curis, parum profecto apoſtolicis, ira praeterea accedente, ob legatorum *Benedicti παρρησιαν*, 1404. calend. Octobr.; niſi his adnumeremus hoc edictum, ne bona eccleſiarum, coenobiorum, Hoſpitalium

lium locentur vel in emphyteusin dari queant, vltra triennium.

Quod ad *Benedictum* attinet, quem antipapam solent isti alii nominare, *Ludouico*, duce aurelianensi, regis fratre, is suam in rem sic vsus est, vt Cardinalium obsequium ipsi restitutum fuerit; quos antea a se alienauerat. *Auenionem* vrbem enim, occupatis turribus, bombardarum multo strepitu, aliisque terriculamentis, euersurus videbatur, vt metu ciues in obsequio retineret. De concordia inter Papam, cardinales, et ciues diligenter, sed sine fructu, actum fuit; licet saepius promiserit Papa, *viam cessionis* se non negaturum &c. A. 1403 tandem fuga elapsus est die 12 Martii ex carcere, (in palatio *auenionensi*) in quo per quatuor annos, et quod supereſt, haerendum fuerat; licet inepte quidam dicerent, eum non in carcere, sed volentem atque lubentem in palatio esse. Vniuersitas *parisiensis* eos omnes propagatores schismatis edixerat, qui negarent iure obsequium *Benedicto* subtrahi; quam sententiam partim aduersus *Nicolaum* de *Clemangiis* praecipue dictam volunt, qui pro *Benedicto*, cuius scribam egit, verbosissimam Epistolam ad Regem scripserat; partim aduersus *Tolosanam* vniuersitatem, quae eodem illo anno 1402 satis atrociter subtractionem istam leoninam, perfidam &c. refutatum iuerat, in Epistola ad Carolum, quam manuscriptam se vidisse narrat *Spondanus*, tomo 1. continuat. *Baron.* Hanc contra tolosanam scriptionem non defuerunt, qui satis accurate responderent; publice etiam non solum epistola illa lacerata, sed etiam ad tubae clangorem mandatum fuit, vt omnia eius epistolae apographa inter tres menses afferrentur in Parlamentum. Iam ad *Benedictum* et Ludovicus, Prouinciae comes, nomine Siciliae rex, et Cardinales, qui nuper secesserant, versi; sed et Castiliae rex, et Galliae rex restituerunt obedientiam, quia professus erat, se *viam cessionis* his conditionibus accipere, si aduersarius et item cederet, aut eiiceretur, aut moreretur. Fuit autem breuis temporis ea concordia, quia confirmare nollet res

ecclc-

ecclesiasticas eo tempore ab ordinariis episcopis gestas, cum obsequium ei in Gallia negatum esset. Missi ad ferocem hominem oratores, quos inter et celeberrimus ille *Iohannes Gerson* fuit; cuius legi potest eximia oratio, *Massiliae* habita coram *Benedicto*, et altera, cum ducem aurelianensem comitaretur. Itaque regia auctoritate pontificis ille assensus suppletus, et praeterea vetitum fuit, ne aut pontificis vlla diplomata susciperentur, aut pro ecclesiasticis vacantiis aliquos reditus *Benedictus* perciperet. Misit igitur legatos ad *Bonifacium:* vt commodo in loco pontifices conuenirent, de vnione tractaturi. Hic cum *Bonifacius* se paulo audacius oggereret verum papam contra spurium: legati hi de *Simoniacis* artibus dicere ausi, adeo romani papae iram commouerunt, vt febris ad calculi dolores accesserit, qua mortuus est. Legati, contra datam fidem, in arce S. Angeli inclusi V florenorum millibus demum redemti fuerunt. Nulla autem legatorum fuit auctoritas, cum hortarentur cardinales, ne alium eligerent pontificem, cum nec Galliae regis admonitio valeret. Octo, aut nouem e XII, qui adhaeserant *Bonifacio* cardinales, eligunt, post sacramentum de abitu a papatu, si alter idem faceret, *Innocentium* VII, Cosmatum Meliorati antea dictum, cardinalem tituli S. crucis in Ierusalem; quem *Ladislaus*, Siciliae rex, variis artibus vexauit. (Foederis formulam, inter *Ladislaum* et *Innocentium*, *Raynaldus* a. 1404 habet, quae Papam nihil iuuit;) ita vt sequenti anno 1405 papa vltro *Roma Viterbium*, siti fere enecatus, fugerit, Romanorum iras metuens, quorum e magistratu aliquot interfecerat temerarius Papae nepos. Non confisus *Innocentius* Legatis *Benedicti*, qui *Genuam* se receperat, opportunum gloriandi locum huic fecit; eo diligentius iam alii consultores schisma tollendi vias quaerebant. *Franciscus* de *Zabarella*, patauinus doctor, et *Petrus* de *Ancarano*, bononiensis, praecipue consiliis proditis eminent. Sex vias hic posterior descripsit; 1. discussio iurium vtriusque. 2. Concilium generale. 3. Compromissum. 4. Inspiratio, vt cum cardinalibus vtris-

vtrisque alter conspiraret, siue renuncians in alterius rem honori, siue in nouum electum. 5. Spontanea cessio. 6. Compulsio ad cessionem. *Zabarella* autem, 1. iuris vtriusque discussio, sub concilii iudicio. 2. Commissio ab vtroque data aliquibus per vtrumque electis. 3. Commissio data electis ab vtroque quibusdam, tamquam compromissariis. 4. Cessio vtriusque. 5. Compulsio ad cedendum. 6. Vt vtrumque collegium cardinalium adduceret vterque, vt altero mortuo aut cedente, alium non eligerent; 7. per sortes. *Zabarellae* consilium operibus Theodor. a *Niem* adiectum, copiosius, quam *Bzouius* exhibet. Redux in vrbem *Innocentius* 1406 in *Columnenses*, Iohannem et Nicolaum, edictum scripsit, quo historica non pauca continentur; *Ladislaum* etiam, exprobratis articulis 16, excommunicat, qui reddita mole *Hadriani* facile in gratiam receptus fuit. Sed breuis vitae fuit *Innocentius*, quem scriptores non pauci laudant; Romae *vniuersitatem* instaurauit, 1405; sequenti anno apoplexia mortuus. Elegerunt pauci cardinales *Gregorium* XII, (Angelum Corrarium), simili sacra cedendi conditione interposita; quemadmodum in Gallia *Iohannes Paruus*, defendit subtractionem contra fautores *Benedicti*, aduersus quem etiam generali concilio, Ecclesiae reformationem, tam in capite quam in membris, publica auctoritate procurari suadebatur. *Gregorius*, etsi iuramentum cessione iterauit, atque ad *Benedictum* etiam scripsit, (ea formula, Gregor. episcopus, seruus seruorum dei, Petro de Luna, quem nonnullae gentes in hoc miserabili schismate Benedictum 13 nominant, pacem, et vnionis affectum; respondit autem hic, Benedictus — dei, Angelo Corario, quem nonnulli sibi in hoc pernicioso schismate adhaerentes Gregorium nominant, pacis et verae vnionis affectum pariter et effectum;) vt vnionis spes non fieret nulla, *Savonae* enim conueniendum erat, atque leges seu conditiones colloquii descripsit Theodor. a *Niem*: tamen vtrumque priuata haec ex illa dignitate et reipublicae imagine voluptas tenuit. Excommunicationem minabatur

Bene-

Benedictus eis, qui subtractionem amplecterentur; *Gregorius*, (si maxime istorum consiliorum particeps non fuit, quibus *Ladislaus* Siculus, quem Vicarium imperii et Senatorem romanum creauerat, ad Romam expugnandam adiuuari dicebatur, vt Itali vnionis terriculamento eo facilius liberarentur,) tot conditiones poscebat, (patriarchatum Constantinopolitanum, episcopatum Eboracensem aut Oxoniensem; tribus autem nepotibus, eorumque successoribus, terras aliquas romanae ecclesiae), vt mirum non sit, non defuisse bonorum indignationem. A. 1408 publicis litteris Rex Galliae ad vniuersos christianos auctor fuit, vt vtrique papae obedientia negaretur; se neutralitatem amplexurum, in festo die adscensionis, *Gregorius* ipse creatis nouis Cardinalibus multos a se alienauit; rei insignem malignitatem iure meritoque vehementius descripsit *Theodoricus* de *Niem*, qui praecipue nouum illum cardinalem, *Iohannem Dominici*, Aepisc. ragusinum, vt maxime potest, exagitat; ficta adeo *diaboli* ad eum *epistola*, qua ei gratias agit, quod hoc schisma tam prudenter promoueret. *Pisas* igitur, (sub Florentinorum potestate tum fuit vrbs) Cardinales secesserunt, etsi non sine vitae periculo; quatuor penes Gregorium manserunt. Illi iam *appellationem* interposuerunt, datam *Pisis* 13 Maii 1408, (Theodor. de *Niem* tractatu 6. c. 10.) prouocare se, et appellare 1) ab eodem Pontifice irrationabiliter decernente, ad ipsum secundum rectam rationem et melius informatum; 2) ab eo, vt Vicario ad Christum; item ad concilium generale, a quo et in quo *solerent* gesta *etiam* summorum pontificum *quaecunque* pertractari et *iudicari;* tandem, ad papam futurum, cuius esset gesta inordinata decessoris reformare. Ediderunt et circulares epistolas. Interea *Ladislaus* Roma (quam statim post amisit,) potitus, scriptionibus ciuilibus cunctis titulum imponi iubens, regnante sereniss imo et inuictissimo domino nostro d. *Ladislao*, inclyto dei gratia Hungariae, Ierusalem, Siciliae, Dalmatiae, Croatiae, Romae, Seruiae, Saliciae, Ledomiriae, Comaniae, Bulgariae

rege &c.) cum Gregorio suis rebus firmandis dedit operam; in Gallia autem *Benedicti* astutia, a *Ioanne*, breuis coxae, in publica curia vehementer correpta fuit; *eius* etiam *litterae*, (auctor habebatur *Nicolaus* de *Clamengiis*, qui tamen diligenter a se hoc amolitus est,) quibus sub anathemate prohibebat subtractionem, *laceratae et igne crematae*; duo eius emissarii Parisiis reperti, ignominiose in pompa ducti, e papyro mitram gerentes, et tunicas lineas cum inuersis Benedicti insignibus; nec mandata deerant, vt *Benedictus*, si commode contingat, comprehenderetur. Cardinales vtriusque Papae, re inter se clam tractata, iam vtrumque deseruerunt; multorum tandem precibus et monitis, (Regis Galliae, et vniuersitatis parisinae, &c. vid. *Bochelli* decreta ecclesiae gallicanae pag. 675—685.) hoc dederunt cardinales, vt *concilium Pisis* indixerint in diem 25 Martii; legati et ad papam vtrumque et ad reges et principes missi, qui Angliam, Galliam, Germaniam &c. ab obedientia auerterent; nam schisma hoc secum tulerat, vt et ordinum *generales*, et titulares *patriarchae*, ex duplici obedientia haberentur; quae res quantum difficultatis attulerit vel saluberrimis consiliis, facile patet. Nihil autem profecit interea *Benedictus*, qui *Perpiniani* sub finem anni huius 1408 concilium conuocauit; qui e paucis remanserant, cum rogarunt, vt renunciaret honori; promisit etiam *Benedictus*, et sua manu subscripsit rei documento; *Gregorius*, ne nihil ageret, confirmat congregationem canonicorum regularium S. *Saluatoris Siluae lacus (Scopetinos* vulgo nominarunt, ab vnione ecclesiae S. Donati de Scopeto Florentiae sitae;) et constitutionem edidit, de reformatione monasteriorum S. *Benedicti*, in *Frisia;* quam *Spondanus* putat ideo a *Niemo* recitari, vt deprauatissimam vitam, quam monachi et moniales ducebant, proderet; sicut et corruptissimos mores Cleri in *Norwegia* et *Hibernia*, vicinisque in terris, atque in *Italia* etiam, et ministrorum camerae apostolicae, hic *Nienus* satis libere descripsit. De concilio *Pisano* erit postea narrandi locus,

cum

cum de aliis conciliis agemus. Subtractio obedientiae cunctis placuit; sententia in vtrumque papam lata, schismaticum atque haereticum.

Electus fuit 1409 *Alexander* V, ordinis minorum; aep. mediol. et cardinalis, tituli SS. XII Apostolorum, ignotae fere originis, sed magnae hoc tempore auctoritatis; cuius obedientiam *Ludouicus*, andegauensis, (contra *Ladislaum* hic iam Siciliae rex confirmatus,) magnam Italiae partem reduxit. Edidit in fauorem mendicantium constitutionem, pro confessionum iure; oppositit se parisiensis Vniuersitas regia auctoritate; atque *Iohannes*, qui sequebatur in ordine paparum, reuocauit eam constitutionem. Sub eo *optionis* lege primum contigit, plures titulos, tres, quatuor diaconias, totidem titulos presbyteri, et plures episcopatus possidere vnum Cardinalem; cui rei schisma iam componendum initium fecit; sed postea frequens consuetudo mansit. Anno 1410 iam mortuus est; sunt, qui venenato clystere interemtum narrent. *Francisci* stigmata inter fidei articulos retulit; (vid. conformitates *Francisci*). *Gregorius* interea concilium in dioecesi *Aquileiensi*, sed cum paucis, coegit; a Patriarcha aquil. haud dubie interceptus, nisi vestimenta mutasset, et confessario suum cultum et comitatum imposuisset; itaque *Ladislaus* Gregorium triremibus suis saluum abduxit; qui *Caietam* inde secessit.

In *Alexandri* locum *Balthasar Cossa*, *Iohannes* 23 dictus, (a se ipso) suffectus fuit, qui nuper *Bononiam* imperator potius quam legatus recuperauerat; in temporalibus magnus, in spiritualibus modicus, aut nullus, vt scriptores eius temporis iudicant; plus in eo ferociae et secularitatis, quam eius professio requirebat. (Vid. vitam per *Niemum.*) *Ludouicum* andegav. in *Ladislaum* excitauit, atque sacro belli classico tandem effecit, vt *Gregorio* relicto *Ladislaus* se ipsi submitteret 1412; parum tamen fidei memor, *Romam* et ecclesiasticas alias vrbes occupauit; Papa fugit, et cum *Sigismundo*, qui tum in Italia erat, de concil. oecu-

menico egit. Concilii constant. sessionibus duabus praefuit primis; (confisus argutissimis aduocatis,) iuramenti autem negligens Schaphusiam fugit, cum praeuideret, se ad cedendum coactum iri, cui plura, quam XL. grauissima crimina obiecta fuerant. E fuga tamen retractus per triennium duriter in carcere vixit, non vno in loco; liberatus tandem ad *Martinum* quintum supplex accessit, cardinalis atque episcopus tusculanus factus, 1419 mortuus.

Exauctoratis sic 2 pontificibus, et a *Gregorio* sponte infulis positis, constant. sessione 41 de legitimo pontifice actum fuit; ingressi sunt conclaue d. 8 Nouembr. 1417, viri XXX e plurimis nationibus spectatissimi, cum XXIII cardinalibus, prodiderunt *Odonem* de *Columna; Martinum* quintum inter Papas, qui simulata mansuetudine facile imperatori et aliis gratus prae aliis fuerat. Hic iam reliquis *sessionibus* concilii praefuit; in haereticos *Bohemiae* et *Moraniae* studiosissime bellum adiuuit; promulgata constitutione, *inter cunctas*. sess. 45. iudicia in haereticos acuit formula capitum 35; Constantia tamen invito imperatore in Italiam abiit; Florentiae 2 annis voluptati deditus; sacris tamen, si placet, curis non negligis. Alia mandata legato in *Bohemiam* et *Hungariam* amplissima *Raynaldus* exhibet; similem Papae curam et *Polonia* experta est, excommunicato *Sigismundo*, Lithuaniae principe, qui haereticos tueri videbatur; sed longum esset, recensere huius papae continua studia pro reducenda catholica simplicitate et obedientia. Litteras et documenta habet *Raynaldus*. Rex tamen Arragon. *Alphonsus*, qui *Neapolitano* carere nolebat regno, quod Papa *Iohannae* reginae contulerat, Antipapam, quem 2 cardinales elegerant, oppositi; sed non peruicit; fractus fuit et *Ioannes*, comes Armaniaci, lata sententia: qua etiam principatu temporali priuabatur. Parum profectum fuit in negotio vnionis Graecorum, licet *Antonius Massanus*, ordin. minor. Constantinopolin missus fuisset; acta congressus 1422, exstant in concilio *Senensi; Ticini* enim indixerat

xerat *Constantiense* concilium, (sess. 44.) habendum aliud concilium; sed ob pestem *Senas* translatum, annis 1423. 1424, atque iam post 7 annos *Basileam* reiectum. Cardinalibus nouas leges scripsit, vt mundae vitae studerent; protectiones secularium non assumerent &c. Sunt etiam, qui statuant, *Bullam coenae*, *Martini* tempore quotannis publice recitari coepisse; alii hunc rei modum, a re antiquiori, melius distingunt, (*Sandinus*). In Anglia non parum imminuta fuit Papae potestas; cantuar. aep. sine Papa *iubilaeum*, indulgentiam, et poenitentiarios, instituere ausus est; rex autem Angliae graui statuto romanae in sacris potestati obstitit, (*Rayaald.* 1426. n. 19.) quasi Vicarium suum Christus ipsum fecisset; ad se suamque laicalem curiam causas ecclesiasticas iubet introduci, quasi ecclesiae claues in manibus haberet &c. (Papa his verbis queritur.) Regem *Poloniae*, *Vladislaum* eximie collaudauit, ob collatam operam in vnionem Graecorum, atque *Sagguiacarum* multitudinem ad baptisma perductam; Regem hunc fecit *Vicarium romanae ecclesiae* in regno Poloniae, *Nouogrod*, *Plescow* et earum dominiis *Russiae*; Raynald. a. 1418. n. 18. 19. Mortuus est 1431.

Successit *Eugenius* 4, Venetus, Gregor. 12 nepos, (sic solent *Mauzeres* appellare; *Baleus*.) Iurauerat cum cardinalibus: 1. de reformatione romanae *curiae*, in capite et membris; secundum consilium maioris partis cardinalium. 2. Non transferendam romanam curiam, sine eorum assensu. 3. Concilium generale loco et tempore suo celebrandum, atque vniuersalis ecclesiae Reformationem in eo sanciendam. 4. Cardinales iuxta formam a concil. *Constantiensi* praescriptam creatum iri. 5. Bona cardinalium morientium non diripienda; facultate testamenti iis relicta, exceptis illis, qui essent ex ordine religioso. Exercitui contra *Hussitas*, et concilio Basileensi, iam a *Martino* destinatum, *Iulianum* cardinalem, confirmauit; sed is tantis rebus impar fuit. Papam coniuratio Romanorum fugere *Florentiam* coegit. 1433. Etsi dirimere voluerat concil.

Basileense, tamen non potuit non approbare continuationem et *reuocare* censuram, qua irritas patrum basil. sententias pronuntiauerat; recitatum hoc nouum diploma 1434. sessione 16. Nihil effecit legatus papae 1435, pacis caussa inter regem Galliae et Angliae; melius successit *Basileensium* opera, qui *Philippum*, Burgundum, cum Rege composuerunt. Neapolitanum regnum *Renato*, andegauensi, contra *Alphonsum*, vindicatum iuit; huic tamen, tempori inseruiens, inuestituram concessit, 1443. (Raynaldus.) sed noua superuenerunt dissidia, quae patres etiam diuiserunt; itaque *Ferrariam* euocauit concilium, 1437, sed a Concilii continuatoribus 1438, sess. 31. a Pontificatu suspensus, et sess. 34 exauctoratus est, 1439, eius in locum suffecto *Amadeo*, ex duce Sabaudiae monacho, qui *Felicis* V nomine vsus est. *Ferrariae* in concilio 1438 *Eugenius* de Graecorum vnione agere coepit; ob pestem postea inde abierunt patres, 1439 *Florentiam.* Hic vtriusque ecclesiae *vnio*, si placet, consummata; *Armenorum* etiam, postquam graeci discesserant, et *Iacobitarum*, 1441. A. 1444 fine septembris *Syri* et *Mesopotameni* in ecclesiam rom. recepti, cum Patriarcha Romam misisset *Edessenum* aepiscopum, fidei regulam a romana ecclesia petiturum; res in *lateranensi* concilio acta, in quo et *Chaldaei* quidam Cypri, et *Maronitae* fidem catholicam per nuntios professi sunt. Sed ista fere paucorum hominum priuata caussa, qui aere pontificio viuebant (*Stella*); *Ruthenorum* certe nuncii non melius a suis excepti, quam Graeci reduces. *Friderici* 3 oratores *Germanicam* obedientiam, octo per annos subtractam, cum quatuor conditionibus papa locum daret, restituerunt; quas inter fuit, vt *Grauamina* nationis germanicae releuaret; vt restitueret aepisc. colonienſem et treuirensem; reuocauit etiam sententias, quas tulerat occasione Neutralitatis. Minime vero impetrauit, vt abiiceretur *sanctio pragmatica*, in conuentu *bituricensi* 1438 edita, et *basileensibus* decretis innixa: (*Raynald.* 1438—1440.) Nec defuit in *Lusitania*, quod papae displice-

ſpliceret; quum rex *Eduardus* cauſas iuris patronatus ad ſuum tribunal traheret, et praeſules in ius vocaret, (*Raynald.* a. 1433. 18.) Vſus eſt hic papa *Leonardi Aretini*, Caroli *Poggii*, et *Blondi*, miniſterio a ſecretis; mortuus eſt 1447. februar.

Suffectus eſt menſe Martio *Nicolaus* V. Thomas Sarzanenſis, Cardinal. S. Suſannae, et epiſc bonon. Ei et *Fridericus*, et *Caroli* VII. ſtudiis tandem omnes adhaeſerunt; in conuentu enim lugdunenſi, cui aep. colon. treuir. legatique intererant *Angliae*, *Siciliae*, *Saxoniae*, *Felicis*, baſileenſium (iam Lauſannae hi, ob peſtem) articulos deſignarunt, quibus conceſſis *Felix* ceſſurus eſſet; res 1449 confecta; *Amadeus* epiſc. Sabinenſis, cardinalis, apoſt. ſedis per Sabaudiam &c. factus Vicarius; *Nicolaus et* approbauit omnia, ante ceſſionem a *Felice* geſta, tam ad iuſtitiam quam ad gratiam eccleſiaſticam pertinentia; (vid. Conſtitut. *Nicolai* poſt ſeſſion. 45. concil. baſil.) *et* alia conſtitutione ea reuocauit, quae contra nuperam obedientiam ipſe decreuerat, priuando perſonas beneficiis &c. tertia autem, omnia irrita et nulla declarauit, quae contra *Felicem* aut Baſileenſes et iis adhaerentes odioſe ſcripta vel dicta fuerant. *Iubilaeum* 1450 Romae celebrauit, eximio hominum ex omni fere latino orbe concurſu; atque ſunt, qui vatis honorem *Nicolao* tribuant, quod praedixiſſet: ſterilem ficum, (graecos, qui fidem romanam non amplecterentur) in tertium annum aſſeruari. Nihil iuuit claſſis mediocris a Papa oppugnatae iam Conſtantinopoli auxilium latura; exules autem graecos multos recepit; *libros* graecos multos in latinam linguam transferri iuſſit; tria circiter millia librorum bibliothecae intulit; (*Aeneas Syluius* de ſtatu Europae ſub Friderico; *Sandinus*.) Mortuus eſt 1455.

Calliſtus 3, (Alfonſus Borgia), annum aetatis 70 iam egreſſus, electus fuit; belli in *Turcos* vota ſtatim ſuſcepit; quod et indictis precibus meridianis, ad campanae ſignum auditum, orationibus etiam nouis in miſſa; et principum exhortationibus, claſſibusque aliquoties (ex ſacra,

praecipue gallica pecunia,) comparatis, promotum iuit. Reſtitit tamen academia pariſienſis et clerus prouinciae rhotomagenſis, cum ſacrae decimae in hoc bellum exigerentur. Grauius adhuc *Germania* queſta eſt, de pecuniarum ſacra extorſione; vt vel ex Papae ad *Fridericum* litteris patet, *Raynald.* 1457. 40. Fuerunt praecipui concionatores ſacri, *Ioh. Capiſtranus*, *Robertus* de *Licio*; de hoc *Erasmus* in *Eccleſiaſte* narrat, quod amicae vel in cathedra militis habitu placere auſus fuerit. Indulgentias ampliſſimas etiam iis propoſuit, qui aduerſus Mauros Granatenſes *Henricum*, Caſtellae regem, adiuuarent. Inſtaurauit et indulgentiis auxit *feſtum* transfigurationis Chriſti, (non inſtituit primus,) ob victoriam a Turcis ad Bellogradum reportatam. Litem inter Aep. Lugdunenſem et Rhotomagenſem, de Primatu, ſic diremit, vt liberum pronuntiarit hunc a lugdunenſis auctoritate; quam ſententiam vehementi diplomate aduerſus lugdunenſes tutatum iuit, *Raynald.* 1458. n. 37. Magiſtri ſacri palatii auctoritatem ampliſſimam fecit, vt penes eum fuerit, de ſermonibus ſacris in ſacello pontificio habendis ſtatuere, *Raynald.* 1456. *Ferdinandum*, *Alfonſi*, regis Arragonie, filium nothum, ab adeunda Apuliae haereditate, anathemate reuocatum iuit; ſed *Ferdinandus*, *Eugenii* quarti diplomate clam olim fultus, tamen ſe regem dixit, et ad *futurum concilium* prouocauit. Fatentur plerique, nimio eum in nepotes ſtudio fuiſſe; *Spondanus* 1457. ad quos ex indulgentiarum litteris, (quos *nitida forma* V ducatis tunc adhuc redimebant,) non parua vis auri rediit. Graues ſententias *Calixti* recitant quidam ex *Aegidii Viterbienſis* hiſtoria MSta; ignauorum eſſe, pericula formidare, cum ſint ager e quo meſſis et fructus gloriae colligantur. Falſa effingentes, hominibus ſeruire; vera referentes, imperare. Principes, amare quidem laudes; ſed falſos laudatores irridere. Mortuus eſt 1458 feſto transfigurationis.

Huic *Pius* 2 ſucceſſit, Aeneae Syluii nomine antea haud parum laudis meritus; iurandum tamen antea fuit,

de

de sacro in Turcos bello promouendo; curiam romanam reformatum iri; sedem non transferendam et Cardinales non creandos, nisi sacri collegii maior pars consentiat. Politicis rebus et pontificiae auctoritati prouehendae eximiam dedit operam; *Ferdinandum* istum, (licet *Alfonsus*, pater, *Eugenio* 4 condixisset, in regno Neapolitano non successurum, nisi qui legitimo matrimonio procreatus fuerit;) vel exercitu (*Georgio Scanderbego* a Turcico bello interea abstracto) contra *Iohannem*, andegauensem, in regnum immisit, bello etiam ducem Estensem et Mutinensem persecutus, quod rebus gallicis magis quam Ferdinando faueret; *Ludouico* autem XI regi aduersarius, qui *Iohannem* defendebat, hic *Spondanus* (ad an. 1459. n. 27. 28, rationes odii *Pii* PP. in Gallos.) copiosius aduersus *Gobelinum* agit; qui et in Gallos inuehatur temere, et impia *Pii* scita narrare ausus sit, mendax igitur scriptor. Cum regnum adiret *Ludouicus* XI, legatum gratulandi causa misit, qui simul suaderet, vt *pragmaticam sanctionem* abrogaret; votum enim concepisse Ludouicum narrant, si quando paterno throno potiretur; quia contra sedis apostol. auctoritatem schismatis tempore introducta fuisset. Opposuit tamen alia studia vniuersitas *parisiensis;* et, post *Pii* obitum, parlamentum grauissima monita articulis 85 composuit. Tam studiosus fuit *Pius*, vt satis differret ab *Aenea*. Legatus autem apostolicus, in *Angliam*, episc. interamnensis, (ibi Rex, Eboracensis ducis et aliorum rebellione, varie premebatur;) vel Papae, quas mentitus est, litteris vexillum romanae ecclesiae contra regem, quasi in Turcos, erexit, indulgentiis largis promissis; eum tamen papa sacris ordinibus exuit. Continuata fuit et sub hoc pontifice, inde a Callisto, gravis simultas *Sigismundi*, ducis Austriae, aduocato ecclesiae brixiensis, cum *Nicolao Cusano*, cardinale, cui eam ecclesiam *Nicol.* V. commendauerat; noluit enim dux italicam istam consuetudinem etiam in *Germaniam* inferri, vt Romani cardinales Germaniae haberent ecclesias in commendis; nec magni fecit *Sigismundus Pii* anathema, pro-

vocans ad concilium; orator autem ducum Auſtriae, *Gregorius Heymburgius*, Norimberg. Syndicus; publice appellationem ad concilium Florentiae propoſuit; Papa nec huic damnando defuit, ſed fortiſſimo ſcripto Papae repoſuit ille, quod eſt inter paralipomena *Vrſpergenſis* chronici. Inde ad Huſſitas ſeceſſit, paulo poſt tamen a *Diethero*, moguntino, quem et ipſum papa deiecerat, (quia taxae et camerae non ſatisfecerat; ſuffectus fuit *Adolphus* Naſſov.) euocatus. Fortiſſime etiam *Caſimirus*, rex Poloniae, electum a ſuis *Cracouiae* epiſcopum aduerſus Iacobum, cardinalis Sbignei nepotem, quem Papa mittere auſus fuit, defendit; ſicut et Caſtellae rex *Henricus* ei epiſcopo legionenſi, quem Papa denominauerat, Iohanni a *Turrecremata*, poſſeſſionem negauit conſtantiſſime. *Monembaſia*, Peloponneſi vrbs, quia *Demetrius* Palaeologus Turcis eam ſubiicere voluit, romano pontifici ſe dedidit; parum autem profecit *Beſſarionis* legatio, qui e *Germania* argentum (in Mantuano concilio quidam promiſerant) exigebat; in *Nicaenum* autem legatum ſubirati multi, quod *reſeruationum* diplomata euulgaret. Miſerat papa *Ludouicum* quendam, ordin. minorum, ad regem *Iberiae*, *Armeniae* et *Meſopotamiae*, vt contra Turcos excitaret, ſiue chriſtianos, ſiue amicos chriſtianorum; is redux comites habuit plerorumque legatos, non parcos promiſſores. Iidem a. 1461. in Galliam profecti, cum Ludouico illi patriarchae orientalis titulus promiſſus eſſet; paulo poſt tamen impoſtor carcerem effugit. *Georgius*, rex Bohemiae, quia legatio 1462 a pontifice parum beneuole ſuſcepta fuerat, in generali regni conuentu ad feſtum S. *Laurentii*, a Papa, pro compactatis Baſileenſibus defendendis, apertius receſſit; imperator, quem a fratris *Alberti* cuſtodia, ex arce *Viennenſi*, liberauerat, apud *Pium* preces interpoſuit pro *Georgio;* eodem a. 1462 Papa anathema dixit in tres filios perditionis (*Spondanus*); in *Sigismundum* Auſtriae principem, in *Gregorium* (Errorium) *Heimburgium*, et in *Sigismundum Malateſtam*, qui cenſum

ſum S. Petri non ſoluebat; imago eius pro gradibus S. Petri combuſta. Expeditioni contra Turcos, qui a *Raguſio* non procul aberant, immortuus eſt *Pius*, 1464.

Paulus II. eum excepit, Eugenii quarti ex ſorore nepos, Venetus; poſtquam in nouas leges iuratum fuerat: de *Turcis*, reformatione Curialium; concilio generali; numero Cardinalium vltra 24 non augendo &c. Sed facile hanc religionem, quae Cardinales minuebat, Papae exemit, *Theodorus*, tarniſin. epiſcopus, fas non eſſe, humanis conditionibus Chriſti Vicarium ſubiici &c. Sub eo *Platina* indignius in carcere habitus, ex *Abbreuiatorum* (eruditiores illi erant) ordine; qui et ſcripto concilium Papae opponere auſus fuit. Impetrare autem papa non potuit, vt *ſanctionis pragmaticae* abrogatio in tabulis ſummi pariſienſis ſenatus ſcriberetur. Pacem inter Polonos et Teutonicos equites compoſuit; iubilaeum ad annum 25 reuocauit. A litteris iuſto longius abfuit; ob parum frugiferae gloriae auiditatem eum *Iacobus*, cardin. *Papienſis*, liberrime in Epiſtolis reprehendit; abfuit autem ab argenti cupiditate; nec indulgentias, et expectativas amauit; Aſtrologiae autem non nihil dedit. Obiit 1471.

Sixtus IV. ſucceſſit, ex ordine Minorum. Bellum contra *Muhammedem* diligenter promouit; pacem ideo inter reges legatis miſſis adiutum iuit; Gallis non parum in eccleſiaſticis rebus (ſex menſes eccleſiaſticos,) conceſſit, cum *Ludouicus* XI. per legatum ſuum multa a papa petiiſſet; concilium tamen *lugdunenſe* negauit *Sixtus*. *Vladislao*, Poloniae regis filio, cui *Bohemi* fidem iurauerant, ea reſciſſa, fortiter obſtitit, *Matthiae* regi eos obſequi iubens, (*Raynald.* 1472. 32. 33.) Nepotis autem ſui, *Leonardi Ruuerii*, res ita fouit, vt exemerit ex ditione eccleſiaſtica *ſoranum* ducatum, ne filiam *Ferdinandi* Sicil. ducere non poſſet. Similiter ex eccleſiae ſpoliis duo alios nepotes ditauit. (Fatentur iſta vitia *Volaterranus*, fidus auctor, *Platina*, *Raynaldus* &c.) Idem nepotum ſtudio, fouit

fouit odia *Pazzorum* in *Mediceos;* atque cum coniuratio in Mediceos 1478, (inter missarum solemnia) non satis successisset, cuius non paruam partem graues scriptores Papae tribuunt:) contra *Florentinos* sacrum et dirum bellum gessit, adiutoribus *Ferdinando* neapol. et Senensibus; tuebantur autem Florentinos *Ludouicus* XI. *Veneti*, *Mediolan. Mantuani* et Ferrarienses principes. Legato gallico, qui satis vehementer aduersus papam loquebatur, (et instaurationem *pragmaticae sanctionis*, et concilium generale ominatus,) *Caroli* M. pietatem in Romanam sedem obiecit; tandem *Laurentii Medicei* prudentia pacem impetrauit patriae, a Ferdinando, inuito papa; qui tamen facile iam Florentinum populum expiauit. In *Canariae* insulas Africaeque et Asiae oras missionarium elegit, *Alphonsum Bolanum*, concessit etiam XVI laboris socios e quatuor Hispaniae prouinciis ordinis minorum. *Auenionensem* ecclesiam Aepiscopi dignitate auxit; *Mariae* etiam officium ipse composuit in festo *Visitationis*, contra Turcos, vt ea adesset; additis indulgentiis tam pro his, qui celebrarent hoc festum, quam qui officio, in immaculatam conceptionem, interessent. Italicis bellis, et magnificentia cetera exhaustus papa, vectigalia, decimas, et ministros curiae venales auxit; instauratis *Breuiatoribus* minoris praesidentiae; *sollicitatores* fecit, *adstipulatores*; nouem notarios Fisci apostolici; plura etiam alia munera vrbis primus vendidit. Bibliothecam *vaticanam* construxit, libris auxit, et reditus certos ei adsignauit. Ineptissimam litem, an sacra *stigmata* etiam S. *Catharinae*, *Senensi* impertita sint, quod *Dominicani* contra Franciscanos defendebant, qui honoris domestici caussa idem negabant, varie composuit. De *immaculata* Mariae *conceptione* et affirmantes et negantes haereseos nomine absterruit, libros autem pro alterutra parte scriptos improbauit. Mortuus est 1484.

Innocentium VIII se dixit, Ioh. Baptista *Cibo;* (leges electionis, quas honoris sui caussa cardinales ipsi scripserant,

rant, vid. ap. *Raynaldum* 1484. n. 28 seq.) Primum omnium ad pacem reges hortatus est, contra Turcos; ipse autem *Germaniam*, quasi incubis, succubis, et maleficiis atris deditam, constitutione illa (*Summis desiderantes affectibus* &c.) non parum turbauit, qua inquisitorum auctoritatem extendit; haereticos etiam hac ratione perterruit, vt fuerint fere deleti *Hussitae*, nisi *Lutherus* successisset, (*Raynaldus* 1486.) Bello et ipse aduersus *Ferdinandum* neap. licet minus feliciter, se immiscuit, quia censum annuum non soluisset; aduocauit *Carolum* VIII. reg. Galliae. *Castellae* regi Ferdinando decimas sacras attribuit et indulgentias eis, qui contra Mauros Granatenses regem adiuuarent. *Ioannis Pici*, comitis Mirandolae, nongentas conclusiones damnauit, 1487, quas scholasticae disputationis caussa iuuenis 24 annorum ex omni fere scientiae genere, Romae propositerat. Sunt, qui scribant hunc Papam omnino concessisse Sacerdotibus apud *Norwegos*, vt absque vino *Missam* celebrarent; cuius generis dispensatio an locum habeat, alii disputant, plerique negant, (*Sandinus*, pag. 496.) Mortuus est 1492.

Alexander VI. successit; (*Rodericus* familiae *Lenzoliae*,) Callisti 3 ex sorore nepos, Hispanus; ad cuius nomen boni omnes vel inter Romanos vultum deiiciunt; *Spondanus* maluit ex *Petri Martyris Anglerii*, qui apud Ferdinandum catholicum sacro ministerio fungebatur, epistola 118 describere, quaenam vitia fugienda iam *Alexandro* essent, nisi Sedis apostolicae ingens damnum non metui nequeat; animi vim et dexteritatem multi recte laudant. Foeda fuit eius intemperantia cum cardinalis adhuc esset; iustae tamen vxoris loco fere fuit *Vanocia*, 4 filiorum mater; nothi liberi aliis nothis, vbi spes magna suffecit, iuncti, multum tragoediarum excitarunt. Variis exulum neapolitanorum sollicitationibus *Carolus*, rex Galliae, contra saniora suorum consilia, italicum illud dirum bellum suscepit; pontifex autem nouum orbem a *Columbo* repertum, *Ferdinando* et successoribus donauit, et si quae insulae

sulae et terrae porro inueniantur versus Occidentem et Meridiem, *ducta linea* a polo arctico ad polum antarcticum &c. (*Alexandri* VI. constitutio in *Bullario*, tomo 1. p. 466.) conditione tamen addita, vt fides christiana in nouo orbe propagetur; an vero magis aurum, aromata et alias res pretiosas varii generis quaesiuerint Hispani, *Spondanus* a. 1493. n. 8 ex rebus postea gestis iubet perspicere; qui et dubitat, vtrum dissensiones inter Reges Castellae et Lusitaniae ex ardentiori zelo, in propaganda fide christiana, an vero ex cupidine pinguioris praedae ortae fuerint, n. 10. Arripuit etiam *Ferdinandus*, *Alexandro* facile patiente, trium militarium ordinum Magisteria, quorum successio et ad reginam pertineret. Mortuo neapolitano rege *Alexander* facile contra *Carolum*, Galliae regem, foedus iniit, coronato per legatum *Alfonso*; *Carolus* autem, nec minas sacras pontificis reueritus belli initium fecit, 1494, minori et faciliori tormentorum genere in Italia primum vsurus. Feliciter vel *Romam* triumphi specie intrauit, (licet imperatoris *Constantinopolitani* nomen, quod cum omni iure concessisse Regi, bellum in Turcos susceperuro, dicitur *Andreas Palaeologus*, ad hanc pompam non addendum sit;) pontifice vehementi pauore perculso; qui haud dubie sede deiectus fuerat, nisi donis corrupisset quosdam eorum, quorum consilio Rex non ferox vtebatur. Pax igitur sancita, conditionibus pontifici impositis; quibus implendis nullam operam dedit; nec enim diploma *neapolitanum* Regi scripsit; et *Zemin* certe, Baiazethis fratrem, regi, lento iam veneno infectum, tradidit; cum *Baiazethe* certum est, Papam egisse talia, quae non pertinent ad successionem Petri; vt *Spondanus* loquitur, ad a. 1495. n. 7. Incenderunt autem Gallorum parum modesta imperia omnium inuidiam atque odia; veritorum, ne rex omni *Italia* potiretur; nomine foederis in Turcos, cum Papa, pro eius auctoritate vindicanda, *Maximilianus*, *Ferdinandus*, *Veneti* aliique inter se aduersus Gallos iuncti. Atque a. 1496. praecipites ruebant res Gallorum in *Italia*, cum

cum ad multorum foedus et sacra impedimenta etiam artes variae accederent; *Maximiliani* certe italica expeditio operae pretium non reddidit. *Gonsaluus Fernandus*, Hispaniae regis nomine, Pontifici variam istam foeditatem et publicam aulae vitaeque turpitudinem grauiter exprobrauit; non defuerunt etiam funesta multa fata in spuriorum ista familia; quae vehementissime talem patrem perturbarunt, quem nec ratio a furore, nec pudor a prauitate continere poterat, (*Spondani* his verbis vtimur, 1497. n. 1.) *Florentinorum* rebus etiam Papa se, vt callidissime potuit, immiscuit, quorum plerique et *Gallorum* societatem amabant, et *Sauonarolae* sacris admonitionibus lubenter perebant; quem integerrimum hominem anathemate Papa percussit; huius, si qua fuit, praedictionem, *Carolum*, (quia tardaret in Italiam reuerti ad ecclesiam gladio purgandam) moriturum, a. 1498. regis mors impleuit; ei, quia liberi non supererant, *Ludouicus* XII. aurel. dux successit. Caesar *Borgias*, Papae filius, patris, (qui filio regnum neapolitanum parabat,) adiutus consiliis, deposito Cardinalatu, regi *Carolo* praecipue adhaesit, cuius diuortium (*Iohannam* Caroli 8 sororem, deformem et imbecillam, olim inuitus duxerat,) Papa iam facillimus ratum et legitimum pronuntiauit; a rege autem Caesar ducatum *Valentinum*, et 1499. *Carlotam*, sororem Ioannis, Regis Nauarrae, coniugem, dono quasi acceperat; cum alia *Carlotta*, Friderici neapol. filia, foedissimi hominis coniugium repudiasset. Interfuit Caesar hic *Ludouici* copiis; quae *Genuam* et *Mediolanens.* principatum facile occupabant, 1499. cum *Ludov. Maurus*, in Germaniam fugeret, qui vel *Baiazethem* contra Gallos susceitatum ibat; alia legatio ad Turcos etiam a *Frider.* neapol. missa. *Iubilaeum* celebrauit papa, suspensis interea indulgentiis cunctis; fuit tamen solito minor concursus ad vrbem; ceterum monstra multa describunt historici, portenta etiam, vt ne occasione careant, de turpitudine et atrocia vitae publica, Papae praecipue, admonendi; die App. Petri et

Pauli

Pauli tubus vaporarius violento turbine deiectus coenaculum perrupit, in quo pontifex egit; duo obruti, tertius graviter vulneratus, pontifex capite et manu non leuiter saucius vix e ruderibus extractus fuit. Hoc accepto omine, parum fausto, noui seculi primordia instabant; quae res ad plebem, vt illud monstrum in Tiberi, non caruit religione.

CAP. II.

De publico ecclesiae statu.

Tantus hic est illorum numerus scriptorum, qui iustissimis querelis et sanctis publicae prauitatis reprehensionibus locum sibi fecerunt, vt longo numero nobis excitandi essent; non vnius gentis illi, nec vnius conditionis et generis; rei ciuilis administrandae admoti aut periti; rei sacrae alii operantes; in monasteriis sancto dolore multi affecti. Atque tantae malignitatis est illa causa, vt saepe nec *Spondani*, nec *Raynaldi*, *Bzouii*, *Natales Alexandri*, et similes scriptores tacere aut negare audeant: quos scimus a *Protestantium* cetera et consuetudine et consilio satis alienos esse. Multa eius generis luculenta testimonia collegit *Flacius*, in *Catalogo testium veritatis;* quod praeclarum opus debebat a nobis hodie longe, quam olim licuit, melius ornari atque copiosius augeri: salubriter commouendis animis et frugiferae prudentiae colligendae, christianae verae religionis ingenuae indoli commendandae, maxime profuturum. Sed nec alia minora corpuscula eius generis desunt, quibus plurium auctorum frugiferae et satis audaces continentur scriptiones. *Basileae* a. c. 1551 editi facere libelli, *Petri* de Aliaco, cardin. cameracensis, *de reformatione ecclesiae;* et (*Matthaei* de *Cracouia*, episc. *Wormatiensis*) de *squaloribus* (sic enim errores, quibus ecclesia denigratur appellare autori placuit,) *curiae romanae*, cum praefatione *Wolfgangi Wissenburgii*, in academia Basilienſi professoris ordinarii;

rii; — — vt incipiant intelligere, *non esse nouum*, nec nostro tantum inductum seculo; sed semper pios, bonosque fuisse viros, qui sacro scripturarum nectare, paulo lautius potati, prauorum hominum imposturas facile persentiscerent, ac quantum possent, per concreditum sibi talentum, etsi non vindicarent plane, notarent saltem, caeterisque pervigiles essent duces, ne cum peruersis peruerterentur &c. Idem *Wissenburgius* edidit *Antilogiam* Papae; hoc est, de corrupto ecclesiae statu et totius cleri papistici peruersitate &c. Basil. 1555. 8. — — papisticas deceptiones non nuper coepisse damnari, *sed nullo non tempore fuisse*, qui stulti illius pastoris, quem dominus in terra susciturum per prophetam minitatur, mendacia et imposturas animadverterent &c. Insunt autem isti libelli. *Matthiae* Parisiensis praefatio in librum scholae parisiensis, de *periculis* ecclesiae, et ipse liber, scriptus 1389. p. 5. — — protestamur ab initio, quod omnia ad cautelam et instructionem ecclesiae vniuersae, non circa personam aliquam, sed circa peccata malorum et pericula ecclesiae vniuersalis dicturi sumus; quae non ex inuentione nostra, sed ex veritate sacrae scripturae collegimus. *Articuli scholasticorum parisiensium* contra monachos, p. 137. Articuli papae *Iohannis* 22 contra monachos, p. 141. Sermo M. *Willhelmi* de S. amore, primus in Lucae 19, Pharisaeus dixit: quod non sum sicut ceteri homines, raptores &c. p. 144. Sermo secundus, 171. Tractatus *Marsilii* de *Padua*, de translatione imperii, p. 210. *Aureum Speculum Papae, eius curiae*, praelatorum et aliorum spiritualium, scriptum ante 150 (non ML) annos pag. 251. — tota romana curia a planta pedis vsque ad verticem capitis patenter excaecata erroribus — tria tanta mala conabor machina triplici, (auctoritate SS. ratione naturali et iure canonico) conterere, euellere et radicitus extirpare; *primo*, errores curiae romanae grauissimos circa prouisiones beneficiorum, et indulgentiarum concessiones. *Secundo*, scripta minus catholice scribentium quaedam, quae tantae destructioni eccle-

ſiaſticae cauſam praeſtaſſe videbantur aut occaſionem, tamquam haeretica clariſſime reprobabo. *Tertio*, totam romanam curiam erroneam et in ſtatu damnationis laborantem ex veriſſimis fundamentis declarabo. *Pars prima* pertractabit naturam titulorum eccleſiaſticorum, *capitulis decem;* definitio tituli; ordo titulorum eccleſiaſticorum; tria, quae requiruntur, vt titulus canonice acquiratur. Damnatur electionum per Papam facta *reſeruatio;* errores curiae Rom. circa prouiſiones et aſſecutiones beneficiorum et indulgentiarum deteguntur &c. Eſt Dialogus *Petri* et *Pauli* — totum hoc malum ſua venalitate curia Romana propagauit, cum promouentur epiſcopi inutiles, idiotae, ſcandaloſi, ſubditis violenti — lenones, coci, ſtabularii equorum, pueri — *Iacobi* de paradiſo carthuſ. de VII ſtatibus eccleſiae in Apocalypſi deſcriptis, deque eccleſiae reformatione, p. 462. ſi papa curiam ſuam, quam palpabiliter cernitur indigere maxima reformatione, reformare non poteſt aut non velit: quomodo credendum eſt, quod tam late diffuſam eccleſiam poſſit reformare? — p. 524 ſq. *Heimburgenſis* (v. *Freheri* tom. 2.) appellatio quam ad valuas eccleſiae *Florentiae* publicauit, pro parte *Sigismundi*, ducis auſtriaci; p. 543 ſeq. eiusdem confutatio primatus papae; pag. 588. eiusdem appellatio pro ſe, poſtquam excommunicatus fuerat. *Hermanni Ryd* de *Reen*, tractatus, de vita et honeſtate clericorum. Homelia b. *Volcuini* abbatis, ſuper Euangel. de ſemine et zizaniis; diui *Huldrici* ep. Auguſtani epiſtola, aduerſus conſtitutionem de *caelibatu* clericorum. Ex iſto *ſpeculo aureo*, excerpſit multa *Ioh. Wolfius*, in lectionibus memorabilibus, centenario 15, tomo 1. p. 736 ſeqq. quod non annotatum eſt in Corpore *Hardiano* concilii *Conſtant.* tomo 1. p. 6. 7. exhibuit illud et *Goldaſtus*: tomo 2 conſtit. imper. Multae huius indolis ſcriptiones, *Petri* de *Alliaco*, *Ioh. Gerſonis*, *Nicolai Clamengii*, (de ruina eccleſiae) *Theodorici de Niem*, (qui alicubi ſcripſit, paparum ſimoniacas artes *Huſſo* Anſam dediſſe ad oppugnandam ſedem romanam; et alicubi, *in Alemannia*

Ae-

Aepiscopum, vel episcopum, qui forte duplo plus habet in reditibus, quam percipit rex romanorum &c.) Hic *Wolfius* e multis scriptoribus, exempla et testimonia luculenta et grauia collegit, de misero ecclesiae statu; quos inter bonos viros, qui veritati adesse ausi sunt, eminent Laur. *Valla*, *Franc. Petrarcha*, *Bapt. Mantuanus*, *Sauanarola*, *Antoninus*, Florentin. aep. alicubi; *Ioh.* de *Wesalia*, &c. cur enim hic viros bonos iam recensеamus, quibus est in tabula commodior locus? *Anonymorum* autem, qui partim satyricis, partim seueris scriptis in temporis istam improbitatem inuecti sunt, non est exiguus numerus; Tractatus *de ruinae ecclesiae planctu*, versibus latino germanicis, (1517 Hagenow, in *Hardtii* autogr. Lutheri tom. 3, et *Gerdesii* introductione in historiam Euangelii sec. 16 renouati, tomo 1. inter monumenta, Num. 1.) *defensorium* ecclesiae; de *miseria* curatorum; &c. Quis autem carmina, fabulas, prophetias, portenta et eius generis adminicula recensеat, quibus et indignationem et melioris temporis spem solebant prae se ferre? Multa *Sekendorfius*, et qui historiae reformationis vel aliquam operam dederunt, recensere solent infausti temporis documenta; e.g. *Loescherus*, *Cyprianus* &c. historici autem scriptores huius seculi narrandis infandis, turpibus, foedis, ridiculis clericorum rebus, raro defuerunt. Operae omnino est pretium, vel *Francisci Duareni* quasdam graues sententias hic repetere, (ex libro V. de sacris eccles. ministeriis, cap. XI.) Quam foeda et *plane miserabilis facies ecclesiae*, quanta rerum omnium perturbatio atque indignitas tum fuerit, (ante illam sanctionem pragmaticam;) vel praescriptio ipsa prooemiumque Constitutionis *Carolinae* (Caroli regis VII.) satis indicat. Ante eius promulgationem *infinita* emanabant ex aula Romana *diplomata*, quae ordinem ecclesiasticum perturbabant omnino atque peruertebant. Antistitibus, ordinandorum ecclesiae ministrorum adimebatur et e manibus extorquebatur facultas. *Indignissimi quique* passim ad munera ecclesiastica, *viris* sanctitate et doctrina commen-

dabilibus *praeteritis*, promouebantur. Et quod *longe turpissimum* ac bonis moribus maxime contrarium est, non eorum modo, qui e viuis excesserant, sed superstitum etiam spirantiumque hominum sacerdotia, beneficiaque in diem mortis eorum, cuius captandae dabatur occasio, conferri solebant. Praeterea *lites* et controuersiae de rebus sacris et spiritualibus, *Romae disceptabantur*, contra veteres canones — Ex quibus omnibus malorum atque incommodorum Ilias exoriebatur. Nam, praeter *neglectam religionem* cultumque diuinum, quo nihil potest exitialius dici, exhauriebatur res nummaria, pecuniis omnibus ad *sacerdotiorum nundinas*, i. e. ad romanam aulam, exportatis. Nisi forte quis credat, *aut gratis fuisse concessa*, aut *paruo constitisse* ea Romae, quae magna ex parte ad quaestum excogitata esse, nemo est adeo rerum imperitus, vt non intelligat, &c. Ex tam multis et variis scriptis, quae ipso illo tempore praecipue prodierunt, barbarica quaedam facies sacrorum publicorum facile ita describi potest, vt inter *Scythas* et nationes feras tantae tam infandae foeditatis exempla non possint colligi. Plerique omnes Papae, multi Aepiscopi, episcopi, &c. religionis publicae nullum aliud consilium secuti sunt, quam vt omni voluptatum etiam foedarum genere sine vlla offensione, sine impedimento, vti fruique possent. Repetamus, vt rei atrociam salubriter ad animum reuocemus, vel istos, ex articulis LXX, in inquisitione contra Ioh. 23. (Concil. *Constant.* Hardii tomo 4. p. 196 seqq.) 1. a Tempore iuuentutis suae fuit homo malae indolis, impudicus, mendax, parentibus rebellis. 2. Per illicita media se procurauit familiarem et cubicularium *Bonifacii* IX. 3. Per Simoniacam prauitatem congregauit multam iniquitatis mammonam. 4. Pro cardinalatu soluit magnam pecuniarum summam. 5. Legatus bonon. vrbem crudeliter exhausit, datiis, gabellis &c. 6. In mortem *Alexandri* V. extitit machinatus, vt tam ipse, quam medicus suus, M. Daniel, veneno extinguerentur, prout extincti sunt. 7. Tantum practicare sciuit, vt rom.

pon-

pontifex eligeretur; sed velut paganus diuina officia contemsit — si aliquoties celebrauit, fuit currenter, more venatorum et armigerorum — 8. Est — — vitiorum faex, a virtutibus peregrinus, — diabolus incarnatus. 9. Commisit cum vxore fratris sui, cum sanctis monialibus, incestum; cum virginibus stuprum, cum coniugatis adulterium, de his publice diffamatus. 10. Vas omnium peccatorum — pro pecuniis promouit indignos, repulsis dignis — plus offerentibus — litteras bullatas per mercatorum manus et nummulariorum manus, vt de mercibus mercari solitum est, vendidit et vendi iussit. 11. Per inauditum scelus, sex parochiales ecclesias dioeceseos bonon. et plura alia beneficia ecclesiastica, pro pecunia numerata vendidit, mere laicis — qui ponunt presbyteros ad celebrandas missas, pro suo libito. 12. Praeceptoriam *Cypri* contulit infanti 5 annorum, pro certa pecuniae quantitate. — — item, papa certos in romana curia mercatores deputauit, qui beneficia vacantia curiae, tribus vel pluribus diebus ad libram ponderarent et plus offerentis supplicationem reciperent — per confictam et mendosam resignationem, quae numquam accidit, contulit pro pecuniarum concordata quantitate; multos sic funditus depauperando — vnum et idem beneficium pluribus et diuersis, vel etiam vni et eidem repetitis vicibus vendidit; et plerumque vni venditum, per anticipationem ante datam alteri ementi conferebat; similiter de gratiis expectatiuis, declarationibus, surrogationibus, et per impositionem silentiorum, ius iam quaesitum absorbuit — 28, in pluribus sermonibus admonitus minime se emendauit, sed diabolico instinctu peiora prioribus perpetrauit. 30. Quod a. 1412 quidam Nicolaus, *mercator* Florentinus, papae assertus secretarius, laicus coniugatus, legatus papae deputatus venit ad partes *Brabantiae*, habens potestatem exigendi quoddam subsidium (decima pars fructuum omnium beneficiorum in 4 dioecesibus); non solventes excommunicaturus, et suspensurus collegia, capitula, ecclesias, quae pecunias non traderent; per quod eccle-

fiaſtica cenſura ad ludibrium et deriſum, et tota *ſeptentrionalis eccleſia* grauiter fuit ſcandalizata; idem mercator Florentinus indulgentias publicauit et publicari fecit, *Traiecti*, *Mechlinae*, *Antwerpiae* et alibi; de quibus maximas pecuniarum ſummas extorſit. Papa correptus per ambaſſiatores regis Franciae et praelatorum et vniuerſitatis pariſienſis, romae 1412, et monitus, vt ſe in vita et moribus emendaret, tamen ab iſtis ſcandalis non ceſſauit; etiam imperator *Sigismundus*, cum in *lombardia* eſſet, eum monuit, quod totus mundus in eius perſona ſit ſcandalizatus; 36, bona temporalia eccleſiae romanae in Italia, peſſime rexit; gabellas adauxit, totam ſubditorum ſubſtantiam, quantum in eo fuit, exhauſit, et eccleſiae ſubditos depauperauit — 39, dilapidator, toti populo ſcandaloſus, veneficus, carnis vitia per omnia colens; papa *Boldrinus* appellatur &c. Pag. 248. Articuli contra Iohannem probati quidem, ſed ob honorem eius non praelecti — Pag. 252. ſaepe coram diuerſis praelatis ac aliis honeſtis viris, pertinaciter, diabolo ſuadente, dixit, aſſeruit, dogmatizauit, adſtruxit: vitam aeternam non eſſe, neque aliam poſt hanc; animam hominis cum corpore mori &c.

Nec minus patet inſanabile rei tum ſacrae ingenium, ex ipſis *concordatis nationis germanicae* cum papa *Martino* V, 1418: (vid. editionem tomo XII reliquiarum *Ludewigii*, pag. 444 ſeqq.) Cap. 1. Vt numerus Cardinalium moderetur, ne grauis ſit eccleſiae. 2. Vt *prouiſiones* fiant ſecundum iura ſcripta, *modificatae* ad *Benedicti* XII. conſtitutionem, (Ad Regimen eccleſiae generalis; inter *Extrauag.* com. tit. de praebendis.) 3. De qualificatione beneficiandorum (ſexta pars canonicatuum et praebendarum ſit graduatis;) in metropolitanis, cathedral. collegiatis, et parochialibus. 5. De *annatis;* quae exceſſiue taxatae ſunt, iuſte retaxentur. 6. De cauſis in romana curia tractandis vel non. 7. De commendis non continuandis. 8. De Simoniaca labe heu nimium frequentata. 9. De non vitandis excommunicatis, niſi fuerint denuntiati. 10. De

diſpen-

dispensat. aetatis caussa. Cap. 11. De prouisione (sustentatione) Papae et cardinalium. 12. De indulgentiarum cavenda nimia effusione; in praeteritum concessae, reuocantur et annullantur. Ista omnia valebunt tantum in *quinquennium*; postea quaelibet ecclesia et persona liberam facultatem habet; iure suo vtendi. Nec nihil facit ad hanc caussam cognoscendam *Reformatio* ecclesiarum Germaniae, per *Brandam*, cardinalem placent. Legatum *Martini* V, visitatorem et reformatorem pro ecclesia *Moguntinae* dioec. et totius *Alemanniae*, de anno 1422, (tomo XI. reliquiarum pag. 384. — vsque adeo nonnullorum clericorum corruptela excreuit, vt *morum atque honestatis vestigia* apud eos *pauca admodum remanserint* — ideo, vt frena huiusmodi insolentiis apponantur, et nouis morbis noua adhibeantur remedia, necesse est, leges quotidie condere, et nouas poenas annectere &c. P. 389 seqq. noua formula iurandi, pro Aepiscopo. — cum *litterarum ignorantia* clericis plurimum esse periculosa noscatur, nullus admittatur ad capituli vocem et emolumenta, nisi saltim congrue *loqui sciat latinum* —

Istis autem et similibus magni feruoris, si placet, variis laruis, summa res nihil omnino correcta fuit; quia paparum curia omnino abhorrebat a christiana virtute; ex iis ceteris callidior fuit *Pius* II; qui et concordata *Friderico* facile persuasit, et verba aliis etiam dedit, quibus potuit; legatur Epistola *Martini Mayr*, cancellarii Moguntini ad *Aeneam*, Senensem tunc episcopum, cardinalem creatum 1457, huius autem responsio, in Epistola 338. 339. et *Iacobi Wimpfelingii* replica; tomo secundo *Freheri*, pag. 381 seqq. primae editionis. Nec mirabimur Papae continuam fere potestatem; si recordemur vel vnius *Gabriel Biel* defensorium obedientiae apostolicae contra causam *Dietheri* de Isenburg, aep. moguntini; qui non poterat immensam annatam soluere, quam Papa exegit, cum dioecesis explumata esset; voluit etiam papa, vt iuraret, in concilium se non consensurum, chronica Slauica p. 223.

Sed discedamus ad aliud publicae infamiae sacrae genus; *reliquiarum* et *miraculorum* et *negotiationum* sacrarum foedam causſam. *Henricus Tocken*, (de quo saepe in *Buſchii* de reformat. monaſter.) canonic. magdeburgenſis, naſcentem ſeculi ſuperioris fine turpitudinem, cruoris ſancti *Wilznacenſis*, cum Aepiſcopo *Friderico* fortiſſime reprehendit et reiecit; ſed *Hauelbergenſis* epiſcopus et marchio brandèb. a Papa impetrarunt confirmationem; dubitandi etiam ne eſſet ratio, an conſecratae fuerint olim illae hoſtiae, eis impoſita fuit alia conſecrata. Hic ſcriptor integerrimus, (qui etiam legatus interfuit concilio *baſileenſi.*) in *Sylua* ſua alia plurima notatu digna narrat; e. c. in hoc concilio Aepiſcopum lugdunenſem narraſſe; quod tempore *Martini* papae ex ſola Francia ad curiam romanam venerint IX milliones auri, ab aepiſcopis et praelaturis computati; absque iis, quae computari non potuerint; minorum clericorum enim plerosque Romam afferre omnem ſuam ſubſtantiam. Nec multum melior eſt illa cauſſa, cum diſceptaretur, de vero S. *Lucae* corpore, quod *Patauii* iam eſſe credebatur; ſed aliud eodem nomine *Venetias* apportaretur per Franciſcanos; vid. *Bzouii* narrationem a. 1463. n. 60, longe verboſiorem quam *Raynaldi;* diligentiſſime autem recenſuit *Hottingerus* ſeculo 15. pag. 108 — 128; idem de tragico — comoedia, quae ob furto ablatum a *Senenſibus* ad Peruſinos annulum *pronubalem* Mariae ſuſcitata fuit, Sixto IV et Innoc. VIII. P. P. verboſius narrat, p. 129 ſeqq. Addenda tamen *Raynaldi* ſedulitas, ad a. 1480. n. 44. qui narrare audet, huius annuli vim diuinam Chriſti fideles ſaepe expertos eſſe, praecipue in conciliandis alienatis coniugum animis.

Miraculorum temere confictorum quanta fuit adhuc hoc ſeculo multitudo! Tanta, vt optimi quique viri auſi ſint improbiſſimum religionis fontem deſpicere. *Nicol. Lyranus* in Daniel. XII: ſimiliter aliquando *fit* in eccleſia maxima *deceptio populi*, in miraculis fictis a ſacerdotibus, vel eis adhaerentibus, propter lucrum temporale. *Ioh. Ger-*

Gerson: mundus senescens patitur *phantasias* falsorum miraculorum; sicut homo senex phantasiatur in somno; propter ea nunc sunt habenda miracula valde suspecta. *Erasmo* autem non est rarus ille locus abiiciendorum miraculorum, vel in *colloquiis* (vid. *Exorcismum*, vel spectrum) et in *encomio Moriae*: — qui miraculis et prodigiosis gaudent mendaciis vel audiendis vel narrandis. Nec vlla satietas talium fabularum, cum portentosa quaedam de spectris, lemuribus, laruis, inferis, de id genus millibus miraculorum commemorantur — In *censura* in libros retractatt. et confessionum Augustini: Ego pestilens hoc rabularum genus inter christianos semper sum execratus, qui neque sciunt veram pietatis imaginem adumbrare, quod nemo nouit, nisi vere pius; quales si essent illi, numquam talibus mendaciis fallerent discipulos illius, qui est veritas; huiusmodi technis efficiunt, vt nec vera narrantibus habeatur fides &c. Immortalis est per vniuersam hanc caussam probitas, fides atque integritas *Erasmi*. Sed et *Laur. Valla*, (de donatione *Constantini*,): nostri fabulatores passim inducunt idola loquentia; quod ipsi gentiles et idolorum cultores non dicunt, et sincerius negant, quam christiani affirmant. Vid. plura in *Iohan. Zwingeri* tractatu histor. theol. de *Festo corporis Christi*. Ecquid autem pudoris publici priuatique aut sani sensus superesse putabimus illis, qui infandam fabulam de S. *Catharina* narrare et typis adeo excudere ausi sunt, quae tres per annos abbatissae, quae bis interea peperit, prouinciam publice gesserit? Cuius generis simillimam fabulam e *Caesario*, Heisterbacensi saepissime inde ab hoc seculo excuderant, de *Maria*, quae XV per annos Beatricis cuiusdam personam omnem expleuit, cum illa cum clerico tentationibus carnis succubuisset. Cum sciamus, eum, qui semel verecundiae fines transierit, oportere bene et gnauiter esse impudentem: facile fingimus nobis ipsi, quam improbe sanctis imposturis operam dederint homines pessimi, indignissimi, licet clericorum monachorumque nominibus vsi. De Parocho e. c. qui sub diem

paraſceues in coemiterium clam immiſit viuos cancros, cereolis ardentibus impoſitis, narrauit ipſe *Erasmus;* hac ratione e ſepulcris animae defunctorum purgatorii ignis fidem facere videbantur. Nefanda illa, quae *Bernae* a Praedicatoribus contra *Franciſcanorum* ſtudium in Mariam, perpetrata fuit ſeculi 16 initio impietas, ſatis nota eſt; ſed nec poſtea defuerunt alibi ſimilibus technis atrocibusque rebus; leg. vel *Sleidani* lib. 9, de *Franciſcanorum* infanda tragoedia, quam *Aureliae* agere propoſuerant; plura ibidem *Ioh. Zwingerus*, qui et poſt *Hottingerum* drama recenſet, contra bruchos et vermes, ad omnem proceſſus eccleſiaſtici formam rite peractum, iuſſu epiſcopi *Lauſannenſis.*

Non eſt autem nobis hoc negligendum, vel in concilio *conſtantienſi*, cum varia hominum nomina et ſeruitia recenſentur, quibus opus fuit, deſcribi etiam — fiſtulatores, tubicines, *ioculatores*, 517. item *Meretrices*, *virgines publicas* 718 &c. vid. diarium belli huſſitici p. 127. tomo 6 reliquiarum. Atque poſt tam ſaepe auditas publicas etiam voces eorum, qui *Reformationem* in capite et in membris poſtulauerant, poſt *baſil.* concilii auctoritatem, quantum tandem eius rei promotum fuerit, vel ex *Ioh. Buſchii*, praepoſiti noui operis Halenſ. libris de Reformatione monaſteriorum complurium, facile patet; is cum *Paulo*, per *Saxoniam*, *Thuringiam*, per dioeceſin *Magdeburg. Mersburg. Misnenſ. Numburg. Brandeburg. Hauelberg. Halberſtad. Hildesheim. Verdenſem*, a *Nicolao* Cuſano viſitator fuerat conſtitutus, 1451. Ipſe ſic deſcribit: miſit me cardinalis pro cleri et religioſorum omnium reformatione, et eorum ab erroribus inuentis ad *verum ſtatum chriſtianae* religionis plenaria reductione. Quid egerit, ipſe narrat illis libris, tomo II. ſcriptorum brunſuicenſ. *Leibnitii.* Eius generis quaedam deſcribemus, vt melius intelligamus hanc cauſſam. *Halae* mandauit, vt ne porro in illa proceſſione, quae fiebat die S. Marci, quinque parochiae cum ſuis ciboriis et ſacramentis circuirent; fidei enim catholicae eſſe valde

valde nociuum, quasi singuli plebani proprium haberent deum. Idem non passus est, nuptialiter copulandos in ambone non proclamari. Iussit, vt *altaristae* diebus dominicis et festis processionum diebus in ecclesia matrice praesentes se exhiberent, et cum plebano et secularibus coemiterium processionaliter circumirent; in maioribus festis autem, missae et vesperis interessent. Pag. 819, quomodo presbyteri suspectas mulieres habentes correcti sint; Abra presbyteri confessa est, quod presbyter negarat, secum dormiisse ipsum; vltimum in carnispriuio; et circa *Reminiscere* eam interrogaui. Correxi ergo eum in bursa per ceram et aliam poenitentiam, quia secretam poenitentiam non perfeciset — — quidam vero plebani maluerunt ecclesias quam famulas suas dimittere, P. 828. de visitatione in *Lipzk;* interfuit promotioni in doctorem S. Theologiae; dixit doctor opponens: domine doctor, in quaestione, quam proposuistis, dictionem istam posuistis; quae est nomeu substantiuum, masculini generis, singularis numeri, nominatiui casus, et verbum actiuum adiunxistis, primae coniugationis &c. addiderunt tamen alias in theologia subtiles materias — p. 843, Erfordiae frater reformationem impedire volens, noctu mortuus est inuentus, rubeum circa collum habens circulum, suffocationis a diabolo verissimum signum. Cum in ecclesia iacuisset in se retro resupinus, horribilis strepitus factus est; et corpus eius in sarcophago fuit euersum; proiecerunt igitur in sterquilinium, et cessauit inquietudo. P. 848, duo fratres, CCL florenis secum sumtis ad curiam perrexerunt romanam, volentes reformationi se opponere. P. 852, subito audierunt terribilem sonum campanarum, proprie *Storme*, per certos fratres procuratum, reformari recusantes. P. 855. in *Brulone*, Hildeshem. sunt boni fratres; officia habentes diuersa, praecipue *scripturarum*, qui propter monasteriorum Saxoniae nouam reformationem, plurima cotidie a monasteriis vltra XX milliaria acquirunt; *missalia*, *antiphonaria*, *gradualia*, capitularia seu *collectaria;* et pro libraria ad scribendum et *ligandum*, in

pretio

pretio altra mille florenos. Pag. 859. de monialibus in *Wenningſen.* Dux *Wilhelmus*, ſenior brunſuic. pileo depoſito dixit, domina prioriſſa et vos ſorores omnes, volo vt reformationem aſſumatis — ſed noluerunt; extenſis brachiis et pedibus in modum crucis altiſſimis vocibus exclamarunt *Antiphonam*, *Media vita in morte ſumus* &c. Pag. 862. ego, praecentor exſiſtens, incepi canere, prout *monialibus reformatis* bene deſeruiuit; antea hae monniales illam *Antiphonam* ſuper nos decantarunt, etiam candelas de cera ardentes ſuper nos et contra nos proiecerunt; vna iuuencula extra eccleſiam ſuper coemiterium nos ſecuta, cum cantaret, *Sancte deus*, *fortis* &c. etiam terram in ſignum noſtrae maledictionis ter momordit et lapides et terram poſt nos proiecit. P. 870 — eas inſtruentes quomodo in Feſtis praecipuis *altius*, in apoſtolicis, *moderatius*, et in ferialibus diebus, ſimplicius et baſſius cantare deberent, vt *reformatas* ſe in cantu monſtrarent. P. 872. ordinaui, vt omni die feriali capitulum haberent culparum; — et in ſextis feriis culpas ſuas dicerent; et poſt completorium ſingulis diebus domum capituli transeuntes, quod eſt inter chorum et dormitorium, in via *diſciplinam* acciperent, vnam vel duas, in capitulo mane impoſitas. *Septem verbera*, cum virga viminea data, *vnam* faciunt diſciplinam, vt *ſeptem peccata mortalia* cum ſuis dependentiis per ea *deleantur*. P. 875. moniales ad reformandum difficiles, panes, carnes, caſeos &c. quae comedere debebant, eiicere ſolebant, vt reformatio propter paupertatem impediri videretur. P. 879. capitulum culparum cum eis tenui; in choro et refectorio inclinationes, ſtationes et cetera *caerimonialia* eis demonſtraui, et quae ad *veram reformationem pertinent*, oculata fide intus et foris eis oſtendi — omnia in commune comportare iuſſi, in refectorium; cochlearia argentea; amphoras de ſtanno; tunnas, ollas aereas, deghel et ſartagines, cacabos, meſſingbecken, ferra ad coquendum tortas, ſcutella de ſtanno, mortariola — (ne proprietas ſupereſſet). P. 903. moniales in *Dorſtad*; diſcipli-

sciplinas dabant iuniores duae moniales, habuerunt virgas satis magnas et percussérant satis acriter. Interrogaui: an daret vni plus quam alteri; respondit, vtique; illam, quae iudicio meo plus promeruit, percutio quantum possum. Interrogaui seniorem aliquam, an graues susceperit disciplinas; dixit, numeraui decem et octo verbera, tam fortiter, sicut potuit. Tunc dixi ei: deberetis ei signum dáre, vt sciret, quod satis haberetis; respondit, si hoc facio, tunc amplius me percutit. Istas disciplinas ex toto prohibui, quamuis a quibusdam monialibus rogatus, vt ipsae possint porro sic recipere, ne in pectoralibus (in corde suo, Leibn.) infrigidarentur. P. 909. filia naturalis, ducis *Wilhelmi*, senioris, oblata fuerat in *Marienfee;* tandem capellanus eam decepit — et virilem induens habitum et caligas braccatas, cum *arcu et sagittis*, de monasterio exiit. Capellanus eam in silua reliquit; ad proximam igitur villam iuit, et postquam puerum peperisset, in monasterium reducta et incarcerata fuit. Per instinctum diaboli pluries fuit vexata — libertati igitur est restituta; per 7 annos per diuersas terras vagabunda errauit, et vbique inuenit suos amatores — vltimum filium peperit in *Hildeshem* — puer mortuus, cum nondum posset loqui, hospitae traxit supellectilem, sub qua dormiebat, et suscitauit eam; dixit, sum filius *Sophiae* monialis; die matri meae, ego perueni in caelum, in locum sibi paratum, si in ordine reformato in finem permansisset — sub Abbatissa in *Derneborg* reddita fuit in monasterium. Pag. 922. de praedicatorum quorundam erroribus, per Iohannem emendatis; quidam frater minor *Guardianus*, publice praedicauit in *Hanouer*, omnes *Beginas* fore condemnandas, quae sine tertia regula S. *Francisci* pariter habitauerint — vna Beginarum venit cum sua *abra* ad hunc Iohannem — — et receßit ab eo bene consolata; sed ille *Guardianus* publice de hac re praedicauit, dicens: quando Euangelium hic praedicatur, tunc quidam vadunt in *Hildeshem* (ad illum Iohannem;) bene eam video hic sedentem, quae hoc fecit, — tandem

venit

venit Guardianus ad Iohannem et se defendit sic: omnis viuens in statu non approbato ab ecclesia, damnabitur; etiamsi tantae fuerint Beginae sanctitatis — sicut beata fuit Maria Magdalena aut mater domini — Postea autem reuocauit *Guardianus*. Pag. 925. doctor theologiae de Brabantia venit in *Hanouer*, Regis *Cypri indulgentias a poena et culpa*, vt asserunt a rom. pontt. illi concessas, populo denuncians. Eius sermonem audiuit Iohannes, et reperit eum quatuor articulos praedicasse contra veritatem, et contra plebanos et pastores ecclesiarum; accessit igitur ad eum, dicens, oportet, vt cras reuocetis; alioquin hic vltra praedicare prohibemini. Praedicastis enim: *quoties missa per mundum celebratur, toties vna anima de purgatorio liberatur*; idem, quod mendicantes episcopis praesentati a suis superioribus, sunt super plebanos. Falsum est; si tot animae a purgatorio liberarentur, quot fiunt missae in mundo: *tunc nulla iam anima esset in purgatorio*; gratis ergo quotidie missae pro defunctis seruarentur. Respondit ille: ego, quae praedicaui coram cunctis in *Hildesheim* doctoribus et coram Aepiscopo *Colon.* et eius vniuersitate, optime scio et volo defendere. Cui respondi: confundor et scandalizor in vobis; oportet vos ea publice reuocare de ambone, *vel de terra* domini ducis *brunsuic. statim exire.* In crastino omnia reuocauit. Ibidem cap. 17, de lectore, qui praedicauit, quod non liceat *habere libros teutonicos;* et quod sermones non nisi ad populum *in ecclesia* fieri deberent. Ego autem, (Iohannes,) sciens, plus quam centum congregationes sororum et beginarum in terra *traiectensi, plures habere libros teutonicales*, et eos legere quotidie, singulariter et in refectorio: constanter contradixi — — respondit ille: laici quidam altos habent in *teutonico* libros, videlicet, *sententiarum* et similes, quos quidam ordinis nostri transtulit in teutonicum ex latino, *Valens* doctor; alii missale etiam cum canone habent in teutonico — cui dixi: hoc non approbo; imo et canonem apud moniales inuentum, ego combussi; tamen

libros

libros morales, de vitiis et virtutibus, de incarnatione, et vita Christi, Apostolorum, martyrum; homilias etiam ad emendationem vitae, inferni timorem et caeli amorem provocantes, habere et legere cunctis vtilissimum est — oportet, vt publice reuocet iste lector — Sic reuocauit: vos boni homines, quando hic euangelium praedico, hoc aliis aliter vlterius narratis; dixi alias, quod teutonicales — hoc ita notaui. Feminae quaedam vel etiam viri, scripta interdum aliqua sub mappa ponunt altarium, vt super ea missa legatur; et tunc cum illis diuinationes plures faciunt et incantationes; illa scripta vos legere prohibui; libros vero morales bene habere potestis. P. 927. lector quidam *Augustini Hallis* terminarius praedicauit, *Caipham* esse saluatum, ob prophetiam, (expedit, vt vnus moriatur &c.) in antiquo libro dicebat se inuenisse, quod *Iacobus* apostolus multos pharisaeorum conuertit, et in his *Caipham.* Cui dixi: si vultis omnia praedicare, quae in antiquis libris inuenitis, errores et haereses saepe praedicabitis — tamen misericorditer volo vobiscum tenere; in proxima praedicatione ita dicatis: — credo quod libellus meus sit incorrectus et quod sit condemnatus; non est necesse, vt dicatis, mendacium vos in ambone dixisse — alias Hallis non praedicabitis. Fecit, vt mandaui. Caput XXI. de indulgentiis promerendis. *Nicolaus* de *Cusa* cardinalis per Allemaniam legatus, in publica sessione Magdeburgi, totius prouinciae praelatorum, 1451 aperte dixit: quod poenitentia, pro vno peccato taxata, sunt 7 anni certis diebus sub certo modo viuendi, comedendi et vestiendi, vt *Bartholomaeus* doctor hoc describit; — pro duplici vero mortali peccato, (adulterio, periurio, homicidio simil.) poenitentia taxata 14 anni sunt. Peccator autem quicunque, qui poenitentiam istam seruauerit, aliam post hanc vitam *in purgatorio poenam non habebit.* Si non compleuerit praemissam poenitentiam pro singulis peccatis mortalibus, in vita praesenti: oportet vt compleat in purgatorio. Et quia multi plurima peccata commiserunt, et talem poenitentiam

tentiam propter vitae breuitatem facere non valent et complere: ideo ſancta mater eccleſia et ſedes ſancta apoſtolica *formam et modum adinuenit*, quo magni peccatores a cunctis ſuis peccatis iuridice merito poſſint liberari; de theſauro enim eccleſiae, hoc eſt, de meritis Ieſu Chriſti, ſuae benedictae matris et omnium ſanctorum, papa, et illi, quibus eccleſiae claues ſunt commiſſi, *certam accipiunt portionem* et cunctis Chriſti fidelibus *gratiam* illam communicant, quantum illis videbitur et pro quanto, prout in bullis eorum continetur, indulgentias concedentes — qui enim X, XX, XXX, aut Centum annis in purgatorio puniri debuiſſent: ſi in vita praeſenti indulgentias veras — — promeruiſſent, ab illis poenis purgatorii omnino eſſent liberati. Omnibus igitur perſuaſit chriſtianis, quatenus *indulgentias* promereri *non negligerent*, ſi *ſine igne purgatorio* hinc *ad caelum euolare* deſiderarent. Cap. 22. de tribus Reformationum generibus; prima reformatio, per ſuſpendium. Dominus *Albertus*, dux Auſtriae, et poſt rex *Bohemiae* et *Romanorum*, cum abbate quodam ipſe venit in monaſterium, cuius monachi nolebant reformari. Iis, qui nolebant regulam ſtrictius ſeruare, dixit, exeatis e capitulo. — dixit tandem abbati, domine vultis mecum ire, et videre, quomodo fratres rebelles ſe habeant? Pendebant omnes in *creopenſorio* ad trabem, partim iam mortui, partim extremum ducentes ſpiritum. Secunda reformatio, per ignem, cap. 23. In iisdem (Auſtriae) partibus, abbate mortuo, elegerunt fratres diſſolutum aliquem, qui ne ad electionem quidem venerat; eum e taberna vocarunt, vbi cum viris mulieribusque potabat. Noluit abbas fieri; tandem acquieuit. Inſtaurantes conuiuia acceperunt ſinguli concubinas ſuas, pulchriorem abbati deſtinantes; ita per multos dies faciebant, ludentes, inebriantes ſe — videns autem abbas, quod reformare ſe nollent — — ſurrexit de menſa, cum ſua concubina; clauſit domum, in qua erant, et omnes introitus et exitus fortiſſime obfirmauit, et ſic ignem ſuppoſuit, totam domum cum omnibus concremauit,

mauit, dicens: isti fratres mei reformari non poterant, nisi per ignem. Tertia reformatio, C. 24, per flagella. In eadem regione abbas, qui habuit quosdam rebelles, nolentes reformari, de auxilio et consilio principis terrae, fratres istos magnis catenis, manicis et compedibus constringens ad postes dormitorii fecit affigi; quando in choro horae cantabantur, libros cantuales iussit eis anteponi; qui ibidem noluit cantare, tam diu scapulis denudatis magnis virgis caedebatur, donec poena vrgente, carne cuteque laceratus, cantare compelleretur. Tempore refectionis fratrum conuentualium fecit similiter; cibum et potum iussit anteponi, si manducare nollent, fecit eos acerrime vapulare, donec manducarent et biberent, quod iubebantur — dux iste *Albertus*, propter zelum bonum, quem habuit ad monasteria reformanda, non longe post creatus est rex *Bohemorum*, et *Romanorum* — Pag. 935. de muliere, in caelum ter in hebdomada, vt dixit, rapta. Mulier in dioecesi traiectensi per annos 14 ter in hebdomade, vt dixit, rapta in caelum, vidit deum, angelos, Mariam —. Eam ad me vocaui; affirmauit, haec se ita habere; dicens, deum vidi et omnes sanctos eius, et plebanus ciuitatis nostrae, *Alcmariae*, ex ore meo saepius, *quae sibi dixi, praedicauit.* — Rogaui: quomodo indutus est deus? Dixit: vos bene doctus estis, bene scitis; in caelo deus tunicam *griseam* est indutus. Tunc ego: timeo, quod non deus, sed diabolus talia vobis ostendit — ea adiecit, quod deus tria sibi dixit verba, quibus omnes sacerdotes conuincere deberet. Quae sunt ista? Resp. ante tres annos custos ecclesiae scripsit mihi in schedula; proferens de bursa sua hanc schedulam: misericordia domini me defendet; pietas eius me custodiet; veritas eius ad aeternam vitam me perducet — edixi: consulo vobis, vt diabolum istum a vobis repellatis — vespere, quando visiones istas habere soletis, et vultis ire cubitum, tunc primum dicatis in genibus ter *Aue Maria*, et statim calidam bibatis cereuisiam, vnum quartale, sicut potestis calorem eius sustinere, et statim po-

natis vos ad dormiendum. Iſta ei dixi, vt in Aue Maria haberet confidentiam; ego autem in calida cereuiſia, eine warme *jaute* vocamus; dormiuit ſine viſione in vno ſomno vsque ad mane. Vir liberalis! Similiter p. 953. Cap. 52. aliam procurauit mulierem, quae dicebatur a daemone obſideri; vt eam bibere iuberet, eine warme jauten. (Repetamus breuiter mulierum varias fraudes et impoſturas; e. c. de *Beguina* Sibylla de Marſal, in chronico Senonienſi lib. 4. C. 18. tom. 2. *Spicilegii* Dacherii, edit. nouae; quae per longum tempus raptus in caelum, angelorum miniſteria, qui lectum reficerent, et abſtinentiam a cibo terreſtri mentita fuit, cum interea ſacerdos quidam iuuenis ſub ſtramento lectuli victum occultaſſet, et ſpecies quaſi caelum redolentes, attuliſſet, plura exempla habet *Nider* in *Formicario*, lib. 3.) Cap. 34. alia puella 15 annorum multis viſionibus, ſpiritu quodam apparente dicebatur conſolari, plura reuelans de ſtatu animarum, quod quaedam eſſent in purgatorio, et quomodo per miſſas, vigilias, eleemoſynas, poſſent a poenis liberari. -- -- dicatis mihi, ſi vidiſtis animam fratris veſtri, quam magna eſt, et quomodo eſt induta? reſpondit, trium pene cubitorum altitudinis eſt, alba tunica de groſſo panno induta, parumper vltra genua protenſa, caputium paruum habens -- ſpiritus ille libenter vobiscum (cum Iohanne praepoſito) loqueretur; ſed timet, tunc deum rogabitis, vt a poenis liberetur, et ſic numquam amplius poſſet ſorori loqui. Pag. 940. duciſſae, coniugi *Henrici* brunſuic. domino (veſtro) duci dixi, quod ibit in infernum, et videtur, quod vos cum eo ire vultis. Reſpondit: plures in inferno *plattae*, quam *galeae* inueniuntur; quid tamen habetis contra dominum meum? Reſpondi, illa et illa violenter aufert monaſteriis, etiam reformatis, et eccleſiis collegiatis. -- Pag. 942. Comes de *Anhalt* venit ad me in *Magdeburg*, quando cardinalis ibi ſynodum provincialem congregauerat, dicens mihi: quid vultis demandare domino *Friderico*, Marchioni brandeburg. Reſpondi, quod daemones eum debent in ignem infernalem ſuſpen-

spendere, capite deorsum. Tunc quidam vasallus dixit: deus tamen est misericors; respondi, tam misericors non est, vt possit Marchionem Fridericum saluare. Posthaec Marchio ad curiam romanam perrexit; cui Papa *Rosam* dedit in dominica Laetare; et vlterius perrexit ad terram sanctam; tunc dixi: si pro satisfactione peccatorum suorum illuc iuit, tunc in gratiam eum recipio, vitam aeternam concedo. (Sacrum iter antea fecit etiam *Otto*, aep. treuir. et *Ludouicus*, dux electior Bauar.) Pag. 952. coniux aut filia cuiusdam militis, in iubilaeo, venit ad me *Hallis* pro confessione; animaduerti aliquid de collo eius in bursa ligatum pendere. Rogaui, quid esset? Respondit: habeo in ea litteram in pergameno scriptam; qui illam portat, non potest ferro laedi, aqua mergi, nec ab hostibus &c. -- dissoluit bursam, et tradidit mihi ad legendum. Inueni in ea, quod *Leo* papa dedit omnibus eam portantibus hanc gratiam -- Littera continebat, *Christus vincit*, *Christus regnat*, nomina apostolorum, trium regum, characteres et multas cruces -- (de simili superstitione scripsit *Io. Gerson* aduersus medicum montis pessulan.) Cap. 51. matrona quaedam in eodem iubilaei anno venit ad me, vt eam in confessione expedirem; postea dixi ei, audiui, quod hic est mulier, quae per incantationes et daemonum inuocationes, homines et animalia, praecipue equos, curare consueuit. Respondit: ego sum; dixi, hoc est grande peccatum et talis deberet comburi. Male fuit de me contenta, dicens: quod Aepiscopus Magdeburg. *Guntherus* libenter eam suscepit, et plures caballos sibi debilitatos curauit. Pag. 953. Frater quidam -- per dimidiam fere horam suam confessionem aliquando protraxit -- dixi ei: non confiteamini mihi, nisi fuerit peccatum. Quando autem postea venit ad me confiteri, et narraret aliqua non confitenda, dixi ei: estne hoc peccatum? ait, est culpa mea. Sic pluries fecit; sic ei respondi, e. c. ego cum aliis fimum de curia ponere debui ad currum, vbi illi et illi fratres praesentes erant, et habui bonam tri-

dentem. Vnus fratrum tridentem noſtram accepit et dedit mihi aliam grauem et ad laborandum minus aptam; ex hoc factus ſui impatiens. Hoc vltimum ſolum fuit peccatum, quod fuit impatiens — tali modo aliqui confeſſiones ſuas prolongant, quas breuiter expedire poſſent. In breui reduxi eum fratrem ad breuiter confitendum, ſicut caeteri, ſex vel octo puncta proferendo. Pag. 954. nunc, anno 1473. ambulaui ad diuerſa monaſteria reformanda plusquam 6520 milliaria, ad centum viginti paene ciuitates — P. 958. Synodo prouinciali magdeburg. finita, cōmiſſionem domini Cardinalis, qua decuit reuerentia, ſuſcipientes: *principes terrarum*, in quorum diſtrictu et poteſtate dicta monaſteria, per nos reformanda, fuerunt conſtituta, *primum adire* deliberauimus, *eorum conſenſum* et fidelem *aſſiſtentiam* requiſituri. —

Quantum ceterae calamitatis publicae ſuſcitatum fuerit variis turbis, quae ex minus bene compoſito ſtatu eccleſiaſtico ſaepe naſcebantur: ſatis narrant eius temporis ſcriptores. Pauca infauſti temporis indicia colligemus. A. 1403. adminiſtratorem eccleſiae *Leodienſis Iohannem* de bauaria, *Ludouici* imper. nepotem, ciues quidam pati noluerunt; oppoſitus tandem alius epiſcopus, qui cum leodienſium multis millibus 1408 in acie cruenta occiſus fuit. In *Sundenſi* vrbe, quousque vnius ob paſtoris auaritiam, atrox vindicta ciuium 1407. proceſſerit, *Kranzius* in *Wandalia* narrat, lib. X, C. XI. *Huſſitarum* illud bellum funeſtiſſimum ſubſecutum, paullo poſt *Huſſium* crematum; *Moguntia* clerus per ciues eiectus, 1434 *Bzouius;* qui et 1460, de tribus procis Epiſcopatus *cracouienſis* narrat; quod fere tempus et *moguntinas* illas turbas attulit, cum *Pius* 2 *Diethero* depoſito, *Adolphum*, Naſſouienſem, deſignaſſet; vtrumque ſua pars armis adiutum iuit. Sed ſatis iam huic cauſſae dedimus, cuius indoles praeterea magis magisque patebit ex iis, quae iam colligentur.

CAP.

CAP. III.

De Conciliis, haereſibus, et rebus aliis publicae religionis cauſſa geſtis.

VTendum erat veteri iſto nomine, *Haereſeon;* vt brevius rem diceremus, etſi plerumque parum iuſto; ſacrae inuidiae certe atque variae malignitatis continuo ad hoc vsque tempus fonte; cuius tamen copia et vis non parum ſenſim deficere videbitur. Cum enim infracta non parum iam eſſet publica Pontificis *romani* poteſtas, et ſanae rationis aliquis vſus locum facilius inueniret: minus iam terrebantur hominum animi *Haereſeos* illo obſoleto nomine; cuius tandem mediocris auctoritas apud eccleſiaſticos homines, qui beneficia quaerebant aut amabant pinguia, non inuitos reſedit; publicum vero honorem, quo olim tam multo abutebatur, tantum non omnem amiſit. Ne vero rerum multitudine frugiferam hiſtoriae tam variae et copioſae indolem corrumpamus: diuidemus iſtam copiam, quae hoc Capite multa comprehenditur; ſic, vt *primo loco* eam inſignem hiſtoriam breuiter recenſeamus, quae ad *Bohemicam* omnem illam religionis cauſſam ſpectat.

I. Bohemica religionis cauſſa.

REpetenda ſunt mediocria illa liberalis religionis primordia, quae ad *Io. Wiclefum* auctorem referuntur, cuius aut diſcipuli, aut exempli amatores per varias prouincias ſimilem, niſi eandem, ſentiendi de religionis vera indole conſuetudinem propagabant. Fuerant adeo in *Sueuia* libertatis ſacrae ſtudioſi; ſed ſub finem ſuperioris ſeculi, quaeſtione per *Bambergenſem* presbyterum habita, alii in ignem coniecti, alii flaua cruce, meriti indice, per annum notati. (*Cruſius.*) Nempe *oxonienſis* academiae fama ſolebat multos in *Angliam* allicere; qui facile *Wiclefi* libros nanciſce-

bantur, quos secum ad patrios lares auferebant. Hac ratione scimus et *Bohemum* aliquem, nobili genere, Pragam attulisse libros istos, quam in vrbem et anglus quidam, P. *Peyna*, fugiens periculum in patria, se contulit. *Wiclefi* inter scriptiones fuit et illa commentatio, de vniuersalibus *realibus;* itaque, cum antea *Nominalium* doctorum *Pragae* valuisset auctoritas, qui nationis *germanicae* nomine ob multitudinem suorum, auita academiae iura, contra statuta *parisinae* academiae simillima, ad se traxerant: videbatur iam commoda nasci occasio, opprimendae auctoritatis Germanicae. *Wenceslaus*, quia in gentis *bohemicae* honorem res peteretur, facile annuit, vt e quatuor nationibus *bohemica* tribus praeferretur, contra eam consuetudinem, quae tres vni facile opponebat. Non parum offensi exteri, aliquot mille numero *Lipsiam*, alii *Erfurtum*, secedunt. Rebus his sic gestis, quia et *Ioh. Huß*, et *Hieronymus*, non parum interfuisse dicebantur: vatinianum Germanicorum postea odium, frustra obnitentibus iam *Bohemis*, Constantiae experti fuerunt. Non certum autem videtur, (vid. *Cochlei* histor. huffit. lib. 1.) hoc tempore, *Huſſum* et *Hieronymum* ipsos fuisse adhuc inter eos, qui publice *Wiclefi* articulos 45 *Pragae*, sub Aep. *Sbincone* damnarunt, 1408, quod notum fere erat, *Londini*, *Oxonii*, *Parisiis*, et ab *Vrbano* VI. damnatos iam fuisse aliquot articulos *Wiclefi;* atque fuerunt hos inter articulos, quos *Huſſum* secundum quid damnasse, non miramur; e. g. panem post consecrationem manere panem &c. sunt autem hi articuli minus certi; eorum certe et ordo et argumentum varie proditur. Illud tamen scimus, liberalia ingenia aduersus tyrannidem ecclesiasticam, improbitatemque publicam, sententiam dixisse libere; *Huſſum* in sacra cathedra, *Hieronymum* in schola. Rem deprauatam monasticam, vitia clericorum, Papae antichristianam indolem; purgatorium ignem, preces pro defunctis &c. omnem nouam istam latinorum seu Romanorum sacrorum paraturam, satis grauiter et vehementer reprehenderunt. Sed non sumus tam impotentis animi,

vt

vt fortiter negemus, nihil humani paſſos eſſe viros bonos; nihil iuſto iratiores egiſſe, nihil ex animi quaſi quodam occulto dolore; licet nec Romanis cauſſae defenſoribus credamus, peſſimos quosque ſacerdotes, clericos aere alieno grauatos, &c. alios inuidia excoecatos fuiſſe, qui has partes lubenter ſecuti ſint. Fatemur, facile vel mediocriter liberale ingenium abhorruiſſe a vulgata rerum, quae ad religionem imperabantur, foeditate; atque eruditiores homines vix ferre potuiſſe nobiliorum potentiorumque quaſi illam coniurationem, qua pinguiores cenſus his ſolis ſeruabantur. Vetuit iam Aepiſcopus *Huſſum* ſacras conciones in vrbe habere; ſeceſſit igitur in villam, a qua nomen gerere ſolet; ſed nec ſic deerant ad plebem cantilenae, quibus parum laudabatur aepiſcopus. Hoc eodem anno, ſub *cantuarienſi* Aep. *Thoma Arundell*, concilium prouinciale habebatur: cuius iſta ſtatuta fuerunt, e quibus facile intelligitur, non parum concuſſam fuiſſe Hierarchiam romanam variis quaſi viis. 1. Vt nullus ad praedicandum admittatur, niſi a dioeceſano examinatus et approbatus. 2. Ne Clerus aut populus aliquem in eccleſiis, coemeteriis aut aliis locis, concionari permittat. 3. Vt modo auditoribus conuenienti praedicent, nec apud laicos contra vitia clericorum inuehantur. 4. Ne quis de ſacramentis aut fidei dogmatibus aliter praedicet, quam per ſ. eccleſiam conſtitutum fuerit. 5. Ne liberalium artium magiſtri de fide aut rebus theolog. tractent. 6. Ne libellus aliquis recens editus, ſeu edendus, in ſcholis aut alibi legatur, niſi ab academia *Oxon.* aut *Cantabrig.* aut a XII ſaltem doctoribus, examinetur, et ab iis atque ab Aep. approbetur, exemplari in ſcriniis academiae relicto. 7. Vt nemo deinceps aliquem textum SS. auctoritate ſua in linguam *anglicanam* vel aliam transferat, per viam libelli, aut tractatus; nec legatur aliquis huiusmodi liber, ſub maioris excommunicationis poena. 8. Ne quis — concluſiones aut propoſitiones in fide catholica ſeu bonis moribus aduerſe ſonantes — diſputando (proteſtatione praemiſſa vel non praemiſſa,) aſſerat vel proponat;

ponat; etiamsi quadam verborum aut terminorum curiositate defendi possit. 9. Vt nemo de articulis per ecclesiam terminatis disputare praesumat, nisi ad eorum explicationem; aut decretalium -- auctoritatem in dubium reuocet, siue contra determinationem eorum doceat. 10. Vt nullus presbyter extra dioecesin ordinationis suae ad celebrandum admittatur, nisi litteris -- 11. Vt academiae praepositi semel singulis mensibus de doctrina et moribus suorum scholarium inquirant -- 12. Vt huius constitutionis transgressoribus per 3 annorum spatium praecludatur aditus ad quodcunque beneficium ecclesiasticum -- 13. Vt in causa haereseos, non secus ac in quaestione *laesae maiestatis*, propter periculum dilationis, *summarie* et de *plano*, et *lite non contestata*, ad testium auditionem et *finitiuam sententiam procedatur*. -- cum quis de principali terreno iudicio disputare praesumens, sacrilegii poenae subiiciatur, multo magis, qui praecepta legum et canonum, ab *aeternae vitae et mortis clauigero*, vicem veri dei gerente in terris, rite edita, ac etiam a praedecessoribus nostris vsque ad gloriosam sanguinis effusionem et cerebri voluntariam sparsionem obseruata, violare praesumunt, eisdem contraueniunt variis doctrinis, et verbis et factis contemnunt, poena grauiori plectendi sunt. (*Natal. Alex.*)

Iam XLV Articuli in collegio nationis *Bohemicae* (nigrae Rosae) denuo damnati; vt nemo audeat eos tenere, defendere, docere, publice aut occulte, sub poena exclusionis a praedicta natione; nec libros *Wiclefi*, de Eucharistia, dialogum, trialogum, audeat legere. (*Cochlaeus*;) *Sbinco*, aepisc. libros *Wiclefi* ad se afferri iussit, et supra *ducenta volumina*, pulcherrime conscripta, bullis aureis et tegumentis pretiosis ornata, publice concremari iussit. Sed iam, ante quam pergamus in historia nouarum rerum in *Bohemia*, opus est, vt paulo accuratius recenseamus res *ecclesiasticas* in Anglia, quia ex Anglia, (quam et *Hieronymus* Pragensis ipse adierat, vt in concilio *Constantiensi* ap. *Harduin.* pag. 514. n. 8. exstat,) praecipue ad

Bo-

Bohemos hoc doctrinae liberalioris genus translatum fuit. Iam a. 1400 d. 26 Ianuarii in eccleſia S. *Pauli* Londini praelati et clerus prouinciae *Cantuarienſis* conuenerant, ad inquirendum de erroribus et haereſibus non nullorum presbyterorum, clericorum, laicorum, qui priuatas conuenticulas et congregationes faciunt; (tomo 3. concil. *Wilkins* p. 254 ſeqq.) Articuli obiecti Wilh. *Sawre*, capellano; quod noluit *crucem* ligneam; ſed Chriſtum in cruce paſſum, adorare; qui potius velit adorare hominem vere confeſſum, et, quem ſcit praedeſtinatum; ſi quis vouerit viſitare limina app. vel tumbam S. Thomae, non tenetur hoc votum implere; quilibet presbyter, diaconus, magis tenetur praedicare verbum dei, quam dicere horas canonicas; quod poſt conſecrationem remanet panis. Poſt abiurationem, pro relapſo declaratus et degradatus fuit. Pag. 260. Ioh. *Purnay*, presbyter lincoln. dioeceſ. ſuos errores abiurauit, cum ſigno et ſubſcriptione ſua. 1. Tenui, panem manere panem. 2. Quod vocalis confeſſio eſt quaedam auriculatio deſtruens euangelii libertatem, nouiter introducta per papam et clerum. 3. Quod omnis homo ſanctus praedeſtinatus, etſi laicus, eſt verus presbyter et ſacerdos, licet nullus epiſc. ei manus imponat. 4. Praelati, qui male viuunt, non habent claues caeli; nec aliquis chriſtianus plus appreciari debet eorum cenſuras, quam ſibilum ſerpentinum. Si *papa interdiceret* noſtrum regnum, non poteſt nobis nocere, ſed magis prodeſſe; quod alieniati eſſemus ab eius legibus obſeruandis. 5. Quicunque recipit officium ſacerdotis — debet euangelium populo dei libere praedicare. 6. Si quis votum emiſerit, ad ſeruandam caſtitatem, ad quam deus ei non dat gratiam, illud votum eſt irrationabile; nec praelatus eum poteſt compellere, ſed debet eum committere ſpiritui ſancto, et propriae conſcientiae. 7. Quod *Innocentius* papa et ſexcenti epiſcopi, cum aliis mille praelatis, qui in concil. generali *lugdun.* determinarunt, quod accidentia panis remanerent; et qui ſtatuerunt, quod omnes fideles deberent ſemel in anno

confiteri; et qui multas alias leges condiderunt ibidem: omnes illi fuerunt in hoc stulti et fatui, haeretici et seductores populi. Quare nec est credendum determinationibus illorum aut successorum; nisi fundentur expresse in SS. vel in ratione, cui non potest obuiari; decretales et alii libri iuris eorum, deberent comburi. Pag. 265. Aep. cantuar. commissio ad inquirendum super *Lollardia*, seu haeretica prauitate; (quaedam perpetrarunt, in praeiudicium iurisdictionis et ecclesiasticae libertatis.) Pag. 270. Eiusdem litterae ad citandos quosdam, praedicantes opiniones haereticas et erroneas, (determinationi sanctae matris ecclesiae repugnantes.) P. 278. litterae *Wigornienſis* episcopi, ad orandum pro anima defuncti; (quantum citius commode poteritis, sine mora, ne sperata salus dolenti animae differatur;) P. 282. Instrumentum super conuersione cuiusdam haeretici, capellani lincoln. dioeces. 1405. qui tenuerat, 1. quod quilibet laicus potest vbique praedicare et docere. 2. Quod est peccatum, fratribus, (mendic.) minoribus, Augustin. praedicatoribus, Carmelitis, conferre. 3. Quod oblationes non sunt faciendae pro mortuis. 4. quod peccatorum confessio sacerdoti facienda non est necessaria. 5. Quod quilibet bonus homo, est sacerdos. 6. Quod infantulus, licet sine baptismo mortuus, est in via saluandorum. 7. Quod papa non potest compellere ad iurandum per aliquam creaturam, nec ad s. euangelia. 8. Quod aequalis sunt potentiae spiritualis, episcopus, simplex sacerdos, laicus; si aeque bene viuant. 9. quod quis non tenetur facere corporalem reuerentiam alicui praelato. Pag. 302. Litterae testimoniales vniuersitatis *Oxonienſis*, quibus *Iohannis Wycliff* vita et eruditio eximie commendatur; — legendo, praedicando laudabiliter se habuit, velut fidei fortis athleta: singulos *mendicitate ſpontanea* christi religionem blasphemantes, SS. sententiis catholice expugnauit; nec fuerat hic doctor pro haeretica prauitate conuictus, aut per nostros praelatos post eius humationem traditus incendiis. Absit enim quod tantae probitatis virum pro haeretico condemnas-

demnaſſent -- in huius rei teſtimonium ſigillo noſtro -- 1406. d. 6 Octobr. P. 306. Synodus *Oxon.* 1408, praeſente rege, et clero, exceptis mendicantibus: vt omnia, quae debita erant camerae papae, in Anglia ſeruentur, quovsque fuerit *vnum* caput eccleſiae. *Conſtitutiones* aep. cantuar. contra haereticos, p. 314. (quas antea p. 55. 56. deſcripſimus breuiter, ex *Natali Alexandro.*) Pag. 322. Mandatum aep. contra tenentes concluſiones, (per XII perſonas) nuper damnatas, 1409. Nuper in vltima conuocatione *Londin.* XII. viri electi, per vniuerſitatem *oxon.* qui libros *Ioh. Wicliff* diligenter rimarent, et ſi quas concluſiones, ſapientes errores aut haereſes, inuenirent, canonice condemnarent -- ſed certae perſonae dictae vniuerſitatis, graduatae vix adhuc adoleſcentiae cunabulis exeuntes, velut clingues pueri, quorum nondum barbas caeſaries decorauit, prius legentes quam ſyllabizent, tanta ambitione tumeſcunt, quod certas dictarum concluſionum damnatarum, publice aſſerere non verentur; e quibus eſt *Richardus Flemmyng*; fugerunt ad *appellationis* friuolae tenebras -- inhibemus igitur -- -- P. 323. pro executione *conſtitutionum* iſtarum, contra 4 magiſtros artium -- P. 339. Vniuerſitatis *oxon.* litterae archiepiſcopo Cantuar. et epiſcopis prouinciae illius, cum haereſibus et erroribus *Ioh. Wicliff* miſſa, incerti anni. Doctor quidam nouellus, dictus Ioh. *Wicliff* non electus ſed infectus agricola, vitis Chriſti pulcherrimum agrum veſtrum cantuar. prouinciae tot variis ſeminauit zizaniis -- tot denique ſuae ſectae procreauit haeredes -- per 12 electiſſimos viros, doctores et magiſtros multos eius libros -- et multas concluſiones in eis -- ſtudioſe ſignauimus (ergo eſt ſub annum 1409.) Sunt articuli ſeu haereſes 267. Sunt autem huius generis. Papa eſt capitalis ſimoniacus; haereſiarcha, fundans nouos ordines praeter Chriſtum. Papa, ſi ſit in ordine aliquo, eſt in ordine daemonum, non ſeruus ſeruorum dei; antichriſtus, ſcilicet, multitudo paparum a tempore dotationis eccleſiae, cardinalium, epiſcoporum et complicum. Specialiter in Europa; papa

eſt

eſt immediatus vicarius principis huius mundi; rationi conſonat et ſcripturae, quod non exſiſtente papa, cardinali, vel perſona aliqua de *quatuor* ſectis (i. praelati caeſarei, monachi, bifurcati canonici et fratres,) eccleſia magis ſtaret in fide et virtutibus. Bullas papae fideles audaciter exponant igni; ne petant fideles curiam romanam et Auinonam, ad papales indulgentias impetrandas; talis ficta poteſtas praelatorum creuit ſimul cum haereſi de hoſtia conſecrata. Intendat fidelis rationi et fidei ſcripturae, et non credat talibus fabulis de poteſtate illorum; cum fratres alieni ſint a ſecta Chriſti, probabile eſt, quod ſua *merita* non plus valeant, quam opera paganorum. Domini temporales debent ſubtrahere a viris eccleſiaſticis ſeculare imperium; -- graue eſt et infundabile, presbyterum audire confeſſiones populi eo modo, quo *latini* vtuntur. Chriſtus in baptismo ſuo non *chrisma* huiusmodi requiſiuit. Experimento cognoſcimus, quod mortuo aut depoſito papa, cum ſuis cardinalibus et praelatis caeſareis, non minus ſed amplius proſperatur eccleſia -- mendacium haereticum de hoſtia conſecrata -- omnes iſtae ſectae haereticorum ſunt ex capitulo ignorantium; Ioh. 4, nos adoramus, quod ſcimus -- plus ſtulti ſunt quam mures, cum dicunt, quod comedunt accidens ſine ſubſtantia -- a principio *millenarii* diaboli vsque hodie regnauit haereſis de hoſtia conſecrata; ſicvt Chriſtus eſt *ſimul* deus et homo, ſic hoſtia conſecrata eſt *ſimul* corpus Chriſti et verus panis; eſt verus panis naturaliter, et corpus Chriſti *figuraliter*. (num. 122, eſt *figuratiua* locutio, ſicut, *Iohannes eſt Elias*.) Oportet catholicum concedere in ſcripturis praedicationes *habitudinales*, praetermiſſa praedicatione *materiali* et *formali*; ſicut: 7 boues 7 anni *ſunt*; petra *erat* Chriſtus; ſic dicit catholicus, quod panis ſacramentalis *eſt* corpus domini. (74 articuli ſunt abſtracti e libro, de *ſermone domini* in monte, qui continet libros 4 particulares, quorum tertius eſt, de antichriſto, i. e. de papa.) Sequuntur a 75–98, articuli, ex libro, de *ſimonia*; 99-107 e libro, de

per-

perfectione ſtatuum; 108-120, de *ordine chriſtiano;* 121-140, e *Trialogo*, qui continet 4 libros particulares; 141-155, e dialogo; 156-175 e tractatu tertio, de *arte ſophiſtica;* 176-219, e libro de *dominio ciuili;* 220-224, de *diabolo* et *membris* eius, i. e. de papa et fratribus; 225-238, de *dotatione Caeſarea;* 239-249 e reſponſorio ad argumenta monachi de *Salley;* 250-258, e libro, ad argumenta *Strodae;* 259-263, de *confeſſione;* 264-267, e libro, de *verſutiis pſeudocleri.* Inſunt autem iſta: domini temporales poſſunt licite auferre temporalia ab eccleſia delinquente. — leges multae papales ſunt haereticae, vt patet de lege *Bonifac.* 8. *Si duobus.* Statuta et ritus adiecti ſecundum *traditiones humanas*, omnes inſeparabiliter ſapiunt peccatum. Subtrahat populus decimas, oblationes, ab indignis antichriſti diſcipulis — Deficientibus praelatis, vt cifris, Chriſtus ordinat quemcunque, quomodocunque et quandocunque voluerit; qui ſequitur Chriſtum in moribus, ſecure poteſt confidere, quod ſit a Chriſto ordinatus. Papa, epiſcopi, et omnes religioſi debent renuntiare poſſeſſis, in manus brachii ſecularis; ſi noluerint, poſſunt cogi. Si caerimoniae veteres debuerunt ceſſare in lege gratiae: quanto magis tales traditiones hominum. Ad quid oportet ponere alios tres gradus, clericum primae tonſurae, acolytum, ſubdiaconum, cum non pateat, quod iſti gradus ſint diſtincti. Sicut non ſequitur, Chriſtus Petrum vocauit Sathanam, ergo cunctis fuit abiectior: ita non ſequitur, Chriſtus Petro dixit, tibi dabo claues, ergo Petrus debuit poſt aſcenſionem eſſe caput eccleſiae. Qui definiunt, paruulos ſine baptismo mortuos, non fore ſaluandos, ſunt in hoc ſtolidi et praeſumtuoſi. Illa *confirmatio*, (per *oleum*) introducta ſuper apoſtolos, blaſphemat in deum. Cauſſae *diuortii* affinitatis vel conſanguinitatis, ſunt humanitus ordinatae. Duodecim ſunt diſcipuli antichriſti; papa, cardinales, patriarchae, aepp. epp. archidiaconi, officiales, diaconi, monachi, bifurcati canonici, pſeudofratres, quaeſtores. Si fiat obiectio de dotatione

tatione ecclesiae, de Benedicto, Gregorio, Bernardo: dicitur, quod finaliter poenituerunt. — Christus non ordinauit istas vniuersitates; graduationes in illis sunt vana gentilitas — Paulus propter meliorem sectam Christi, pharisaicam reliquit; sic *claustrales*, quocumque sunt iuramento stulto adstricti, debent libere exire ista vincula. *Excommunicatio*, suspensio, et omnes tales censurae, sunt ab antichristo callide machinatae. — Quaelibet essentia est communis tribus suppositis, et omnibus illis communiter insunt proprietates, accidentia, operationes. Deus nihil potest adnihilare, nec mundum maiorare aut minorare. Impossibile est, multa puncta vel substantias punctales esse simul in eodem situ indiuisibili. Omnis pars mundi corporea continuatur cum alia, cum mundus sit maxima creatura possibilis. In *Eucharistia* manet, vinum, (vnum) corpus subiectans accidentia panis, quod voco corpus mathematicum et abstractum — est sensibile accidens, sed est substantia, quae per se illis accidentalibus, quae videmus, est subiecta. (n. 239. hostia consecrata est naturaliter verus panis; et sacramentaliter corpus Christi; 240: cum via, ponens panem manere, sit plus consona scripturae, rationi, et sensui; quam via fingens, accidens manere sine subiecto. 259: Corpus Christi non adest substantialiter, attendendo ad corpus Christi *secundum naturam* suam; sed est ibi substantialiter, corporaliter et dimensionaliter: attendendo ad modum hostiae, secundum naturam suam.) In adulterio, haeresi et quolibet tali crimine, possunt *iudices seculares* cognoscere. — Adueniente depopulatione patriae etiam per barbaros, via securior foret, iniurias pati humiliter, quam resistere et debellare viriliter. — Sciamus orationem dominicam, decalogum et symbolum, cum mediis facilitantibus ad eorum notitiam; alia quaecunque est superflua. — Non sequitur, quaelibet creatura est deus, ergo deus est aliqua creatura. Quidlibet est deus. — Sicut deus necessitat futurationem partium, sic necessitat ad omnes euentus, qui in illis partibus sunt futuri. Nullus *praedestina-*

tus

tus poteſt peccare mortaliter (vt inferatur mors ſecunda.) Vt fidem aſſero, quod omnia, quae euenient, de neceſſitate euenient. 254, vtile foret eccleſiae, vt ceſſarent *miſſarum* ſollennia et orationes cum horis canonicis; licet enim tres adinuentiones humanae illae, per accidens profint eccleſiae, non tamen tantum, quantum diaboli — Epiſtola aepiſc. *Cantuar.* ad *Iohannem* XXIII, ſuper peſtifera doctrina *Wycliffi*, 1412. A. 1413. conuocatio cleri, contra *Ioh. Oldcaſtel;* militem; libri quidam combuſti; quaeſtio habita contra *Oldcaſtell*, p. 354, (praeſertim de euchariſtia et *confeſſione*) p. 358 ſtatutum regium contra *Lollardos* a. 1413, qui dicuntur Regi etiam rebelles eſſe. Acta contra *Ioh. Claydon*, pelliparium Londin. 1415. p. 371 ſeq. habuit libros ſcriptos in *anglicis; the lanterne of light*, (ſuper decalogum, in vulgari *anglico;*) hic liber ſaepe praelectus fuit familiae illius et aliis. In eo habebatur: antichriſtus, papa, ſuperſeminauit legi Chriſti iura papalia putrida &c. Eccleſia eſt congregatio fidelium animarum, quae ſeruant finaliter fidem et charitatem; 15 articuli.

Ex iſtis, quae breuiter recenſuimus, non ſolum intelligi alia iam poſſunt melius, (e. c. p. 413. *Harduini*, *Huſſium* falſam litteram ſub ſigillo *oxonienſis* ſtudii publicaſſe; vt pag. 511, idem vitium tribuitur *Hieronymo;* quae epiſtola omnino vera fuit, hic vid. p. 58.) ſed etiam partim illa non exigua horum *articulorum*, qui *Wicleſi* nomine damnati fuerunt, varietas, partim eximia ſimilitudo diſciplinae *Lutheri*, facilius percipi poteſt. Quod attinet ad articulos 45, quos *Raynaldus* minus integre exhibet: ſatis longa, ſatis etiam inepta refutatio, exſtat tomo III. *Hardtii* parte XIII. pag. 214—335. Pauca iſta ad hiſtoriae locum addimus. Vniuerſitas *Pragenſis* ante iſtud diſſidium anni 1408, ſumma laude floruit; inde facile perſpicitur, *oxonienſes* tantam academiae famam non contemſiſſe, vt erant iſto tempore non rara itinera ſtudiorum cauſſa. *Wiclefus* iam ad *Huſſum*, cum reginae *Sophiae*, quae a doctrinae ſumma non plane abhorrebat, a ſacris eſſet, et ad alios plu-

plures *Bohemos* epistolam scripsisse dicitur, in *bohemicam* linguam translatam, qua eos ad constantiam animi probi hortatus sit. (*Lasitius* lib. 1. MS.) A. 1404. angli duo, baccalaurei theologiae, *Pragensem* in academiam recepti fuerunt, qui contra Papae primatum et disputare ausi sunt, et *picturis* in parietibus Antichristum populo describere. *Bohemorum* animum non nihil iam aegrum fuisse credimus, quod *Wenceslao* papae artibus imperatoris dignitas ademta fuerat, quod tyrannicae potestatis instar sanis omnibus placere non poterat; eo lubentius *Wiclefiana* disciplina suscepta fuerit. Auxit indignatio, cum Ioh. XXIII. in *Ladislaum* neap. anathema ederet, et omnibus iis peccatorum remissionem promitteret, qui laboranti ecclesiae succurrerent; cuius generis promissores monachi etiam *Pragam* sollicitabant. Haec luculenta doctrina, de infausta Paparum tyrannide et clericorum luxu, facillime plurimis etiam nobilibus persuasa, cum *bohemice* et audirent et legerent liberaliorem de ingenua mentis religione institutionem; quod seculares domini deberent clericis auferre temporalia, (talia praedicauit coram *familia regis Bohemiae*, p. 418. *Harduin.*) dixit *Hussius* saepe: veniant omnes magistri de *Parisiis*, volo cum illis disputare, qui libros nostros cremauerunt. — ecce *appellaui* contra mandata Aepiscopi; vultis mihi adhaerere? Totus populus clamauit *bohemice*, volumus. Papa nuper defunctus, nescio an sit in caelo vel inferno, scribit in *cutibus suis asininis*, quod aep. cremare deberet libros *Wicleffi*; in quibus multa bona continentur.

Constantiae non defuerunt, qui intelligerent, *Hussum* de *transsubstantiatione* ipsis consentire, *Hardt.* tom. 4. p. 309. sed Cardinalis *Florentinus* dixit: nobis non licet secundum tuam conscientiam iudicare, sed secundum testes contra te. P. 310. non ausus est *Huss* accedere condemnationi articulorum *Wiclefi*, indistincte; (et prius quam rationes SS. allatae essent.) aliquos enim veros esse; sacerdotem in peccato mortali, *indigne* baptizare et consecrare; cum latius declarare vellet de *decimis*, ei non est concessum.

Bullae

Bullae *Alexandri* V. beneficio Aep. Pragenſis putauit ſe facile conſequi, vt *rex Bohemiae* et proceres *conſentirent* in condemnationem librorum Wiclefi; ſed fefellit eum opinio. Impediuit *rex* combuſtionem; aep. autem — clam conuocatis ſuis, curia indigne clauſa et armatis militibus munita, libros igne conſumſit. Huic iniuriae interdictum addidit; itaque prouocaui ad pontificem Alex. 5. et eo mortuo ad *Iohannem* 23; vbi cum per *biennium* per meos aduocatos non eſſem admiſſus ad defenſionem: ad Chriſtum prouocaui. Hic quaerebant, an liceat ad Chriſtum prouocare? Affirmauit Huſs; ſed a concilio toto eſt deriſus. Ante annos XII philoſophica quaedam ſcripta *Wiclefi* vidi, priusquam theologici eius libri in *Bohemia* eſſent; dixi, ſpero *Wiclefum* ſaluum eſſe, in ſpe vellem animam meam ibidem eſſe; hic iterum ab omnibus riſu et ludibriis exceptus eſt. Pag. 312. diſſenſio in *Bohemia* inde orta fuit; *Gregorius* contra *Wenceslaum Rupertum* ornauit titulo imperatorio; paucis annis accidit, vt collegium cardinalium ad Regem *Bohemiae* mitteret, vt obedientiam recuſaret erga *Gregorium;* ita futurum, vt per nouum pontificem dignitatem *imperatoriam* recuperaret. Rex conceſſit in hanc ſententiam; in hac cauſſa cum Aep. *Sbinco* cum *clericis* Regi *aduerſaretur*, et a rebus diuinis abſtinentes multi ex vrbe conceſſiſſent; etiam ipſe Aepiſcopus, direpto prius ſepulcro Diui *Wenceslai*, et libris Wicleffi contra voluntatem Regis combuſtis: facile *paſſus eſt rex*, vt bona quaedam eorum, qui ſponte fugerant, diriperentur. Nec *Huſsi* culpa accidiſſe, vt natio *germanica* ex ſchola pragenſi diſcederet; — tot eſſe in *Bohemia* proceres, qui ipſum defendere potuiſſent, niſi ſponte veniſſet; *Ioh.* de *Chlum* confirmauit hoc aduerſus *cameracenſem:* ego, inquit, ſi cum aliis me conferam, exiguas vires et facultates habeo; tamen poſſem eum per vnius anni ſpatium, ſi vellem, facile contra omnem vim etiam regis *Bohemiae* et imperatoris defendere; quando magis alii — *Huſso* crimen *pertinaciae* obiectum, quod nollet concilio ſe ſubiicere.

Pag. 314. articuli 26 ex *Huſsi* libro de *Eccleſia;* eccleſia eſt vniuerſitas praedeſtinatorum; Paulus numquam fuit membrum diaboli; vt *Auguſtinus*: expedit *praedeſtinatos* in talia peccata incidere; aliud eſt *eſſe in* eccleſia; aliud eſſe *membrum* vel partem eccleſiae, per *praedeſtinationem.* In eccleſia ſeu area, ſunt et praedeſtinati, et *praeſciti;* illi vt triticum, hi, vt palea, Auguſt. Chriſtus eſt caput et fundamentum eccleſiae, non Petrus. Si viuit vicarius Petri moribus contrariis, in auaritia: eſt vicarius Iudae *Iſcharioth*, qui vendidit Chriſtum; (hic praefecti concilii alius in alium reſpexit et motis capitibus ſubriſerunt.) Papae inſtitutio a Caeſaris poteſtate emanauit, per 96. diſtinct. — iſto non obſtante, dignitas papalis habet ortum immediate a Chriſto, quantum ad officium ſpiritualiter regendi eccleſiam. *Cameracenſis* oppoſuit *nicaenum* concilium; cur non dicis *a Concilio potius* quam a Caeſare dignitatem romani pontificis ortam eſſe? *Huſs:* dico ratione donationis. — Eccleſia decepta fuit *in Agnete* (de hac *Iohanna* papiſſa etiam p. 323. 324.) — — Verba mea mutilata ſunt et corrupta. De *cardinalibus* niſi vixerint more Apoſtolorum — *Cameracenſis:* quid hoc neceſſe fuit aut vtile ad populum praedicare contra cardinales? — Cum legeretur clauſula, contra eos, qui aliquem non conuictum haereticum tradunt brachio ſeculari, eos ſimiles eſſe Phariſaeis, qui dicebant: nobis non licet interficere: tunc magno tumultu orto in coetu cardd. et epp. interrogarunt, qui eſſent ſimiles Phariſaeis? — — cum repeteret ſuam ſententiam de prouocatione ad Chriſtum, palam eſt *deriſus.* Pag. 320. articuli VII ex libro *Huſſi*, contra *Stephanum Palez.* Si papa — eſt in peccato mortali, non eſt papa; — nec, qui eſt in mortali peccato, eſt digne *rex* coram deo; hic, aduocato imperatore, qui de feneſtra proſpiciebat, iuſſus eſt repetere; fecit, additque, nemo ſine crimine viuit. *Cameracenſis* iratus; non ne ſatis erat, quod ſtatum eccleſiaſticum conatus es deturbare — nunc etiam reges de ſtatu ſuo conaris deiicere? — *Palez*

lex reſpondit: videte, quanta ineſt in eo ſtultitia; nam etiamſi aliquis non ſit vere Chriſtianus, an propterea non ſit verus Papa, Epiſcopus, Rex? (Hic omnino non nihil imprudentius locutus eſt *Huſſius*; etiam quod formulam papa *ſanctiſſimus*, ſugillauit, quia Chriſtus non dicatur ſanctiſſimus.) Pag. 323. Articuli VI. ex libro *Huſſi*, contra *Stanislaum* de *Snoima*, profeſſorem theologiae pragenſ. Tria iubebatur iam facere, p. 326. confiteri ſuppliciter, quod in iſtis articulis erraſſet; promittere ſacramento, nihil eorum amplius ſentire aut docere ſe velle; tandem publice omnes articulos recantare. Pag. 328, praeiuit imperator, *Huſſo* abducto, ſententiam ignis, et articulos damnatos in *Boheniam* et *Poloniam* mittendos; Reuocationis formula, ſat lenis, p. 329; reſpondit homo integerrimae mentis: non audeo — tum, quia oporteat me veritates multas condemnare, quas, vt ex ipſis audiui, vocant ſcandaloſas; tum quia oporteret me in periurium incidere, ex quibus valde ſcandalizarem populum dei, qui a me audiuit contrarium — expedit mihi magis, mori, quam fugiendo poenam momentaneam, incidere in manus domini, — ſciens, quod Chriſtus non iuxta falſa teſtimonia, nec *iuxta erronea concilia*, ſed iuxta veritatem et merita vnumquemque iudicabit. — P. 438. ſententia contra *Huſſum:* — cognouit eum pertinacem, incorrigibilem, et talem, quod non cupiebat ad gremium ſ. matris eccleſiae redire, neque haereſes et errores velle abiurare; iccirco ſancta ſynodus eum ab ordine ſacerdotali et aliis ordinibus degradandum declarat —. In carcere non defuit *Huſſo*, opportunitas litterarum et ſcribendarum et accipiendarum e *Bohemia;* etiam libellos aliquos ſcripſit; cuſtodes enim carceris muneribus amicorum ſubarrati portabant — ſub *ferculis* aliquibus, *Byzynii* diarium p. 128. Speciminis loco iſta ſufficiant, e quibus concilii ingenium et iudicium, de haereſi, ſatis licet perſpicere; breuius iam de *Iacobo*, ſeu *Iacobello*, de *Miſa*, et *Hieronymo*, pragenſi, agemus.

Sub idem tempus, cum *Huſſus* e *Bohemia Conſtantiam* ſecederet, *Iacobus* de *Miſa*, (Bohemiae oppidum eſt,) ſeu de *Strziebro*, feliciter auſus eſt *calicem* etiam in ſacra coena reſtituere; vt ſolet veritatis inueniendae ſtudium, fructibus nouis numquam carere. *Byzynius* certe ſic ſcripſit: a. 1414 — communio Euchariſtiae ſub *vtraque ſpecie* populo communi fideli miniſtranda, per vener. et egregium virum Mag. Iacobellum de *Miza*, theolog. baccalaureum formatum, (paſtorem S. Michael.) et *alios* ſibi tunc *in hac materia aſſiſtentes ſacerdotes*, inchoata eſt in vrbe inclyta *pragenſi*. Primum quidem in eccleſia S. *Adelberti*, in noua ciuitate, (cuius cancellarius ſub *Wenceslao* fuit *Byzynius*) S. *Martini* in Muro; et S. *Michaelis*, ac capella *Bethlehem*, in antiqua ciuitate. Quo pluribus minarum et incarcerationum terroribus — impugnabatur: tanto amplius inualeſcebat; ad tantum quod infra duos annos, non ſolum in 2. 3 eccleſiis presbyteri, Magiſtro *Iohanni Huſs*, (addendum eſt, *fauentes*,) Wicleſiſtae nuncupati a parte aduerſa, (quam *machometicam* illi dicebant;) libertatem praedicandi et populum ſic communicandi habebant, ſed fere omnibus parochialibus in Praga eccleſiis imo et monaſteriis certis — occupatis, populum magnum ad ſe traxerunt; ita, quod non ſolum in Praga ſed etiam in Bohemiae et *Moraviae* ciuitatibus, caſtris, oppidis et villis *populus communis* cateruatim cum magna deuotione ad *vtriusque* ſpeciei communionem frequentabat. — Iam demum narrat *concilii* initium *eodem* anno 1414 die *omnium ſanctorum*; vt fere certum ſit, hanc rem poſt *Huſſi* diſceſſum erupiſſe; *Huſſus* certe, poſtquam de hac re audiuit, ipſe lubenter approbauit, atque ex carcere ſuo inter alia ſcripſit tractatulum de communicatione *vtriusque ſpeciei*; quo Pragam apportato, ſacerdotes, ipſi Magiſtro *Huſs* fauentes, animati ſtrenue; — Hinc patet, ad *Huſſum* auctorem aut conſcium referri nouam hanc libertatem nullo modo poſſe; licet ab iis reperta ſit, qui *Huſſo* iam fauebant, et odio in miſſaticos improbos ſacerdotes eum forte adhuc vincerent.

cerent. Iſta *Byzynius* narrat; qui et addit, de hac re conficta improbe mendacia, vt atrocitas rei augeretur, ad concilium perſcripta fuiſſe; vnde illa difficillima lis et acerrima diſputatio, de communione *ſub vtraque*. Certum autem eſt *Iacobum* etiam in cathedra academica calicem non minus quam e ſuggeſtu ſacro ad populum, vindicatum iuiſſe; ante eum *Petrum* aliquem *Draſenſem*, (dresdenſem), qui cum aliis *teutonibus* paulo ante Bohemiam reliquerat, et ob *Waldenſium* lepram Pragam redire maluerit, occaſionem *Iacobo* ſuffeciſſe ſcribit *Aeneas Sylvius*, (hiſtor. bohemica.) commemorauit et *Rockizana*, (in concilio *baſileenſi*) ante hunc *Iacobum*, annis circiter 25 ante, Mag. *Matthaeum*, pariſienſem magiſtrum, paſtorem pragenſem, populo calicem tentaſſe reſtituere; ſed vi eccleſiaſtica oppreſſum; nec eſt parum veroſimile, huius viri quasdam ſcriptiones iam in aliquorum manus incidiſſe, aut in memoriam rei per vim olim geſtae aliquos iam rediiſſe. *Iacobum* tamen omnes auctorem *publicae* communionis faciunt; qui, *Theobaldo* teſte, 1429 mortuus eſt. Exſtant in *Hardtii* corpore tomo 3. parte XIV ſeqq. multa, quae ad hanc cauſſam pertinent. P. 329. habetur *anonymi* catholici longa epiſtola elenchtica ad *Iacobum*, *Conſtantiae* ſcripta; eſt hominis imperiti, et ſedulo catholici, qui exprobrat: quod in rituum ſacrorum obſeruatione obedientiam Praelatis non praeſtiterit; *ſine miſſione* auſus ſuit *eccleſias multas* viſitare; quod abſtrahat, plebanis et ſacerdotibus, *decimas*; interdictum violet, vnde quadruplex peccatum oriatur; clerum velit reducere ad ſtatum primitiuae eccleſiae; ſi Chriſtus voluiſſet, laicos percipere *vtramque*, aduocaſſet matrem ſuam et alios; (*Thomas* in compend. theol. verit.) de figuris V. T. pro *vna* ſpecie; Melchiſedech, ſacerdos, *obtulit* panem et vinum; Aaron et Leuitae tantum vtuntur libaminibus; *deuteron.* 12, ſanguinem fundes in altari. *Ionathan* praefigurat ſacerdotem, et fauus mellis ſignific. ſanguinem Chriſti. Filii Iſrael comedunt azymum, et non biberunt vinum; manna in deſerto, ſed non vinum. Chriſtus

ſtus Ioh. 6. ad turbas tantum de pane, non de vino loquitur. Si opponis, dici: et qui non bibit eius ſanguinem &c. reſp. Si haec manducatio *ſacramentalis* eſſet de neceſſitate ſalutis, omnes homines vsque ad paſſionem Chriſti fuiſſent damnati. Paulus ſub finem 1 Cor. ſcripſit: cum conuenietis *ad manducandum*; populus laicalis debet ſub *vna* ſpecie communicare. Sub *vtraque* communicare laicales, non eſt Chriſti praeceptum; ideo Paulus ſolus Corinthiis ſcripſit, qui ſic fuerunt inducti per malos Pſeudoprophetas. Reſpondetur ad auctoritatem *Gregorii*, in dialogis: eius caro et ſanguis non in manus infidelium, ſed in ora fidelium *funditur*; ſcil. per manus tantum ſacerdotum; concomitatiue. Ad *Thomae*, 3 parte diſt. quaeſt. 16: quamuis totus Chriſtus ſit ſub vtroque, conueniens eſt vſui, vt *ſeorſim* exhibeatur; male intelligunt. Vſui, i.e. vſus eſt, vt hoc ſacram; ſeorſim exhibeatur et offeratur *in altari* pro fidelibus; ſed non, dando laicis ſub vtraque. Ad *Gelaſium*, (diuiſio vnius ab altero ſine ſacrilegio non poteſt prouenire), gloſſa reſpondet: de ſacrificante intellgit; ſacerdos non debet omittere vinum. Ad *Cyprianum* epiſt. 24. ad *Caecil.* quidam in calice ſacrificando, plebi miniſtrando hoc non faciunt, quod Ieſus fecit et docuit; reſp. locutus fuit ſecundum conſuetudinem primae eccleſiae, et credidit eſſe bonam; ideo in *hoc puncto* et in *multis aliis* eccleſia *non tenet* eum. Pag. 368. fuit magnum peccatum, ſanguinem Chriſti, mortalem, fundere violenter; nunc autem per maximum fundere ſanguinem immortalem; ſi talis poena debetur ſacerdotibus, (vt per *Pium* papam, de conſecratione, capitulo, ſi per negligentiam) multo maior poena laicis, qui ſi madidant barbam aut veſtem ſanguine Chriſti, debent cum tota veſte et barba cremari et in profundum inferni reponi — — ſub vtraque communicantes laicos excommunicantur per *Lucium* papam; — portare ſanguinem Chriſti, eſſet periculoſum; ſi ſeruatur, facile vinum mutatur in acetum; multi non poſſunt odorare; tempore peſtis, vaſa magna oporteret praeparare; in bello, ſi

mul-

multa millia vellent, vbi tam magnus calix ſumeretur? quis poſſet eleuare? -- peccatum eſt, fieri pro multa, quod aeque bene poteſt per pauca. — Chriſtus inſtituit ſub duplici ſpecie ad offerendum pro omnibus fidelibus, viuis et mortuis, non propter laicalem communionem. Cap. X. Communio ſub vtraque pugnat cum rom. eccleſiae conſtitutione et conſuetudine. Cap. XI. praedicas, quod quilibet quando vult, cui vult, vbi vult, poteſt confiteri et communicare; ſi ſuus plebanus eſt forte auarus, luxurioſus &c. Cap. XII. abſoluis in omnibus peccatis, omnes qui ad te veniunt, cum tamen ſint peccata, quae tantum papa abſoluit, e. c. qui incendit eccleſiam; qui falſificat Papae litteras, qui clericum percutit; quod tu cenſes modicum, cum ſit grauiſſimum — alia peccata ſpectant ad abſolutionem vicariorum in ſpiritualibus, inceſtus, defloratio, homicidium; fornicatio cum moniali &c. — dei *ſeruitus publica*, clamoroſa, per clerum in eccleſiis, ſaepe arreſtatur per Praelatos, propter excommunicatos, Cap. XV. de nouo ritu *cantandi* publice in eccleſia, plebi per Iacobum indulto. Exhortatio ad *Iacobum*; non ſit tibi confidentia in *mundi principibus* nec in multis ſimplicibus — omnia iſta tibi ſcribo ex *inſpiratione dei*; pag. 392. Andreae *Brodae*, D. P. Theol. pragenſis, diſputatio academ. contra Iacobum, Pragae 1415 ſcripta; pleraque argumenta ſunt eadem. P. 416. Vindiciae, ſeu tractatus Iacobi contra *Brodam*, anno eodem. — Ioh. 6, quomodo intelligendum ſit, Chriſtus poſtea ex facto expoſuit, per inſtitutionem ſ. coenae; non de ſpirituali tantum, ſed etiam de ſacramentali bibitione intelligitur — — ad ſpiritualem ſolam ſumtionem, homines plerique non ſunt apti, ideo illis talis modus maxime congruit; — etiam Chriſti diſcipuli erant adhuc fragiles; quod *Maria* non affuit, non mirum eſt; quia non fuit ita fragilis vt diſcipuli — ſenſibilis, corporalis ac ſacramentalis manducatio et bibitio non prodeſſet, niſi adeſſet ſimul ſpiritualis — Apoſtoli habuerunt ſe, cum inſtitueretur ſ. coena, vt grex ſub paſtore, igitur paſcebantur, non vero erant

paſtores aut ſacerdotes; igitur geſſerunt vicem plebis, in ſuſcipiendo ſub vtraque; ſi non, tamen nec geſſerunt vicem populi ſub *vna*. — non valet: quia expreſſe non dicitur, Mariam et alios interfuiſſe ſacrae coenae, ergo omnino non affuit. — Actor 2, in fractione panis — concludit ab inferiori negatiue ad ſuum ſuperius, quia ibi non exſtat de vtraque, ergo non eſt fundata; porro, ſicut Luc. 7. Phariſaeus Chriſtum rogabat, vt manducaret cum illo, (et tamen etiam bibit) ſic et hic panis non ſine vino. — p. 491, *romana eccleſia*, (congregationem papae, cardinal. epiſcoporum, praelatorum, ſic vocando) poteſt errare in facto et verbo — fides inuariabilis, veritas euangelica, eſt durabilis vsque ad conſummationem ſeculi; licet conſuetudines et traditiones, quae ignorantibus apparent eſſe fides, continue varientur. *Nouitatem* etiam Iudaei poterant obiicere. — In *Canone miſſali* eſt: — tunc porrigendo *calicem plebeiis*, dicit, ——— profit tibi in remiſſionem peccatorum. — praedico, vt fideles ſanctos venerentur, non ſolum in perſonis, ſed in *vita et moribus* — — conſulo populo, ne in legendis paſſionalium nimis occupent ſe, negligant meliora, certiora et ſaluti viciniori — multa ſunt in paſſionalibus contra legem dei et contra fidei veritatem ſubdole introducta. *Broda* ideo *Donati* calicem fractum fuiſſe dei permiſſu, dixit, ne populus amplius biberet in coena; ſed an tunc deus per miraculum fruſta calicis reſtituiſſet, ſicut narrat *Gregorius?* — ſatis fortiter reſpondit ad L capita primae partis; pars 2, de iure mutandi antiquos eccleſiae ritus per capita 30, ſimiliter ingenue et liberaliter agit aduerſus *Brodam*; c. 22, e qua reuelatione Iacobus doctrinam de vtraque hauſerit; probare debet per ſigna. Reſp. *generaliter reuelatio* vocatur, modus cognoſcendi, veniens ex ſcrutinio SS. et ſolidis expoſitionibus. Cap. 26, nemo grauiter ferat, ſi in iſta materia abiicio *modernos* ſcholaſticos *Thomam, Bonauenturam, Lyram*; praeſertim in illis, in quibus et in quantum legi dei contradicunt. Pag. 586. theologorum *conſtantienſium* concluſiones

ſiones contra *Iacobum*, 1415 menſe *Iunio*, poſt varios congreſſus priuatos proditae. Pag. 591. *Iacobi* Apologia pro communione plebis ſub vtraque contra concluſiones doctorum in *conſtant.* concilio; et contra *decretum* d. 15 Iun. 1415 publicatum. — Si Chriſto et Apoſtolis peruerſi non credunt, quomodo credent *homini* (aliter diſponenti.) Si omnes angeli euangelizarent — tamen plus eſt Chriſtus, cui prae omnibus adhibenda fides. Ex hoc dicto doctoris, (*Simon* de *Caſſia*) ſcire debent *omnes doctores* conſtantienſis concilii, imo et totius mundi, Chriſtum *primam* et firmiorem *habere vocem* — nec putent poſſe immutare leges et tempora, quod eſt Antichriſti proprium, *Daniel* 7. Obiectio: *poſt coenam* Chriſtus, nos vero non; ergo et hoc aliter, reſpond. ſi Chriſtus dixiſſet, *poſt cibos ſumtos* hoc facite, tum nemo mutaſſet. *Auguſtinus:* nullo modo quod *dominus* iubet, *ſeruus* prohibet. Pag. 599. ecce, audiuimus *ipſis teſtibus:* Chriſti eſſe eam inſtitutionem; contra hanc petram Chriſtum, non tantum doctores *conſtantienſis* concilii, ſed nec portae inferi praeualebunt; *de tempore* autem, ante aut poſt cibos, Chriſtus nihil inſtituit. —— Quod allegant de periculis: ſequetur, vt deinceps ad ſacerdotem nullus promoueatur; nam Auguſtinus ad Valerium: nihil periculoſius, difficilius, quam epiſcopi, presbyteri, diaconi officium. — et dicat *Wilhelmus* de monte *Lauduno:* (in ſacramentali; eius aliorumque auctoritate etiam vſus eſt *Caſſander* de communione ſub *vtraque*;) quod *adhuc in multis locis* communicantur cum pane et vino. — *Alexandri* Halenſis hiſtoriam (religioſis aliquibus petentibus *vtramque*, cum ſacerdos frangeret, concauum patenae viſum repleri ſanguine, et ſic acquieuerunt) vel fabulam non curamus. Semper vtuntur *factis*, exemplis, ſequuntur modernas corruptelas, cum *legibus* iudicandum ſit; recurrimus non ad poſitum (nouum ius), in quo ſaepe eſt pro ratione voluntas, ſed et ad ius diuinum. — Sicut *Albertus*, ratisbon. quondam epiſcopus: putrimentum poſcit poſt cibum potum — Alibi etiam *Tho-*

mas est in hac re doctor euangelicus, non consuetudinum. —— Contra consuetudinem ab ecclesia introductam: *Gregorius* dicit, dominus non dixit, ego sum consuetudo, sed veritas. *Cyprianus:* quaelibet consuetudo, quantumuis vetusta et vulgata, veritati omnino est postponenda. *Augustinus:* qui *contemta veritate* praesumit consuetudinem sequi, aut circa fratres malignus est et inuidus, aut circa deum ingratus — Sicut ecclesia est *rationabilium*, non introducit nec approbat nisi consuetudines *rationabiles*, quae sunt (tantum) in his rebus, *in quibus diuina scriptura nil certi statuit*; quomodo ergo legi Christi audent opponere consuetudinem! Pag. 614, capitur ecclesia a modernis in alia significatione, cum dicunt, ecclesiae *consuetudines*. Pulcherrime in *speculo aureo*, quod alias dicitur *Petrus, Paulus* — — vnde tota ecclesia Christi sumsit exordium, inde patitur iam ruinam —— nec aliquis sanae mentis diceret, Christi amatorem et suae legis ministrum sequi debere huiusmodi consuetudines siue facta. — *Bartholomaeus* brixiensis p. 615: de qua ecclesia intelligis, quod non possit errare? Si de Papa, certum est, quod potest errare. Resp. ipsa congregatio fidelium ecclesia dicitur, haec non potest errare. Sic porro liberaliter atque ingenue refutauit *Iacobus* decretum hoc concilii, et cap. XI, contra illud, sic incipit: nescitis, cuius spiritus estis? Filius hominis non venit *perdere*, sed saluare; sic autem *Mahomet* facit, (*Byzynius* dicit, partem *Hussо* contrariam, *Mohammedistas* dictam fuisse;) non Christus. Ex eorum fructibus cognoscetis eos, qui dant brachium seculare contra practicantes euangelicam veritatem. Pag. 658, anonymi theologi tractatus 1415 contra *Iacobum* — si opus esset homini sub *vtraque* communicare, vtique *tales magni viri* in ecclesia, ante multa centena annorum spatia hoc vidissent et reduxissent; pag. 663, cap. 3. longa descriptio *Wiclefistarum* et *Bohemorum*, ex *Reinheri*, ordin. praedic. libro, de erroribus haereticorum. Haeretici cognoscuntur *ex moribus et per vitam;* sunt enim in omnibus compositi et modesti, sine

super-

ſuperbia in veſtibus; negotiationes non habent, propter fraudes et mendacia; viuunt de labore ſuo. *Maiores* diſcipuli ſunt ſutores, ſartores, textores, qui vlterius alios per angulos docent. Contenti ſunt neceſſariis; frequenter caſti ſunt et temperati; non viſitant tabernas nec alias vanitates. — Ingerunt ſe nobilium et potentium familiaritati, vt frequenter praedicent, quod laicalibus placet, et clero diſplicet. Sacram ſcripturam aliter exponunt, quam romana eccleſia. — Igitur, ſi quis teneret — — talis ſtatim teneret errorem — item qui dicunt, nullam ſcripturam eſſe tenendam in lege Chriſti, quam 4 Euangelia, epiſtolas Pauli, et ſcripta 4 doctorum, Ambroſ. Auguſt. Gregor. Hieronymi. quod non ſit offerendum, ne ſacerdos habeat concubinae ſuae aliquid dare — qui dicunt, quod vita ſanctorum in ſermone (eccleſiaſtico) non ſit exponenda; quod falſa multa ponuntur in *Legendis*. Pag. 682. dicit *Reinherus*, quod fuit vna *mulier*, quae ſciuit totum librum *Iob*, mentetenus, de verbo ad verbum *vulgariter*, (in lingua plebeia.) — Paulus dicit: ſumus miniſtri non *litterae* ſed ſpiritus; haeretici autem taliter faciunt; nolunt ſcripturas ſacras tenere niſi, *penes textum*, et decipiunt. Verboſiſſime ſed et imperite ſatis tribus tractatibus ſpecialibus agit hic anonymus. Pag. 762. Vniuerſitatis *pragenſis* confeſſio 1417, d. 10 Martii, durante concilio, edita. — prout ex officio *magiſtrali* adſtringimur — ſi quos Chriſti fideles vera et vtilia erudiunt, ſi ſalutifera promouent, et honeſta ſi delectant — —: hos per viſcera miſericordiae Ieſu Chriſti obnixius deprecamur — ſi autem — — aliter obſeruatum fuerit (antea) poteſt a domino ſimplicitati aut neceſſitudini indulgeri. Quod ſi huic conſtitutioni Chriſti, humana quaeuis obſtet conſtitutio, — aut cuiuscunque poteſtatis — terrifica comminatio —: huiusmodi humanae inuentionis dogma —— nullatenus eſt aduertendum; potius veritati — ſtudioſiſſime eſt inſiſtendum — Pragae, in plena congregatione Magiſtrorum, ſigillo appenſo. P. 766. *Ioh. Gerſonis* conſilium conſtantiae 1417 datum, iuſſu concilii. c. 1. decem regulae gene-

generales, de auctoritate SS. et iure eam interpretandi. *Sexta* satis illiberalis: SS. non ita nude recipienda est, contemtis aliis traditionibus hominum; canonibus, decretis, glossis SS. doctorum. *Octaua:* SS. dum per nouellos (hos) homines inducitur, tamquam credenda in nudis suis terminis: exponitur grauibus periculis et scandalis. *Nona:* SS. in sua receptione et *explicatione* finaliter resoluitur in auctoritatem vniuers. ecclesiae, primitiuae praesertim; quae recepit eam et *eius intellectum* immediate a Christo, et reuelante spiritu, in die Pentecostes, et alias pluries. (Quam inepte!) Cap. 2. decem regulae speciales pro expugnanda doctrina *Bohemorum*. Hic *Gerson* longe plus dedit tempori, quam ingenuae menti suae et fidei. Pag. 779. *Mauritii* de *Praga*, in concil. constant. tractatus 1. contra *Iacobum*, iussu concilii scriptus et editus in concilio 1417. d. 8 Decembr. Specimen ineptiarum sit, C. 1. Christus iniit matrimonium cum ecclesia; liberi, sunt baptizati; in cura huius prolis, ne ex suae paternitatis absentia, (properante in coelestia) genealogia deficeret, sacerdotale genus sibi in paternitate decreuit succedere; — — huius prolis salutem concludens in *istorum obedientia parentum*, honora patrem &c. *Matri*, ecclesiae, credendum, etiamsi magistrorum millia tenerent oppositum. — c. 4. ecclesia, vt est eiusdem *entitatis*, sic et auctoritatis propter Christi assistentiam — mutationes *matris* (eccles.) sunt venerandae sicut Christi, *patris*. C. 8. Christus est praesidens concilii generalis, Matth. 8. C. 16. laici numquam obligantur ad hoc sacramentum ex canone bibliae, sed instituto conciliorum. — Eiusdem *Mauritii* tractatus 2. lib. 1. pag. 805-826. lib. 2. -- 883. P. 884. *Iacobi* opusculum de vera exsistentia corporis et sanguinis Christi, in s. coena. Diuisis enim erant sententiis, qui calicem propugnabant; alii negabant adesse, *Wiclefo* propius adhaerentes; alii aiebant, vt *Iacobellus*, sed sine transsubstantiatione (contra quam de *remanentia panis* post consecrationem in altari, scripserat;) sic, vt assereret, etiam *Wiclefum* ab hac sententia non abfuisse. — p. 889. *corpus*

(vnum

(vnum et vnicum ſemper) Chriſti, natum ex Maria &c. habuit duplicem vitam, *ſpiritualem diuinam*, inuiſibilem; (in ſacramento, *Hieronym.* de conſecr. diſtinct. 2. gloſſa Archidiacono; latet operta *ſub ſpecie* panis et vini;) et *animalem*, mortalem, extenſam. Hac diſtinctione etiam *Paſchaſius* vſus eſt, de corpore chriſti Cap. 2. (Hoc videntur alii dicere praeſentiam *ſupernaturalem* corporis; ſic pag. 908. corpus Chriſti in ſacramento *ſupra naturam* eſt, vere vnitum diuinitati —) Errant quidam dicentes, in ſacramento non veritatem corporis et ſanguinis eſſe, ſed *imaginem tantum* et formam — pag. 913. et mortem et reſurrectionem Chriſti *figuram* eſſe et ſimilitudinem — Apoſtolus declarat: mortuus eſt pro delictis, et reſurrexit propter iuſtificationem, noſtram, vt *peccatis mortui iuſtitiae viuamus;* et Petrus: Chriſtus — nobis relinquens *exemplum* — numquid ideo veritas non fuit? quod videmus, eſt *ſpecies panis et vini*; quod autem *ſub iſta* ſpecie credimus, verum corpus eſt et ſanguis; nec per panem et vinum *ſignificari* tantum corpus et ſanguinem, ſed ſub ſpecie panis — conſecrari; corpus autem et ſanguinem ſacramentum eſſe ſpiritualis gratiae — quia Chriſtus cum ſuo corpore et cum tota ſua humanitate et deitate hic exiſtit, colendus et adorandus eſt in ſpiritu et veritate. Cap. 10. *Wiclef* negauit Chriſti corpus hic eſſe, ſecundum *vitam animalem.* Cap. 12. reſpondet ad obiectionem: corpus Chriſti adſcendit *in coelum*; negatur conſequentia. Si phraſis: *ſpiritualiter* praeſens eſt corpus, ſignificat *tantum* per ſpiritualem gratiam, non in propria exiſtentia ſecundum vitam ſpiritualem: eſſet ſenſus erroneus; Cap. 14. deriuat ex vnione hypoſtatica; manet natura corporis, ſed eſt ſpiritualis et diuina in ſua exiſtentia. Ceterum in epiſtola *Bohemorum* ad concilium 1415. d. 14 Maii, dicitur: quidam obtrectatores regni *Bohemiae* ad aures paternitatum veſtrarum detulerunt, quomodo ſacramentum ſanguinis iam per *Bohemiam* in flaſconibus deportarent, et quod ſutores confeſſiones audirent, (plura eius generis mendacia *Byzy-*

nius

nius narrat pag. 129.) — talibus falsis delatoribus ne credatis.

Iam de *Hieronymo* Pragensi pauca; retractus fuit, (qui 9. Aprilis 1415 *Constantia* exierat, quia saluum conductum habere non potuit, non rediturus) a Iohanne duce bauar. comite palatino, *Sulzbaci* in vincula coniectus; concilii iussu cum magna catenarum pompa reductus. Ex iis, quae in concilio ei obiiciebantur, illa fere sunt notatu digna. Reducem, post sedatos clamores, *Gerson* adeo, sic allocutus est: et tu cum esses *Parisiis* putans te esse angelum cum tua eloquentia — ponens multas conclusiones erroneas, in materia vniuersalium — Hieronymus: posui philosophice; doce, quod sint erronea. Alius magister (de *Colonia*) cum esses in Colonia, multa erronea posuisti. Hieronymus: dicatis vnum errorem; ille attonitus: non occurrit mihi primo. Tertius: cum esses *Heidelbergae*, posuisti multa erronea in materia *de trinitate*; depinxisti scutum, (*fidei* appellatum) comparando trinitatem, aquae, niui et glaciei. Respondeo: eadem hic scribere volo et pingere, doce, quod sint erronea. Interim clamabant quidam: *comburatur*; ille respondit, si placet vobis mors mea, in nomine domini. Aepisc. Salisb. autem: non Hieronyme; scriptum est, nolo mortem peccatoris. Iam reducebatur in carcerem; (trunco impositus graui, pedibus ad compedes strictis, manicis ferreis vinctus, vndecim fere pendebat diebus, paucissimis cibis refectus — postea, ob speciem concilio in omnibus assentienti, et ipsius concilii facta et decreta approbanti, captiuitatis est duritia mitigata, *Byzyn.* p. 133.) Post *Hussum* d. 6 Iul. combustum, eodem a. 1415, minis et taediis infractus *Hieronymus* d. 23 Septembr. in sessione 19 publice in sententiam Concilii iuit, anathematizans omnem Haeresin *Wiclefi*, et *Hussi*, etiam doctrinam de *vniuersalibus realibus* (quod vna communis generis essentia esset homo, leo, bos &c. et vna essentia specificasset plura eiusdem speciei suppositа,) negauit se voluisse extollere super opinionem contrariam — insuper iuro,

me

me in veritate eccleſiae cathol. ſemper permanſurum, -- etſi ego -- aliquando, quod abſit, aliquid contra ſentire aut praedicare praeſumſero, canonum ſeueritati ſubiaceam, et aeternae poenae obligatus inueniar -- -- Sed facile inſtigatores Steph. *Paleč* et *Michael* de *Cauſis* inuenerunt, eum non *ſincere*, ſed animo euadendi, abiuraſſe; ſuperueniebant etiam fraterculi *Carmelitae* de *Praga*, qui nouas accuſationes contra eum attulerunt; itaque 1416 d. 25 Maii coram toto concilio 107 articuli contra ipſum de nouo producti, ne laqueum mortis, quem parauerant, poſſet effugere, *Byzyn.* p. 139. Ex iſtis articulis patet, *Hieronymum* in *Anglia* ipſum deſcripſiſſe dialogum et trialogum; dogmatizaſſe in diuerſis mundi partibus, *Bohemiae*, *Hungariae*, *Poloniae;* in Hungariam Aep. prag. falſe contra eum ſcripſit; ideo, (cum *Budae* in Sigismundi praeſentia et coram multis epp. in habitu laicali, et longa barba, praedicaſſet ſcandaloſa;) 15 dies Aep. Strigonienſi fuit traditus, ſed ſine cautione fideiuſſoria liberatus. A. 1400 Pragae potiores ciues induxit; etiam ambaſſiatores *Burgundiae* et *Brabantiae*; de *Hungaria* adſcendens, peruenit inde *Viennam* Auſtriae, 1410, arreſtatus ibi, iuſſu patauienſis conſiſtorii; iurauit ſe non ante diſceſſurum; tamen dicto anno 1404 (leg. 1410.) clam receſſit. Illi proceſſus publicati fuerunt in valuis eccleſiarum *Prag. Cracovienſis*, *Viennenſis*. Per *quinquennium* in his ſententiis perdurauit, tamen communicauit. Scripſit multos libellos contra papam et principes illuſtres, dominum *Erneſtum*, *Auſtriae*, et *Erneſtum*, *Bauariae* duces, et eos affixit publice; etiam contra Aep. *Sbinconem*. A. 1412. in monaſterio *Carmelitarum* die S. Wenceslai, reliquias impoſitas, quas frater vnus cuſtodiebat et ſubſidium pro fabrica mendicabat, contemtibiliter in terra proiici per laicos mandauit, (et pedibus conculcari, n. 58.) et fratres percuſſit. (Hieron. dicit, ſimplicitnr eſſe mendacium.) Praedicatorem ordin. minor. in platea colaphizauit; 1413 menſe Aprilis Hieronymus peruerſus praedicator fideles factos reducere

cona-

conatus est ad infidelitatem; praesertim in *Lituania* (fuit 1413 in comitiua *Vitoldi* Hieronymus, n. 67. et *Russia*, intrans ecclesiam, (spreta processione *dominicana*) eorum fidem praetulit fidei christianae, et magna munera ex hoc reportauit. Respondet: erant baptizati secundum ritum graecorum; rogatus a duce *Vitoldo* et episcopo loci, num essent baptizandi, dixi, quod non. Item, quod Hieronym. pluries apparuit in plateis cum centum aut CC armatis, faciens seditiones; resp. aliquando cum LXX apparuit, *dum cum rege equitauit*, sed non suis; negat verum esse. — Adhaesit secularibus et spoliatoribus cleri, *Wozoni*, *Ratzconi*, *Cotilae*, laicis; negat; locutum se esse cum his, non tamquam spoliatoribus, sed tamquam *regis sui* familiaribus. Item docuit saepe in diuersis locis: in deo non solum est trinitas personarum, sed etiam quaternitas rerum, et quinternitas; in anima ponere est trinitatem rerum in vna essentia, memoriam, intell. voluntatem. De potentia dei absoluta, pater potuit non generare filium. Omnia futura, de necessitate conditionata euenient. *Parisiis* dixit: quod deus nihil potest annihilare. — dixit, scholares Ioh. Wiclefi (libros) non studentes, dumtaxat cortices scientiarum quaerere. Annis 1404. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 13. quinque articulos (contra transsubstant.) publice defendit. Fieri fecit cantilenas et carmina, continentes in sensu verba canonis, in vulgari *bohemico*, quas mechanici cantant; plurimas *cantilenas* fecit, in quibus *textum bibliae* expressit, vt ipsi soli videantur SS. intelligere. Docuit 1409, quod excommunicatio et interdictum nihili sint; propter hoc *de facto* in pluribus locis dioecesis *pragensis*, presbyteri *compulsi* fuerunt *per potentiam laicalem*, celebrare; praedicantes *indulgentias*, desistere fecit et impediuit. vt anno 1412 mens. Augusto, in vrbe *Nouadomo*, dixit: exeatis vos viri mendaces, cum vestris mendaciis; vester papa est haereticus et vsurarius. A. 1411. litteras apostolicas, (indulgentias) fecit capi et recipi; in quodam curru cum *meretricibus*, quibus bullae ad mamillas suspendebantur, de minori

nori ciuitate per antiquam ciuitatem publice duci curauit, circumſtantibus *Wiclefiſtis* armatis, et clamantibus, quod bullas haeretici et Ruffiani ducerent ad comburendum; ſic combuſtae ſunt. (Paullo aliter narratur in Hiſtoria perſecutionum eccleſ. *Bohem.* 1684. 12. p. 31, etiam: meretricem ſimul benedictiones diſtribuiſſe.) A. 1415. menſ. Martio, imaginem ligneam crucifixi, ad quam fiebat concurſus hominum deuotionis cauſſa, extra eccleſiam monaſterii fratres minor. S. Iacobi, inſultauit et ſtercoribus humanis maculavit. A. 1412. tres viros nequam, decapitatos, cum ſuis ſequacibus cum aromatibus et incenſo, procurauit ad tumulum portari, proceſſionaliter cantando; fecit pro eis miſſam de *martyribus*; vnde vel 40–50 venerunt ad praetorium, ex iſta ſecta, dicentes et ſe martyrium non detrectare. Sed ne longius hic haereamus; de barbaro ſupplicio, quo *Hieronymum* poſt 340 dierum ſqualores affecerunt zelatores, ſi placet, purae religionis, hoc tantum addimus: nec ei nec *Huſſo* defuiſſe teſtes, qui inuſitatam mentis fortitudinem collaudarunt; ipſe *Aeneas*, et *Poggius* (vide eius epiſtolam ad *Leonard. Aretinum* tomo 2. Hardtii p. 64; tanti momenti eſt illa Epiſtola, vt magnam partem gallice translata fuerit in *dialogues* ſur les matieres de temps, tome 2. pag. 53–58. aeterna hominum memoria dignus *Hieronymus*! finit.) adeo, qui et idem confirmat, quod *Byzynius* ſcripſit p. 140, *Hieronymum* propoſuiſſe publicis ſermonibus exemplum Philoſophorum, *Socratis*, *Catonis*, *Senecae*, et prophetarum, Ieſaiam, Ieremiam, Apoſtolos — qualiter omnes hi et plurimi alii, *propter veritatem* innocenter ſunt mortificati et diuerſis tormentorum affecti generibus — Puerilem petulantiam plebeiae mentes ſuperaddiderunt aeternae ſuae turpitudini atque infamiae, papyraceam infulam *Huſſo*, et pileum ſimilem *Hieronymo* rubris circumpictis daemonibus imponentes; vt *Turci*, qui inaudierint daemoniorum hanc religionem, in hominum perniciem ſubnatam, eo magis eam reſpuere diſcerent. Pollicebatur tamen eius temporis vniuerſitas

cracouienſis (*Harduini* pag. 611.) in epiſtola ad Concilium miſſa: ſi ſectatores *Huſſi* fines *Poloniae*, tamquam vulpeculae ſubintrare ſatagerent, apud nos, non aliter ſicut apud vos, ipſarum auctores, *flammeas veſtes* ſuis dogmatibus *ignitas* exciperent aureolas, (alii; *facibus* flammeis *veſtiti*) -- -- Non eſt autem obſcurum, *Gerſonum* animi ſui occulto quodam moerore in *Ioh. Parui* adſeclas, *nouem Iohannis* propoſitionum defenſores, eo facilius in *Huſſum* et *Hieroymum* comburendum conſenſiſſe, vt et his quaſi ſupplicii via ſterneretur; quod cum non eueniret, ſaepius indignationem ſuam prodidit; (tomo 4. *Hardtii* pag. 450 ſeqq.) Verbo tantum admonemus: imperatorem clero *Bohemico* (cuius argentum non defuit, *Byzyn.*) facile dediſſe, vt datam fidem, qua nihil eſt ſanctius apud deum et homines, fefellerit. Poſteritati numquam excuſabitur, ſi maxime noua ſtudia accedant. Hiſtoria belli *Huſſitici*, non eſt noſtri loci.

Superſunt autem adhuc alia quaedam ſatis memorabilia, quae vel breuius recenſere, quam omnino praeterire, ſatius ſit. Tomo 3. *Hardtii* pag. 9. *Pauli Voladimiri*, de Cracouia, academ. cracov. rectoris, legati regis ad Concil. demonſtratio, *Cruciferis* de *Pruſſia*, ſeu ordini teutonico S. Mariae virginis, oppoſita: infideles armis et bello non eſſe ad chriſtianam fidem conuertendos, nec eorum bona inuadenda; in conſtant. Concilio 1415. d. 6. Iul. publice propoſita. Cap. 1. reiicit *Hoſtienſis* et aliorum opinionem: *poſt aduentum Chriſti* apud infideles nullum eſſe ius, honorem et dominium in ſuas terras; quia translatum ſit ad chriſtianos. Cap. 2. de ordinis teutonici machinis et praetextibus, ſub nomine religionis quasuis regiones ſibi ſubiiciendi. — Pagani iam ceſſarunt ab inuaſione, tamen hi bis quotannis inuadunt partes infidelium, *Reiſas* (itinera) vocant; die aſſumtionis et purificat. Mariae — romanorum pontific. litteras impetrant — principes potentiſſimi paganorum, miniſterio Polonorum baptisma ſuſceperunt, et multitudo magna adhuc ſuſcipit; tamen

men hos neophytos inuadunt cruciferi, ne pereat cauſſa occupandi. Scripſi igitur (Paulus nempe hic Conſtantiae) 52 propoſitiones de poteſtate papae (numero 20); et imperatoris, reſpectu infidelium. Omnes infideles ſunt oues Chriſti, (etſi non de *ouili* eccleſiae) ſecundum creationem, Papae proprie et primo tribuit ius et imperium, quia Chriſti vicarius ſit; Chriſtus autem dicit: *mihi data eſt omnis poteſtas.* N. 27. regnum in terris ſurgit tribus modis; per voluntatem dei, aliquo modo hominibus reuelatam; per conſenſum eorum, qui reguntur; per violentiam — 29. Litterae tam pontific. romanorum quam imperatorum, ſuper occupandis terris infidelium cruciferos priuilegiare non potuerunt, contra ius naturale et diuinum. 32. Non eſt licitum compellere ad fidem chriſtianam; non ſunt enim facienda mala, vt eueniant bona. 34. Error eſt nulla ratione tolerabilis, quod chriſtiani confluunt cruciferis in ſubſidium, ad impugnandum pacificos infideles. 44. Obſeruatio dierum *Mariae* ad hoc bellum, eſt ſuperſtitioſa. 51. Princeps chriſtianus neceſſitate imminente ſine peccato ad ſui defenſionem vti *poteſt auxilio infidelium*, vt Maccabaei pacti ſunt cum Romanis. Finis: locus *Thomae* 2. 2. qu. 9. artic. 10. infidelitas non repugnat dominio, hoc enim eſt ex iure gentium; diſtinctio autem fidelium et infidelium eſt ex iure diuino. Pag. 28. *Ioh. Gerſonis* diſſertatio de probatione Spirituum, deque *viſionibus* et reuelationibus nouis caute diiudicandis, occaſione Canoniſationis *Brigittae*, edita 1415. Pag. 72. *Petri* de *Alliaco* exhortatio ad concilium, *ſuper correctione calendarii propter ingentes eius errores.* Scripſerat iam 1411; *Romae* etiam in concilio 1412 obtulerat; ſed poſt ſchismatis ſublationem reiectum fuit opuſculum. Pag. 92 ſeqq. de rebus *Flagellariorum* vel crucifratrum. Supererat inepta religionis publicae ſpecies ex ſeculo ſuperiori; ne iam e vetuſtioribus temporibus poenitentiae publicae hoc inſtar repetamus, (vid. *Boileau hiſtoire* des *Flagellans* Chap. 5–7.) *Ioh. Gerſonis* Epiſtola ad *Vincentium Ferrerium*, ſectae flagel-

lantium haud obscure patrocinantem, scripta Constantiae 1417. d. 9. Iulii. Applicat ei illud *apocalypſ.* - - vt vinceret, ad nomen *Vincentii.* Eiusdem *Gerſonis* mite consilium de conuincenda se flagellantium secta. — (obseruatio decalogi, cum bona simplicitate, et vt dicitur, *groſſa fide*, satis est ad salutem, praesertim laicorum et popularium; —) laudat etiam discretionem *Vincentii*, qui sic respondit, vt pateat, eum instar Bernardi *plus alieno quam proprio credere iudicio.* P. 107 seqq. de lite, quam *Matthaeus Grabon*, domin. mouerat, porrectis conclusionibus, pro *vera* religione, contra fraternitates et societates eorum, qui sine monachali statu, de communi viuebant; quas omnes damnare voluit. Hic illud notatu satis dignum est, *Cameracenſem* et *Gerſonem* opposuisse monachali phrasi liberalem sententiam: christiana vera religio *eſt etiam apud ſeculares.* Reuocandum et abiurandum fuit *Matthaeo.* Sequuntur caussae monasticae; de proprietate; de pensionibus annuis &c.

II. Conciliorum ius et auctoritas in causſa schismatis extinguendi.

A *Piſano* concilio breuiter historia *ſchismatis* exstincti repetenda est. Cum 1408 *Gregorius* XII. spreto sacramenti numine nouos cardinales creasset, vehementissima altercatio inter ipsum et cardinales saniores orta est; ausi tamen sunt prohibentis contemnere minas, et *Lucâ* plerique *Piſas* secesserunt. Iam vterque Papa concilium indicere, *Benedictus* Perpiniani; *Gregorius* in prouincia aquileiensi habendum. *Benedictus*, vt potuit e regnis *Caſtellae*, *Arragoniae*, *Nauarrae*, e *Sabaudia*, supra centum Praelatos coegit, qui sessionibus octo interfuerunt; sed variis in voluntatibus; victus tamen plurium enixis precibus consiliisque *renuntiationis* viam pollicitus est; quam tamen postea et in *Piſano* et in *Conſtantienſi* concilio in durissimum os sibi retorqueri passus est. Iam a. 1409. Cardinales vtriusque obedientiae *Piſis* et legatum *Landulfum*

cum

cum litteris miſerunt in *Germaniam*, qui *Francofurti* aepp. *mogunt.* et *colon.* pluriumque principum oratores invenit, *Rupertum* vero ſatis aperte *Gregorio* fauentem, (cui et *Raynaldus* omnem, quam potuit ſcriptor, dedit operam,) et ad *Benedictum* 13 miſerunt patentem litteram, per quam ad concil. *Piſanum* in diem 25 Martii euocabatur; *Dacheri* ſpicileg. tom. 1. edit. in fol. p. 809. (collecta ſunt hic etiam plura alia ad hanc cauſſam pertinentia monumenta, iam e fine ſeculi 14.) Litterae Cardinalium Benedicti ad omnes ſuae obedientiae, p. 811. Cardinalium *Gregorii* ad omnes ſuae obedientiae, p. 814. *Acta concilii piſani* a monacho *Dionyſiano* (in hiſtoria *Caroli* VI, regis Francor.) ſcripta, typis excuſa ſunt 1612 *pariſiis;* apud *Binium* etiam, *Bzouium*, et *Harduinum*, tomo 8; ſed *Spondanus* ſaepius notauit, *aliter* atque *auctius* in ipſo manuſcripto codice haberi. Apud *Dacherium* pag. 823. caedes aliquot hominum etiam *Aepiſcopi rhemenſis*, narrantur. Iam numerus eorum, qui interfuerunt concilio, ſenſim auxit; toto concilio adfuerunt 3 patriarchae (titulares *alex. Hieroſ. Antioch.*) Aepp. et epp. ſupra 200. abbates fere 87; 12 academiarum legati.) doctores theologi et canonici ſupra 300.) oratores *Franciae*, *Angliae*, *Cypri*, *Sicil. Poloniae*, *Bohemiae*, *Burgund. Lotharing. Bauariae*, *Pomeraniae*, *Brandeburg. Thuring.* miſit tamen et *Gregorius Iohannem* cardinalem in *Hungariam*, *Poloniam*, *Ruſciam*, *Dalmatiam*, *Bulgariam: Antonium*, cardinalem in *Angliam*, qui *Francofurti* Landulfo ſe, vt potuit, per *Rupertum* regem oppoſuit. Atque *Rupertus* aep. *Rigenſem*, epp. etiam *Wormat.* et *Verdenſem* Piſas miſit, *Gregorii* pro cauſſa; quorum orationem et denuntiationem *Ruperti* contra concilium, *Raynaldus* deſcripſit, 1409, n. 13–33. Egit et *Carolus Malateſta*, dominus *Arimini*, quod potuit, vt diſſolueret concilium, ſed nihil profecerunt iſta ſtudia in Gregorium. Refutauit quaeſtiones *Ruperti*, *Petrus*, de *Ancharano*, bonon. doctor; (*Dacheri* et *Harduini* editio concil.) etiam patriarcha *alex.*

Quaeſtio 1. vtrum cardinales ei, quem vt legitimum pontificem agnoſcebant, ſubtrahere obedientiam potuerint, ante cauſa cognitionem? Reſp. ex actis et geſtis oſtendit papa ſe eſſe ſchismat. et haereticum; ideo ceſſauit papa eſſe. 2. Si dubitant cardd. an *Gregorius* ſit legitimus ipſe pontifex, quidni dubitant, vtrum ſint cardinales legitimi, cum ſint ab iſto creati? Reſp. Factus eſt ſchismaticus vel haereticus, *poſtquam* iam cardinales eſſent. 3. Vtrum concil. generale conuocare poſſent, cum ſupra concilium auctoritatem non habeant. Reſp. Non eſt de ſubſtantia concilii, quod conuocans habeat auctoritatem ſupra concilium. 4. Vtrum *Gregorius* concilio parere teneretur, cuius pars erant adverſarii illius — — Reſp. Neutrales et ſubtractos magis idoneos eſſe ad cognoſcendum de ſchismate; nec poſſunt dici aduerſarii, quia ex culpa vocatorum procedit ſubtractio. 5. Qua ratione duo collegia, (legitimum vnum, alterum falſum) in vnum conuenire potuerint, et alterum alteri ius eligendi pontificem tribuere? Reſp. Ex iuramentis in conclaui vtriusque partis, pro diligentia ad ſchisma extirpandum. Valuit tandem *ſubtractio;* condictum de *reformatione* tam in capite quam in membris; legati ex *Hiſpania* pro Benedicto, (*Benefictum* hunc, et *Errorium* iam auſi erant quidem dicere, pro Gregorio) vix ſine ignominia diſceſſerunt. Sic a Synodo facultas eligendi papam cardinalibus data; qui *Petrum* Philargi, ſeu *Philarchum*, cretenſem, (quo legato olim vſus fuit *Ioh. Galeatius*, ad *Wenceslaum*, pro dignitate ducis acquirenda,) prodiderunt, d. 26. Iunii, qui *Alexandri* V. nomen adſciuit. *Seſſione* XX. papa *Synodi* huius acta confirmauit; atque iam *Ludouicus* andegau. dux, contra *Ladislaum*, Siciliae rex ſeſſione publica confirmatus, patrimonium Petri reduxit ad papae obedientiam. *Seſſione* 22, poſt *triennium* aliud concilium indictum fuit; *ſeſſione* 23, praeceptum, vt ſynodi prouinciales interea habeantur, et capitula monaſticorum ordinum. Iam etiam cuncta anathemata reuocata, et omnes antea cenſuris irretiti ad cautelam abſoluti fuerunt. Sed

non

non defuerunt, qui omnem auctoritatem huic concilio negarunt, e. c. *Antoninus Florentinus*, 3 parte chronic. tit. 22. c. 5. — non fuit ablatum ſchisma, ſed augmentatum; *Caietanus*, tractatu 2 de auctoritate papae et concilii; *Raynaldus*; *Bellarminus* autem, nec approbatum nec reprobatum fuiſſe dicit hoc concilium; oecumenicam vero auctoritatem *Natalis Alexander* defendit, 1) per concil. *conſtantienſe*, *Iohannis* adeo 23 auctoritate conuocatum; licet permiſerint κατ' οἰκονομιαν *conſtantienſes*, vt ſeſſione 14 *Gregorii* legatus, *Iohannes dominici*, (cuius diſcipulus fuit *Antoninus*;) ipſius nomine concil. conſtantienſe iterum conuocaret; 2) per *Gerſonium*, in tractatu de auferibilitate papae, conſider. 20. (nutu dei, Spiritus S. ſicut credendum eſt, inſpiratione tracti fuerunt, ad conuocationem *piſani*;) 3) per *Aegidium*, cardin. viterb. hiſtoria *MSta*; Dominicum *Iacobitium*, lib. 3. de concil. *Azorium*, et academias iſtas — — Non iam dabimus operam rationibus in vtramque partem colligendis; illud autem ſatis conſtat, rectiſſime facta eſſe iſta, *iure eccleſiae* ſeu ſocietatis ſacrae *optimo*, quia contraria paparum ſtudia *formulam* conuocandi concilii aliam impediebant. Sed mirum non eſt, partim iſto tempore paucos rei ingenuam cauſſam perſpexiſſe; partim, cum alia eſſent aliorum ſtudia, (e. c. *Ruperti*, romani regis,) non defuiſſe, qui *Alexandro* non eſſent dediti; licet maior *Europae* pars eum ſuſciperet; illud potius mirari licet, hic nihil quicquam de *Haereſi Wicleſitarum*, in *Anglia*, et *Bohemia*, actum fuiſſe; cum tamen *Alexander* ad *Sbinconem* aepiſc. decretum contra *Wicleſi* articulos miſerit; nec defuit ſibi et ſuis *Huſſus appellando*.

Alexandro commodum ſuffectus fuerat *Iohannes* XXIII, cum *Rupertus* moreretur; hic ſtatim *Iohannes*, electoribus *Sigismundum* commendauit, forte, vt exemplo *triumuiratus romani* imperii paparum ſchisma minus homines commoueret. *Sigismundus Albicum*, ſordidiſſimum hominem, poſt *Sbinconis* mortem eius in locum euehi

curauit; *Iohannes* autem *concilium generale* (angulare a *Bohemis* quibusdam dictum) *Romae* coegit, vt potuit, (decretum contra *Hussitas* d. 6. Ian. 1413); sed cum deesset frequentia vel mediocris, a *Sigismundo*, qui priuatis rebus studiosus in *Italiam* venerat, imprudens se eo induci passus est, vt de *concilii* vniuersalis optimo loco et tempore, per oratores vtriusque ageretur; *Constantia* etiam placuit legatis, licet *Papa* confideret, locum eos designaturos, in quo *Sigismundi* potentia summa esse nequeat.

Facile apparet, hoc *Sigismundi* et regis *galliarum* consilium *potentiam* istam *ecclesiasticam* seu papae, vehementer perturbasse, et concussisse, cum, si rem dicamus, vel *Pisani* concilii auctoritas non obscure conuelleretur; licet formula concepta non oppugnatum fuerit; quia cum *Benedicto* et *Gregorio* sic agebatur, vt legatos ad concilium *constantiense* mitterent, qui profecto *Iohannis* sedem confirmaturi non erant. Fefellit autem *Iohannem* varia magnae spei imago, et ius conuocandi concilii per diploma suum 1413. *Ad pacem et exaltationem ecclesiae.* Etsi, si legitimus pontifex non esset, fingi vix potest, quo iure conuocarit hoc concilium: rebus tamen gestis, cum inde ab initio caussa schismatis repeteretur, *pisanum* concil. labefactatum fuit; cuius quidem indoles fuit haud paulo magis ingenua, proba et remota a variis consiliorum vitiis, quam *Constantiense.* Nisi quis multum ad rem christianam referre putet, quod per *nationes* suffragia fierent; quod *Ioh. Parui* disciplina et simillima illa *Falkenbergii*, vix fuit damnata; quod disputatum fuit verbosius, vtrum sit papa supra concilium; vtrum plenitudo potestatis ecclesiasticae sit in papa, an in concilio; quam tamen omnem auctoritatis pristinae imaginem, (a *Gerson*io praecipue compositam et sessione 4. 5. sine omine claro descriptam,) nouus Papa *Martinus*, ausus est delere, cum prohibuerit appellationes a Papa ad concilium fieri. *Reformationis* autem, quam natio *germanica* et *anglica* volebat praemitti electioni, cuius certos articulos iam sessione 40 designauerant, (de numero

car-

cardinal. de reſeruationibus; annatis, collationibus, expectatiuis, confirmationibus; cauſis *Romae* tractandis; appellationibus; de officiis cancellariae et poenitentiariae; de exemtionibus et incorporationibus, tempore ſchismatis factis, de commendis, fructibus medii temporis, de non alienandis bonis Romanae eccleſiae; *propter quae* et *quomodo* papa poſſit *corrigi* et *deponi?* de extirpatione *Simoniae*; diſpenſationibus; prouiſione papae et cardinalium, indulgentiis, et decimis;) quid tandem contigit? Concilium *tres* poſt *annos* repetendum, qnomodo papae placuit? (Confer. de talibus obſeruationibus *hiſtoire* du droit *publique* francois tome 2. p. 208 ſeqq.) Ceterum non hic deſcribemus Hiſtoriam Concilii *Conſtantienſis*, (cuius *compendium chronologicum* exhibuit *Schelſtraten* in tractatu de ſenſu decretorum Conſtantienſ. pag. 23–75.) *Iacobi L'enfant*, Amſtelod. 1728; poterant etiam multa notatu digna colligi ex illo corpuſculo: *nouvelle hiſtoire* du concile de *Conſtance*, ou l'on fait voir, combien la *France* a contribué à l'extinction du ſchisme avec pluſieurs pieces, qui n'ont point encore paru, tirées des Manuſcrits des meilleures bibliotheques, par Mr. *Bourgeois* de *Chaſtenet*. Pariſiis 1718. 4. Vid. et lettre ſur les annates, tome 3. partie 1. continuation des memoires de Sallengre pag. 114 ſeqq. Inter *documenta* ſeu *Preuves*, multa habentur, quae in vtramque partem (de *ſubtractione*) diſputata fuerunt; e. c. p. 20. patriarcha *Alex.* pro *affirmatiua:* non mirum, quod lex *Mahometi* fuit introducta, propter contendentiam de papatu, et ſchisma Graecorum; propter nimium dominium, quod voluerunt habere papae ſupra patriarcham conſtantinop. — *Petrus Regis*, doctor decretorum, p. 29, non reperitur e praeteritis ſchismatibus, ſedatum ſchisma, niſi per principes; vt patet ex chronicis; multa alia ſcribit hic abbas, ſatis conformia *Wiclefitis*, ratione papae, — electio papae ſic eſt a deo, quod fieri non poteſt ſine executione iuris diuini, *qui ordinauit fieri electionem* certis ex cauſis, quarum hodie aliquae forſan occurrunt. — p. 63 ſeq. M. *Petrus Plaoul:*

ſchisma praeſens eſt taliter radicatum, vt a tempore Chriſti caſus ſimilis non ſit viſus — itaque ad remedium habendum, oportet recurrere ad principia et *media extraordinaria*, vniuerſalia, *iuris* ſcil. *naturalis*, diuini et canonici; p. 65. ſi papa teneret, quod *Spiritus S.* non procederet, *niſi ex patre*, non faceret tantum praeiudicium nec tantum laederet eccleſiam. P. 66. eccleſia non eſt ſponſa papae, ſed Chriſti, licet ſit eius cuſtos; iam eam ſibi appropriat, quaſi *ſua eſſet eccleſia*, non recipit eos, qui volunt vnionem — papa ſub nomine Chriſti vult pertinaciter officium eccleſiae contra eccleſiam tenere, contrarius eſt Chriſti, ei non eſt communicandum — Antichriſtus vincet per dona et promiſſiones — non eſt ſimilitudo inter eccleſiaſticum praeſidentem et temporalem; nam eccleſiaſtici *ſunt tantum miniſtri*, ordinantur vt ſeruiant ſubditis; ſed principes, vt dominentur.

Sed quaecunque tum ſpes fuerit concilii, quod annos 3 et menſes ſex durauit, certum eſt parum procuratam fuiſſe religionis cauſſam; cum papae licuerit, dilato in *quinquennium concilio*, inepta illa formula finem imponere: *indulgentiae plenariae* omnibus conceſſae, qui concilio interfuerant, ſemel in vita et ſemel in morte. *Gallorum* tamen conſtantia non nihil attulit ad papae potentiam infringendam, cum vel in celeberrimo iſto conuentu gallicani cleri 1682 *decreta conſtantienſia* de auctoritate conciliorum generalium, quae *ſeſſione quarta* et *quinta* continentur, fuerint repetita; reiecta illorum opinione, qui horum decretorum auctoritatem in dubium vocare auſi ſint, aut ad tempus *ſchismatis* ſolum applicare velint. Satis longam diſputationem et defenſionem eccleſiae gallicanae ſcripſit *Natal. Alexander* diſſertat. IV. ſeculi 15. 16., contra *anonymi* tractatum, de libert. eccleſiae gallic. *Leodii* 1684. Satis multa, vſitatis verbis, tribuit papae; ſed omnem eius poteſtatem ad aedificationem dicit reſpicere, nullam ad deſtructionem, (regum exauctorationem, pacis turbationem, caedium occaſionem, canonum violationem, opinionum a ſcriptura

ptura et traditione alienarum propugnationem, peccatorum et impunitatis priuilegia) concedit. Praecipuum nomen aduerſariorum eſt *Emanuelis* a *Schelſtrate*, biblioth. Vatic. praefecti, qui 1683 Antwerpiae ediderat *diſſertationes* cum aliquibus concilii *conſtant.* fragmentis; *tribus* capitibus. I. dubiae auctoritatis eſſe ſeſſionem 4. 5. (1) quia genuinum iam non ſit decretum ſeſſ. 4. ſed a concilio *baſileenſi* corruptum (2) quod decreta ſeſſionis 5 ſine communi deliberatione edita ſint ab vna obedientia Ioh. 23. (3) quod concilium in his ſeſſionibus vniuerſalem eccleſiam non ſatis repreſentarit. II. Eosdem patres poſt ſeſſionem 38 decretum primum quintae ſeſſionis ita interpretatos fuiſſe, vt nihil faciat ad ſuperioritatem concilii; decretum autem ſecundum de puniendo pontifice contumace numquam intelligere auſos de pontifice vero. III. Nec hos patres, poſt trium obedientiarum vnionem, nec *Martinum* V. illa decreta confirmaſſe, ſed facto et verbo contrarium defendiſſe. Contra *Schelſtratenium* ſcripſit auctor *tractatus hiſtorici* de *romana eccleſia*, *eiusque praerogatiuis et epiſcopis*, pro defenſione 4 propoſitionum *cleri gallicani.* Ei reſpuit *Schelſtraten: tractatu* de *ſenſu et auctoritate decretorum conſtantienſis concilii* ſeſſione 4 et 5 circa poteſtatem eccleſiaſticam editorum, cum actis et geſtis ad illa ſpectantibus, et ex MSS. *italicis*, *germanicis*, ac *gallicis*, nunc primum in lucem erutis; in quo agitur de decretis Conſtant. ſeſſ. 4. 5. circa poteſtatem eccleſiaſticam editis, et confirmatur contra D. *Maimburg*, quod primum ſeſſionis 4 decretum *corruptum* ad manus noſtras peruenerit, nihilque, ſi *juxta acta manuſcripta corrigatur*, ad quaeſtionem de ſuperioritate concilii facit; decreta vero duo priora ſeſſionis *quintae* ſine deliberatione tantae rei debita, contradicentibus cardinalibus et regis Galliae oratoribus edita ſint ab vna duntaxat e tribus obedientiis, quae generale concilium non conſtituit; quod demum poſt trium obedientiarum unionem nec a concilio in auctoritatem admiſſa nec a *Martino* 5 vmquam comprobata fuerint. Accedunt hiſtoria et acta conſtant. concilii pro maiore parte hactenus non edita. *Romae* typis S. Congregat. de propaganda fide 1686. 4t. mai.

Non pauca collegit lectu digna, ſed omnia eo conſilio, vt papae auctoritatem eueheret. Potiora pleraque refutauit *du Pin* de antiqua eccleſiae diſciplina, diſſertatione VI, de concilii generalis ſupra rom. pontificem auctoritate, §. 6.

Nempe

Nempe obiiciebatur, in aliquot editionibus non reperiri ista, sessione 4, *in his, quae pertinent ad fidem*; et illa, *ad reformationem ecclesiae in capite et in membris* abesse a variis *MStis;* igitur inserta fuisse a *basileensibus.* Respond. Si maxime de sessione 4 verum esset, tamen *eadem verba* habentur sessione 5. Si absint etiam, — *in capite* &c. tamen iam antea dicebatur: generale concilium, ecclesiam catholicam militantem repraesentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet vniuscuiusque status — etiamsi *papalis existat*, obedire tenetur. — opponit quaedam manuscripta multis, *e loco suspecto*, scilicet bibliothecis vrbis romae, in quarum MStis certum est, pleraque eorum, quae curiae *romanae* placitis aduersabantur, *esse erasa* aut *omissa.* Quis tandem credat *basileenses* addidisse huic sessioni quartae? aut nemini animaduersum hoc fuisse eo tempore, quo rerum memoria satis recens erat. Denique, si fides habeatur romanis manuscriptis: superest, vt credamus, sessione 5 reformatum fuisse decretum sessionis quartae. *Obiic.* decreta sessionis 5 non fuisse ex consensu omnium facta; quod appareat ex actis quibusdam *basil.* ineditis. Resp. illa acta non sunt *authentica;* si vero etiam admittantur, tantum hoc efficitur, post discessum Papae, quosdam patres basil. (legendum in *du Pinio*, *constantienses*) dubitasse, num expediret, eo absente et reditum promittente, sessionem inchoare. *Schelstrat.* obiicit porro 1) decreta tantum ab *vna obedientia* Ioh. 23 fuisse lata. Resp. *Ioh.* fuit legitimus papa; duorum ceterorum consensus non debebat requiri. 2) Aliter patres sensisse videri post tres obedientias. Resp. cardinales post sessionem 38 *contra germanicam* nationem tantum volunt papae electionem non vltra differri; reformationem postponi; quam Papae concilium iniunxit. Ceterum hoc concilium, tamquam continuatio *Pisani* confirmata est sessione 12. 42. 44 et 45. per *Martinum* 5. Hanc confirmationem tantum pertinere ad causam fidei, non vero ad decreta de superioritate concilii, partim gratis dicitur, partim ita verum est,

vt

vt iſta propoſitio, de auctoritate concilii, ad fidem omnino pertineat. — *Du Pinius* porro §. 7. affert academiarum et theologorum auctoritates, et §. 8. reſpondet aduerſariorum obiectionibus. Verboſius autem defendit illa decreta, (primum ſeſſionis 4, et ſecundum quintae) *Natal. Alexander*, in diſſertat. 4 huius ſeculi; §. 1. decreta illa ſunt oecumenici concilii, ab eccleſia recepti, a ſede apoſtol. confirmati; §. 2. ſunt ſ. ſacrae conſona; §. 8. *Bellarmini* et anonymi obiectiones ex SS. diluuntur a theologis pariſienſibus. §. 4. Traditioni patrum et eccleſiaſticis regulis conſona ſunt decreta; 1) ex controuerſia de Paſchate; *Aſiatici* ſciuerunt ſedem apoſtolicam non donatam fuiſſe a Chriſto iudicii priuilegio. 2) De baptismo haereticorum; nec *africani*, nec *aegyptii*, nec *Cappadoces* ceſſerunt decreto *Stephani*. 3) E cauſſa *Caeciliani*, carthag. licet *Melchiades* Donatiſtas damnarit, tamen Auguſtinus ſtatuit, Donatiſtas *plenarium* concilium adire potuiſſe! 4) Ex cauſſa *Apiarii*; decreverant papae romani eius reſtitutionem, ſed patres Africani contra legatum papae ſuam ſententiam ſecuti ſunt. Sic cauſſa *Bonoſi*; *Neſtorii*, ad cuius damnationem, quam *Caeleſtinus* iam praeiuerat, tamen concilio *Epheſino* opus fuit: ſic *Eutychetis* cauſſa habuit; tria capitula, contra *Vigilium*, *quinta* ſynodus damnauit. *Gregorius* M. extollit concil. general. auctoritatem. Synodus *ſexta Monotheletas*, in concil. *lateran.* a *Martino* I. iam damnatos, tamen denuo cauſſa cognita damnauit, cum ipſo *Honorio*; Synodus *octava* non ſummatim prohibet, ſententiam dici de romana eccleſia, in ſynodo vniuerſali; ſed tantum, ne *audacter*. *Leo* 3 in cauſſa de *filioque*, cum gallicanis Epiſcopis: ego me illis (conciliis vniuerſalibus) non praeferam, ſed et abſit, vt me coaequare praeſumam. Sic porro §. 5. Reſpondetur (nomine *pariſienſium* theologg.) obiectionibus Bellarmini et anonymi contra ſummam concil. auctoritatem: longiſſima eſt diſputatio, quae romanis ipſis ſtudioſam, qua olim aduerſus maiores noſtros vtebantur, laruam detrahit. §. 6. Decretum ſeſſionis 4. *genuinum*, integrum, inuiolatum ad nos peruenit; aduerſus *Schelſtraten*; fortius adhuc multa hic dicuntur et copioſius, quam a *du Pinio*. Illa pars, *ad fidem*, excidit alicubi typographorum vitio; in MStis non deeſt; in *baſileenſi* autem *quinquies* in publicis ſeſſionibus, et in reſponſione ad *Eugenii* oratores, (incipit, *cogitandi*) repetitur, &c. §. 7. Decreta ſeſſionis *quintae* Conſtant. de auctoritate conciliorum ſupra romanum pontificem, cum *debita deliberatione* et conſentientibus omnibus, edita. Falſum eſt, proteſtatos eſſe *Francicos* legatos; repetita ſunt decreta illa, quod ad rem attinet, in ſanctione *pragmatica Caroli* 7. §. 8. Synodus conſtant. ſufficientur *eccleſiam vniuerſalem* repraeſentabat, vt eius decreta omnes fideles obligarent. Artic. II. Iſta omnia non de ſolo ſchismatis tempore intelliguntur a Clero *gallicano*. Artic. III. Eorum ſententia improbatur, qui decreta ſeſſionis *quintae*, vt minus confirmata, robore carere exiſtimarunt. Prohibitio (*Martini* V.) appellationum ad concilium, non de *quibuscunque*, ſed de temerariis, ſine iuſta cauſſa, intelligitur a theologis pariſienſibus. Hic multa frugifera colliguntur. *Diſſertatio* V. de mente concil. *conſtant.* circa poteſtatem eccleſiae, in temporalia regum. Nihil hic conſtitutum, quod maieſtatem eorum minuat, aut eccleſiae in temporalibus vel indirecte ſubdat. In ſumma rei facile pleraque con-

veniunt,

veniunt, quae disputata sunt in frugifero libro, *Apologia* pro *Ioh. Gerſono*, pro ſuprema eccleſiae et concilii generalis auctoritate, atque independentia regiae poteſtatis ab alio, quam a deo; aduerſus ſcholae pariſienſis et eiusdem doctoris chriſtianiſſimi obtrectatores; (quos inter *Bellarminus* praecipuus;) per E. R. D. T. P. lugduni batauor. 1676. 4. *Prima* pars: definitio eccleſiae; decretum ſynodi *conſtant.* de immediata eccleſiae et concil. gener. auctoritate ſupra papam; quorum affinitatem cum legis naturae principiis demonſtrat. *Secunda* pars: de cauſis et principiis eſſentialibus ariſtocratici regiminis, (in *conciliis*) conformiter ad SS. oracula et praxin eccleſiae cathol. *Tertia* pars: de primatu Petri, ſacris electionibus, hierarchico ordine, paſtorum reſidentia, et immunitatibus eccleſiaſticorum. *Quarta* pars: de eccleſiae (quae habitat in politia temporali, tamquam in proprio ſubiecto) poteſtate in res temporales, ac viciſſim de regum et poteſtatum ſeculi auctoritate in eccleſiaſticos; (hi praeſunt tantum in ſpiritualibus; Rom. 13 analyſis; dominium et vſus gladii erga omnes nemine demto, vni et ſolo politico principi competit.) Multa fortiſſime aduerſus *totatum* et *potentatum*, cuius auctor fuit *Gregor.* 7. dicuntur; et p. 259: — — in cauſſa ſunt, vt permulti *tacite* chriſtianam religionem (iſtam ſcil. illepidam, inſanam, impoſtorum inuolucrum, licebat) *abiurent*, omniaque hodie plena ſint *Deiſtarum;* et his annis *Caeſar Vaninus* neapolit. cum X. XI. ſodalibus — — Sed iſta ſuffecerint ad meliorem cauſſae ſatis amplae cognitionem promouendam; addo tantum iſtum libellum, *diſſertation hiſtorique et theologique*, dans laquelle on examine, quel a été le ſentiment du concile de *Conſtance* et des principaux theologiens, qui y ont aſſiſté, ſur l'Autorité des Papes et ſur leur infallibilité; par le Pere Dom *Mathieu Petitdidier* abbé de S. Pierre de Senones. *Luxemburgi* 1725. 8. *Benedicto* 13. dicauit auctor; multa obſeruauit, quibus in noſtram partem bene abuti poſſumus. *Gerſon* diſtinxit eam eccleſiam, de qua Symbolum apoſtolicum loquitur, (Sancta, catho-

catholica), ab illa romana, apoſtolica, *particulari*, in catholica illa *incluſa*; in catholica ſunt probi et iuſti; in apoſtolica romana peccatores, p. 21. *Jean Huß* n'étoit pas fort éloigné de ce ſyſtème (*Gerſonii*) qui rend *inviſible* l'Egliſe catholique. P. 23. doctrina *Gerſonii* de eccleſia et Papa eſt ſatis ſimilis *doctrinae*, quae in propoſitionibus *Wicleſi* damnata eſt; ou plutot une *identité* de doctrine. *Gerſon*: deuoluitur conuocatio concilii (ad emendandam curiam romanam, ſchisma componendum &c.) ad imperatorem, reges, principes, ciues, agricolas, vsque quo deveniretur ad *minimam vetulam*, p. 25. Decretum ſeſſionis quintae refert tantum ad eius temporis indolem, et iſtum ſtatum eccleſiae; (nempe locum habebit etiam alio tempore, quo de male compoſito eccleſiae ſtatu ſimiliter ſentient reges &c.

Concilia prouincialia et minora.

Plura *concilia prouincialia* inde ab initio ſeculi in *Germania* coacta fuerunt, ſed nullius fere liberalis emendationis miniſteria ſuppetebant. In *Bohemia* a. 1405 *Pragae* ſynodum prouincialem fieri iuſſerat *Innocentius* 7. a *Sbincone*, quia multi ad obedientiam *Petri* de *Luna* transibant; ſed ignoramus, vtrum morem geſſerit; occaſionem autem facile hic perſpicimus, omnino quaerendae libertatis. An. 1406. *Hermannus Cornerus* (in *Eccardi* corpore tomo 2. p. 1101.) ſcribit, *ſynodum* ipſo praeſente, in vrbe *Hamburgenſi* celebratam fuiſſe, in qua fratribus *minoribus* obiectum fuit, quod in vrbe *Lubicenſi* praedicarint: quicunque veſte monachica minoritarum amictus moreretur, eum certo beatum fore; S. *Franciscum* enim (aliquis addebat,) quotannis caelo delapſum e purgatorio eripere ſuos. Concil. *Herbipolenſe*, 1407. conſtitutionum 29. c. 17. ne vllus presbyter ſine ſcholare reſpondente in miſſa, celebrare audeat; C. 22. index feſtorum; paſch. et pentecoſtes, cum tribus diebus; ſed *natiuitati* Chriſti hoc non additur.

C. 24.

C. 24. contra Iudaeos. C. 25. haeretici *quater* per annum excommunicantur. *Synodus dioeceſana Halberſtadienſis*, 1408. de clericorum tonſura, veſtibus, calceis &c. ne in tabernis bibant; ne concubinas habeant &c. (*Synodus*, etiam *pragenſis*, contra Wiclefum.) Synodus *Herbipolenſis* 1411. ſtatuta 7. contra *focarias;* de decimis &c. Synodus *Paderbornenſis* 1411. in qua *Gobelinus Perſona*, epiſcopi iudex, aduerſus coenobitarum *Abdinghouianorum* machinationes queſtus fuit (*Cosmodrom.* C. 92.) Mandatum Epiſcopale per *Wilbrandum* ep. *mindenſem* 1411, 28 Sept. quia *mindenſis* eccleſia ob plurima crimina capitalia, contra naturam, homicidium, crimen falſi — quaſi per infinitum corruptibiliter in capite eſt in membris, malignizata, ſcandalizata, dehoneſtata — in loco capitulari *canonicos* monuimus — ſed has monitiones nihil curant — Articuli X, in Synodo *Magdeburgenſi*, *Ottoni* epiſcopo *Hauelberg.* oppoſiti, 1412, contra cultum praetenſi ſanguinis in *Wilsnak.* Honori aep. magdeburgici hic ſatis cautum eſt, vel his articulis; (inuocant ibi: *ſacer ſanguis adiuua me;* de cera candelae ſignantur fideles &c.) *Synodus* dioeceſ. *Miſnenſis* 1413. Cap. 15. C. 3. clericus publice non chorizet aut ludat; ſi quis voluerit vti, pro cauſa ſolatii, hoc non prohibemus. C. 8. nemo religioſus admittatur in *terminarium*, ſine noſtris litteris. C. 15. in ſcholis, praeterquam in ſtudiis priuilegiatis, libros ſacrae paginae ac iuris canonici non legant aut declarent, ſed contenti ſint in ſtudio liberalium artium; expoſitores vero *euangeliorum*, ſequentiarum, et hymnorum, prout moris eſt, in ſcholis *materna* lingua exponere non prohibemus. Synodus *Olomucenſis*, in oppido *Wiſchau*, 1413. Capp. 13. C. 1. quidam clerici peregrini et laici per illos ſeducti — ſcandaloſe praedicant, ſummum pontificem non poſſe excommunicare; quod bona clericorum male viuentium, poſſunt rapere — C. 2. ne ſacerdotes ſoli; aut cum pueris reſpondere ipſis non valentibus celebrent, — quidam decani rurales chrisma per laicos leues vel pannoſos recipi et portari procurant,

qui

qui illud interdum vendunt, ex quo ſortilegia — Cap. 7. vt in villis *ſcholae* non habeantur; ſed in oppidis, quia furari diſcunt pauperes ſcholares. Cap. 11. hoſpitalionarii et quaeſtores *falſas litteras* paparum aut epiſcoporum proferunt. Cap. 12. cum ſynodus infra annos 30 non fuerit celebrata — ſingulis annis poſt Feſtum *Mauritii* celebretur. Synodus *Auguſtana* 1414, *Anſelmi*, qui Auguſtanos interdicto ſubiecit, vt poſſeſſionem epiſcopatus contra *Fridericum*, quem *Sigismundus* apud *Ioh.* 23. tuebatur, ſibi vindicaret; vterque a *Martino* reiectus, a. 1421. (Concil. *Conſtantienſe Harzhemius* iuſto negligentius deſcripſit, tomo 5. conciliorum *german.*) *Wormatienſis*, dioeceſana, qua feſtum *viſitationis* Mariae, et S. *Trinitatis*, in octaua pentecoſtes, celebrari praecipitur. *Warmienſis*, 1415, cui ceteri in *Pruſſia* epiſcopi interfuere; contra *Wiclefitas;* qui eccleſias non frequentabant, ſacramenta irridebant &c. *Tornacenſis*, 1416. cuius acta in ſynodo 1481 repetuntur. *Wratislauienſis* 1416; contra concubinas clericorum; eis nihil legari poteſt; contra tabernarios, poena 3 marc. argenti; ne conuiuia in animarum commemorationibus, quas *ſtipas* vocant, faciant; ne *euchariſtia* in poſterum exponatur; — ſacramenta quidam non adminiſtrant, niſi certis denariis datis; §. 6. Vt ſacraria non lignea, (quae incinerantur) ſed de lapidibus fiant, ſicut corpus chriſti mortui in petra fuit ſepultum; §. 8. vt clerici diebus dominicis et aliis, omnes interſint proceſſionibus, ſub poena vnius *groſſi* vſualis; §. 9. vt quilibet plebanus ruralis ad minimum tres miſſas per hebdomadam; altariſta autem, ſaltim vnam legat; non licet copulare, bannis non praemiſſis. *Encyclicae* moguntinae, ad clerum mogunt. 1420, contra concubinas clericorum; quia nulla huc vsque medela ſuffecit. *Synodus Lubecenſis*, 1420; capitula 35. contra concubinas; ne *quaeſtionarii* admittantur, ſine noſtris litteris; ne confeſſiones in cameris et locis ſuſpectis audiantur; vt baptiſteria ſub clauſtro debito ſint; ne plures, quam *tres compatres* aſſumantur; vt qui-

libet presbyter tres missas celebret; pro viuis, mortuis, et pace. Concil. *Pragense*, Hussitarum, 1421, sub *Conrado* aep. Cap. 1. Explanatio fidei; sicut *primitiua* ecclesia docuit; et omnia decreta, statuta, sancta, rationalia, ecclesiae primitiuae. C. 2. Electi sunt 4 idonei viri, gubernatores, directores in spiritualibus; e quibus vnus Iac. de *Misa*. C. 3. Omnes sacerdotes totam legem Domini *scriptam*, saltim nouam (N. T.) habeant et discant, in se aliisque promoueant. C. 4. nouitates absque ratione non inueniendas. C. 5. Tam sub forma panis, quam vini, totus dominus Iesus Christus, verus deus et homo, cum suo proprio corpore et sanguine nobiscum est, sua praesentia reali; sic populo nuntient. C. 8. Circa ministrationem *sex* (ceterorum n. 11.) *sacramentorum*, Eucharistiae, quasi virtus et confirmatio eorumdem, non deferatur. C. 10. Omnia peccata mortalia toto conatu, in se et in aliis, diligenter et pro posse dissipare debet. C. 11. Nemo pecuniam pro 7 sacrament. recipiat; non cohabitare sacerdotem cum mulieribus. C. 18. de confessione auriculari non prohibenda, nec satisfactionis remedia. 19. Solitis modis vngendi, interrogandi, exorcizandi, baptizent; et baptizatos mox, si idonei sunt et cibi capaces, communicent. C. 29. Clericus ad horas canonicas est obligatus, cui tempus et locus facultatem dant; nisi meditatione, studio et legendo, aut alia vtiliore necessitate sit praepeditus. Si quis otio vacauerit, sit anathema. C. 22. Propter pericula aliqua futura euitanda, circa ritus eccles. illa, quae sunt rationabiliter ex certis caussis omissa in communitatt. *pragensium*, habeantur pro omissis: nisi magis rationabilis et magis vtilis caussa interueniat, pro tali ritu *resumendo*; — *protestantes* in his omnibus, quod per illa statuta in nullo fidei orthodoxae d. n. I. Christi intendimus derogare. Nempe istarum partium statores (post Aepiscopum Ioh. *Przibra*, *Procopius* e Pilzna, *Iacobus* ille, et *Ioh.* e *noua* ciuitate;) quasi viam mediam ire instituebant, inter strenuos *Hussitas*, seu *Thaboritas*, et Romanos: vt

eo

eo facilius inuenirent, qui ipſis non grauiter aduerſarentur; quod fere patet ex *Epiſtola Conradi* et *Baronum* Bohemiae, ad principes (*ſex ciuitatum*) *Luſatiae*, 1421. Epiſtola *Martini* 5, qua cruciatam indicit contra *Wiclefitas* et *Huſſitas*, 1421, ad Cardinal. *Branda;* alia ſimilis, ad Aep. et electores, principesque *Germaniae;* etiam in Belgio, prope *Duacum*, haereſi *bohemica* infecti coierunt; pars ad eccleſiam reducta, alii rogis impoſiti; quorum exitio publica ſalus conſtituta fuit, iudice *Raynaldo*, 1421. n. 9. Synodus prouincialis *moguntina* 1423, ſtatuta 17; monitu Papae; contra *Huſſitas;* pro emendatione cleri; deliberatio, quae in proximo concilio *Papienſi* proponenda ſint; pulſetur qualibet feria ſexta, magna campana in memoriam paſſionis Chriſti; et omni die, in memoriam compaſſionis Mariae, cum ſtaret iuxta crucem, pulſetur tribus vicibus campana, quae ſub occaſum ſolis, pro ſalutatione virginis, pulſari conſueuit; vt ipſa, quam *filius eius nihil negans ſemper honorat*, pro nobis intercedat. — indicitur aliud concilium, in futurum annum — *Prima* matricula cleri germanici, 1422 Norimbergae, cenſi ad milites ſufficiendos; haſtatos et ſagittarios. *Mogunt.* 50 haſtatos (*Gläuen*) &c. Synodus prouincial. *colon.* 1423. vt clerici *focarias* remoueant; (*publice, notorie* tales, vid. n. 8. iura et iurisdictiones ſuffraganeorum laedere. non intendebamus.) nec filios, filiasque vel concubinas dotent de patrimonio crucifixi; 4. contra eos, qui abrogant pias obſeruantias, pia fidelium deuotione introductas, non absque ſcrupulo haereticae prauitatis; inhibendo, ne tempore exequiarum, in *ſeptimis*, *triceſimis*, *anniuerſariis* parochianorum defunctorum, aut alias, quocunque tempore, panes, carnes, caſei, piſces, vinum, cereuiſia, candelae, denarii, offerantur — 5. *Stationariorum* ſeu *quaeſtuariorum* officia ſolis ſacerdotibus concredenda; 11. Mariae laudes, etiamſi omnes arenulae maris in linguas conuerterentur, depromere nequirent; — — itaque, vt haereticorum Huſſitarum, qui imagines crucifixi et Mariae comburunt, perfidia retun-

datur: *festum* commemorationis *angustiae* post domin. *iubilate* feria sexta, ordinamus. *Synodus* prouinc. *Trevirensis;* contra fornicarios, ne de *stipendio crucifixi* &c. contra impostoras quaestuariorum, qui poenas a sanctis comminantur; 6. contra fraudes quorumdam confessorum, qui plus lanam quam oues diligunt. Encyclica *Conradi*, aep. Mogunt. hortatoria ad bellum *hussiticum;* cum plenissima *peccatorum remissione;* Encyclica S.R.I. principum, ad conflandum exercitum contra *Hussitas; quatuor* exercitus diuiduntur. Concil. *Parisiense*, per Aep. *Senon.* 1429, 40 decreta, de disciplina eccles. *Dertusanum*, siue *Tortosanum*, in catalaunis, per legatum apostol. decreta 20, de restituenda disciplina. *Conradus* aep. mog. conuocat Synodum prouincialem, *Aschaffenburgi* habendam; 1431, vt praeparari possint necessaria, ad *Basileense*. *Argentinense* concil. 1435, capitula 106. plurium Epp. §. 16. ob primam missam in eccles. *argentin.* non raro lites et conuitia oriebantur — 58, abbates, abbatissae, praelati ne fiant aliorum compatres, aut saltim nihil dent; 87. pro reformatione monasteriorum feminarum — — ad substantialia religionis *de necessitate salutis* omnimode tenentur. Sex alia monasteria negabant suas antiquitus sic teneri; 99, cum mos sit, vltra 5 solidos vsualis monetae non legari: istum deo odibilem morem et animabus inimicum, reprobamus; 103, quilibet moriens clericus ex antiqua consuetudine argent. legat episcopo saltim *fertonem.*

Concilium Salzburgense.

Reformationis quaedam sed vana imago iam continuari videbatur aliquot conciliis prouincialibus. *Salzburgense*, sub *Eberhardo*, Aep. praesentibus 5 aliis *ratisbon. Frisingensi*, *Chiemensi* &c. et legatis *patav. brix. gurzensis*, abbatibus et praelatis; an. 1420. *Harduin.* tom. 8. p. 958 seqq. I. De *trinitate*, nihil aliud credendum et docendum, nisi quod *romana* credit ecclesia; *articulos* fidei *principales*, praelati doceant *laicos simpliciter* credere

dere, ſicut eccleſia, (licet ignorent, nec ſcire vmquam poſſint, quid credat eccleſia;) clericos vero, explicite et diſtincte. — Sacerdos quantumcunque pollutus, non poteſt polluere ſacramenta. II. De Conſtitutionibus; concilium prouinciale, et ſynodi dioeceſanae, habeantur, de emendatione praeſertim in clero agatur, et *monaſteriorum*, heu nimium *collapſorum*; capitula prouincialia per triennium. VI. *De filiis presbyterorum;* ne ſine diſpenſatione admittantur. X. De officio ordinarii; doceat ſacerdos quilibet plebem, vt cum in miſſa *leuatur* hoſtia ſalutaris, deuote quilibet flectat genua vel reuerentur ſe inclinet; etiam cum portat eam presbyter ad infirmum, — *nola paruula et lumine*, vt ex hoc *fides et deuotio* apud homines augeatur. — clericorum concubinatum prohibeant, nimium ſcandaloſum; — feſtiuitates SS. nimis multiplicatas reſtringant — XVIII. de *concubinatu* clericorum. XXXII, cum nonnulli *Wicleſiſtarum* et *Huſſitarum* haereſibus et erroribus infecti, ſub agni ſpecie gerendo lupum, prouinciam noſtram intrantes — XXXIII. vt *Iudaei* pileum cornutum portent; ſexus autem muliebris nolam ſonantem in aliqua ſui corporis parte deferat. XXXIV. De habitu mulierum; ne caudam faciant in modum aſpidis, ac ſi ante et poſt facies habeant monſtruoſe. Statuta per Iohannem praepoſ. et Archid. Salzb. edita 1 — 59, e variis conciliis et iſto prouinciali. Statuta Synodi prouincialis in *Caliſch*, gneznenſis dioeceſ. 1420. pag. 991, ex bibliotheca Baronis de *Noſtitz*, Mſ. in Sileſia.

Concilium Baſileenſe.

Liceat diſcedere interea a minoribus ſynodis, vt *Baſileenſis* concilii frugiferam deſcriptionem hic inſeramus. *Conſtantienſ.* concil. ſeſſ. 44. iam indictum erat poſt quinquennium aliud concilium. A. 1423. igitur *Ticinum*, ſeu *Papiam*, praemiſſi a Martino, Aep. cretenſis, ep. Spolet. abbas quidam, et magiſter ordin. praedicatorum; pauci alii eos ſecuti. Menſe Maio initium fuit; ſed vix tres ad-

venerant e transalpinis; (licet papa ad *trevir. mogunt.* et alios episcopos litteras dedisset; *Raynald.*) lues praeterea pestifera, quae ibi grassabatur, facile persuasit, vt *Senam* post 2 menses transferretur concilium. Confirmata hic sunt ea, quae aduersus schisma et haereses nuper acta fuerant; de Graecis ad vnitatem ecclesiae adducendis, frustra agebatur; acta legationis Ant. *Massani* habentur cum concilio *Senensi.* Indulgentia iis promissa, quasi in terram sanctam profectis, quoti quique haereticos potestati inquisitorum traderent, vt *Bonifacii* 8. constitutio praeiuerat. Hoc concilium, *vniuersalem ecclesiam* se repraesentare dicit; quo nomine (*generale*) et papa vsus est; ita et a *basilcensibus* dicitur, sess. 2. ab *Eugenio* 4, in constitut. *Dudum;* itaque, quia conueniat definitio *Gersonii*, (de potest. ecclesiastica consider. 12.) *Natalis Alexander* etiam inter oecumenica referri iubet. Sed cum et pauci accederent extra *Italiam*, et *Alphonsus*, rex Aragon. papae infensus esset, ob *Ludov.* andeg. sibi praelatum, atque vel *Petri* de *Luna* causam instauraret, legatis eam in rem huc missis: papa concilium dissoluit, atque post septennium *Basileam* indixit. Est autem hoc non praetereundum, ipsum papam concilio huic non voluisse interesse; reformationis tamen studium bonis verbis, vt potuit, prae se tulit; lege quidem lata, (*Raynald.* 1424, 5.) ne ii, qui ad concil. venerant, ex tunc in posterum vel *nationaliter* se congregarent, vel procederent *ad aliquem actum quo* hoc *concil.* videatur *continuari* — aliter, cuiuscunque status vel ordinis, etiam patriarch. aepisc. — excommunicationem incurreret ipso facto &c. Haud patet, an Papae fuerit eximium atque ingenuum studium reformationis promouendae.

Martino, qui *Iulianum* praesidem concilii destinauerat, vt belli etiam procuratorem, successerat *Eugenius* 4, atque hic, ne deesse videretur officio, *Basileae* concilium 1431, per 2 a Iuliano delegatos ad praesidendum, inchoari iussit; ipse satis eius consilii certus, quod in pectore fouebat. *Iuliano*, quem confirmabat legatum, etiam *dis-*

sol-

ſoluendi concilii poteſtatem, prouide impertiit; venerant illi delegati 19 Iul. *Baſileam;* poſt menſem ipſe *Iulianus*, qui *Bohemos* etiam inuitauit &c. *Acta* huius concilii varie collecta et edita; per *Panormitanum*, qui interfuit; *Aeneam Syluium*, qui idem adfuit; collegit et *Orthuinus Gratius*, in Faſciculo iſto; *Spondanus* duplicia acta *pariſiis* adhibuit; altera, ex collegii *nauarrici* bibliotheca, collecta a doctoribus, qui aderant, multae fidei; altera, ex regia bibliotheca, per *Auguſtinum Patricium* concinnata, excerptaque e maximis duobus codicibus *Baſileae* adſeruatis, quos ſcripſerat *Ioannes*, Segobienſis, Card. S. Calixti. Vid. Tom. 9. *Harduini* p. 1081 ſeqq. In actis concil. *Florentini*, editis per Horat. *Iuſtinianum* 1638, Romae, parte prima, (quae ante concil. *Florentinum* geſta fuerint,) multa habentur, quae tam diſtincte non leguntur in aliis. Concilium fere 18 annorum fuit; *Eugenius* ſtatim ab initio diſſoluere cupiebat reuocato *Iuliano; Bononiam* concil. indixit; videtur enim non nihil inaudiiſſe, vnde verebatur praeiudicium apoſtolicae ſedis. Atque ſic 3 fere anni diuiſis in ſententiis elapſi; *Sigismundi* opera, qui Papae reſtitit, concordiae quaedam ſpecies, per annos paene quatuor reducta; multa ſalubria fuerunt ſtatuta; *conciliares* ſenſim multa ſibi recte arrogarunt, vt ſupra papam eſſent; de qua re ſatis luculenter *Natal. Alexander* diſſertatione 8. art. 3. Hic deſcribit hoc argumentum: „quamuis *Eugenius* 4. *baſil.* concilium ſtatim diſſoluere tentauerit, ſtetit tamen illius, cou *oecumenici* concil. inconcuſſa et Eugenio ſuperior auctoritas, donec *Ferrariam* translatum eſt; conciliique conſt. decreta, de ſuprema conciliorum generalium auctoritate, non ſolum *ſchismatis*, ſed quouis tempore, a *Baſileenſi* egregie explicata ſunt, et inuictiſſimis argumentis et decretis *totius mundi reuerentiam poſtulantibus*, confirmata.„ Diſſuaſit et *Iulianus* diſſolutionem ſatis fortiter; concilium autem litteras encyclicas ſcripſit 1432, menſe Ianuario, adverſus falſos rumores, de concilii diſſolutione; gallicanus autem clerus *Auarici* Biturigum congregatus, luculenter,

fauit concilio continuando, et regis *Caroli 7* opera *pragmatica* sanctio eam rem feliciter prouocauit. Intelligimus iam *basil.* sess. 2. declarationem: Synodum generalem potestatem immediate a Christo habere, cui vnusquisque, etiamsi *papalis status*, obedire teneatur; quod sessione 3 ita confirmatum fuit, vt etiam *Eugenium* admonuerint, vt praetensam dissolutionem reuocet, et reuocationem per diuersas mundi partes publicet, *intra tres menses* vel ipse accedat vel mittat legatos cum plenaria potestate; *alioqui*, prout iustum fuerit, Synodus — necessitatibus ecclesiae prouidere curabit. Atque ista eadem, sessione 18 repetita fuerunt, postquam *Eugenius* synodum in integrum restituerat; quam ob rem nullius momenti omnino sunt, quae Cardin. *Ioh. de turre cremata* opposuit; aliter nec priores sessiones synodi *tridentinae* valerent, quibus nondum omnes interfuerunt Episcopi, (praecipue *gallici*, *germani*,) oratoresque regum; vt iam respondit *Nat. Alexander*. Sessione 4, *Bohemis* commeatus concessus; si sedes romana forte vacaret, electionem noui pontif. tantum in loco concilii fieri; nouos iam cardinales nullos creari; *sigillum* etiam concilii effictum: missio Spir. Sancti, in columbae specie; in altero latere: *sacrosancta Synodus basileensis*. *Auenionis* regimen hispano cardinali commissum. Sessione 5 cautum: vt nemo ex conciliaribus pro quacunque caussa, synodo durante, ad romanam curiam euocari queat; si contrarium attentatum fuerit, per quemcunque, *etiam summi pontificis auctoritate*, irritum et inane fore. Iam comoediae instar subnatum; *Eugenii* quatuor nuntii adueniebant; *Andreas* aep. coloss. copiosissima oratione obedientiam in papam persuadere studuit, ne Graeci tam siniſtro exemplo papam eo facilius spernerent; *Iohannes*, tarentin. episc. similiter eximie dixit pro papa: hunc solum *vete in altum ducere*, seu in disputationum profundum se immiscere; admiratione magna non carere, quod hi papam *citare* ausi sint, contra *Extrau.* de *Electionibus*. Alienum esse a christiana religione, vicarium Christi mole-

stia

ſtia afficere; papam ipſum hoc velle, vt *reformatio* a perſona ſua inchoetur, a tempore tenerae iuuentutis, protendaturque ad reliqua totius romani cleri membra; demum ad alios mundi principes et praelatos; de loco tantum et dilatione diſſentire &c. Concilii nomine non minus eleganter fuit reſponſum, menſ. Septembri 1432: *ne* papa *contriſtare* audeat *Spiritum ſanctum;* concilia ſacra, ſpiritu S. regi; hoc peccatum eſſe grauiſſimum, cum non in vnam perſonam et gentem, ſed in totum corpus Chriſti myſticum perpetretur. *Eugenio* inculcanda eſſe illa verba, quae oratores eius repetierint, *non ſit ſchisma* in *corpore*; ſi ſit ſciſſio in eccleſia, eius auctorem eſſe Eugenium. — Graecorum conuerſionem concilio non minus cordi eſſe; rogari igitur *coloſſenſem* aep., vt legationem ad Graecos cum aliis collegis ſuſcipiat — non deeſſe patribus reuerentiam in papam; ſed ſi ſegreget ſe ab eccleſia, numquid et ipſi tacebunt vt muti canes? — S. Pauli exemplum non ſequentur, qui *reſtitit Cephae in faciem?* Graecos et *Baſileam* venturos, cum olim *Lugdunum* adierint — *Tarentino* non contradicunt de primatu papae; ſed illum tamen teneri *obedire ſtatutis*, ordinationibus, praeceptis, huius general. concilii *baſileenſis* et cuiuscunque generalis alterius concilii legitime congregati, — comparari auctoritatem concilii, auctoritate S. ſcripturae — papa eſt caput miniſteriale eccleſiae, non tamen eſt maior totâ eccleſia; *parculares* eccleſiae et ſingulares homines papae obedire debent, niſi in his, quae huic et alii Synodo praeiudicium generent. — Saepe papa errauit; ſed reliquum corpus etiam papa errante, erraſſe, non legimus. (Simillima iſta diſciplinae *Wicleſi;* adeo veritas fructibus non caret;) Lectu digna eſt haec *ſynodalis;* habetur, pag. 1317 – 1343, tomo 8 *Harduini;* plurium doctorum graues ſententias refert *Natal. Alexander* diſſert. 8. n. 18 ſeqq. *Seſſione* 6. promotores concilii papae contumaciam accuſarunt; Seſſ. 7, repetitum eſt decretum, papam non extra locum concilii eligendum eſſe; cardinalium contumacium beneficia, nulla

ratione habita reseruationum sedis apost. permissa ordinariorum collationi. Sess. 8, papae terminus dictus; nisi intra LX dies aliam mentem indueret; omnes promotiones infra hoc tempus irritas fore; cardinales, Aepp. episcopi iussi ad concilium venire; vti vna est ecclesia sancta catholica, sic vnum tantum concilium generale eam repraesentans; *schismaticum conciliabulum* igitur fore, non aliud concilium; poena *Core*, *Dathan*, *Abiram* &c. Sessione *nona*, 1433. Synodus *Sigismundum* et *Wilhelmum*, Bauariae ducem, contra papae sententias protegere spondet. *Decima*, papa *contumaciae* accusatus, in valuis publicis. Iam papa illo diplomate, *ad sanctam Petri sedem*, consilio suo abiecto, mandauit, vt omnes ad concil. *Basileense* venirent; concilium autem non annuit legatorum romanorum precibus, vt *Bononiam* transferretur synodus; cum *Bohemis* vero *Basileae* antea ageretur. *Vndecima*, decretum *constantiense*, (Frequens &c.) explicatum: vt papa aut ipse aut per legatos *generalibus conciliis* interfit; etiam ecclesiastici alii, quorum sit, conciliis interesse. Si neglexerint, aut concilium impedire, et dissoluere tentarint, atque intra 4 menses ecclesiae non satis fecerint: ex tunc *romanus pontifex* a *papali*, et praedictae personae a suarum dignitatum *administratione* sint ipso facto suspensi; *papalis administratio* ad concilium ipso iure deuoluatur. — ne *ante completam reformationem in capite* et in membris dissolutioni consentiant patres. Atque hic praecipue lectu digna est *responsio* synodalis, ostensiua, *non esse acceptandas* litteras *Eugenii* de sua praetensa dissolutione, quodque articulus de dissolutione est pertinens ad fidem, num. 4 inter Epistolas Synodales pag. 1343 *Harduini.* — etiam facultas, (quam *Eugenius* nouis iam legatis dedit,) nos mirari compellit: in qua *negotia quaeque* per dictos praesidentes expedienda mandantur cum *consilio* concilii; nempe, quasi episcopi non *iudicum*, sed consiliorum personam tantum gererent. *De iudice fiet consiliarius?* quid, si praesidentes nihil eorum, quae ad fidem vel ad *generalem refor-*

reformationem pertinent, agere decreuerunt? Secundum *conſtant.* decretum, non ſolum praeſidentes *ſed et papa obnoxius eſt* praeceptis et decretis concilii.

Seſſio 12. induciae *Eugenio* dantur 60 adhuc dierum futurae; ſeſſ. 13. *contumaciae* tertium poſtulatus fuit; litteras interea plures *apologeticas* (et ſeſſionis. XII. decretum nullum declarauit;) ſcripſit *Eugenius*, quia concilium omnino poſtulabat, vt papa omnibus adhaereret ſimpliciter, vt Synodo inferior. Seſſ. 14. *Eugenio* terminus 90 dierum prorogatus. Seſſ. 15. vt ſingulis annis ſemel ſaltim *dioeceſana ſynodus* celebretur; intra *biennium* vero poſt concilium, *prouincialis;* inde per triennium. Seſſ. 16. declarauit Synodus, lectis *Eugenii* nouis litteris, (*Dudum ſacrum generale baſil. concilium* &c.) ipſum plane ſatisfeciſſe monitis, citationi, et poſtulatis concilii. Nempe omnia approbauit; diſſolutionem ſuam reuocauit; tres bullas abrogauit (1. *inſcrutabilis.* 2. In *arcano.* 3. *deus nouit.* in qua dixerat, *ſupra concilium* papa eſt;) Poſtea tamen in concil. *Florentino* ſic callide explicauit, *continuationem* ſe approbaſſe, non vero *decreta* iam prodita. Longam refutationem aduerſus cardinalem a *Turrecremata* ſcripſit *Nat. Alexander.* Seſſ. 17. admiſſi legati romani, poſtquam iurauerant pro decretis *conſtant.*. Seſſ. 18. decreta *conſtant.* ſeſſ. 4. 5. renouata. Seſſ. 19. de *Graecis* actum, quorum legati aderant; ſcripſerat ſuperiori anno *Ioh. Palaeolog.* ad ſynodum; etiam de *Iudaeorum* converſione tractatum. Seſſ. 20. contra clericos *concubinarios.* Seſſ. 21. contra ſimoniacas exactiones; – ſi *romanus pontifex* aduerſus hanc ſanctionem faciendo eccleſiam ſcandalizet, generali concilio deferatur. Seſſ. 22. libellus *Auguſtini* de Roma, nazar. aep. ex ordine *Eremitar. de Chriſto et eccleſia* inſcriptus, damnatus fuit, tamquam erroneam in fide doctrinam continens; (e. c. Chriſtus quotidie peccat, et ex quo fuit Chriſtus quotidie peccauit; nempe, *in membris* intelligebat.) Seſſ. 23. de forma electionis pontificis romani; cardinalium creatio, eorum dotes.

Seſſ.

Seſſ. 24. pacta conuenta cum Graecorum imperatore, a ſynodo confirmata; *indulgentiae plenariae* datae iis, qui ad ſumtus graecis neceſſarios contulerint, quantum per hebdomadem aliquis expendere ſoleret. Hic poſt legatos *romanos* quidam (*Duvallius*, *Spondanus*,) reprehenderunt concilium, quia *indulg. plenar.* tantum a pontifice rom. impetrari poſſint; ſed *Nat. Alexander* luculenter efficit, *claues eccleſiae* tamquam proximo ſubiecto, datas; *Petro* autem datas, quia repraeſentarit eam, non vero vt eſt ſingularis et priuata perſona. Seſſ. 25. diſſenſio orta de loco concilii pro vnione *Graecorum*, duo contraria decreta peperit; *vnum* legatorum et praeſulum plerorumque, qui *Florentiam* et *Vtinum* deſignabant; *alterum* reliquorum patrum, qui numero maiores erant, quam dignitatibus, qui *Baſileam*, *Auenionem* aut vrbem in *Sabaudia* nominabant; impoſita *decima* eccleſiaſticorum prouentuum. Camerae. *Auenionenſi*, quae 70000 aureos florenos mutuo dederat, pro Graecorum commeatu, indulgentiae et decimae interea obligatae. Seſſ. 26. *Eugenius* multorum criminum accuſatus; in ius vocatus ad diem LX. proteſtante *Iuliano*, cardinali S. Petri ad vincula, et plerisque patribus optimis. Seſſ. 27. noua cardinalium creatio repudiata; litterae eius partis, quae *Florentiam* deſignauerat, *ſigillo concilii generalis*, (minus bona fide) obſignatae, pro falſis declaratae; prohibitum, ne *Auenionem* papa venderet. Sed hic diſſidium concilii ſatis luculentum id ſecum tulit, vt ſeſſiones iſtae 26. 27. 28. (qua papa *contumax* eſſe dicitur) non eiusdem eſſent auctoritatis, ac praecedentes; cum *Sigismundus*, et oratores aliorum principum his rebus geſtis non acceſſerint. Iam papa concilium *Ferrariam* transtulit, diplomate: *Doctoris gentium*, cal. octobr. quo die ſeſſio 28 habebatur; dedit tamen 30 dies *baſileenſibus*, ad cauſſam *Bohemorum*. Decretum Seſſionis 30, de communione laicorum *ſub vna ſpecie* ad ſeſſ. 25 retulit Auguſtin. *Patricius*; itaque *communi conſenſu* illud adhuc conditum fuerit. *Bohemorum* autem legatio, 300 equitum

(prin-

(principes *Guil. Coſca, Procopius* Raſus, *Ioh. Rokyſana*, Nic. *Galaecus*, *Petrus*, Anglicus,) ſub initium 1433 Baſileae recepta, *quatuor* articulos regni nomine propoſuit. 1. Communionem *ſub vtraque ſpecie* his, qui ſaluari velint, ſumendam eſſe. 2. Ciuile dominium clericis diuina lege interdictum eſſe. 3. Liberam omnibus eſſe praedicationem verbi diuini. 4. Publica delicta nulla ratione toleranda eſſe. Cum *Iulianus* diceret, Bohemos etiam alia docuiſſe; e. g, mendicantium religiones diaboli eſſe opus; *Procopius* publice hoc confirmauit, cachinno exceptus &c. L per dies diſputatum, inter 4 magiſtros Bohemos et concilii totidem doctores; horum orationes, (Ioh. de *Raguſio*, de *vtraque;* per 8 dies; *Aegidii Carlerii*, de peccatis publicis, per 4 dies; *Henrici Kalteiſen*, de praedicatione, per 3 dies; de dominio ciuili clericorum, Ioh. de *Polemar*, per 3 dies;) ſuperſunt in actis concilii *baſil.* tomo 8 *Harduini* pag. 1655 ſeqq. ex *Caniſii* lectionibus antiquis. Ex illa Ioh. de *Raguſio* iſta excerpimus. — 1. ab omnipotentia; — — (Ex *Innocentio* lib. 4. de officio miſſae c. 7.) illa *verbi* virtute, qua creauit; qua femina *mutata* eſt in ſtatuam ſalis; virga Moſis in colubrum, aqua in vinum — veritas hoc dixit, *corpus meum eſt*, ergo verum eſt, quod dixit. A *ſapientia;* a *bonitate* diuina. Euchariſtia dicitur *ſex cauſſis;* — quaeſtio, vtrum communio ſub vtraque, ſit vtilis, ſaluti expediens, toti credentium populo neceſſaria, et a domino praecepta? Hic quaedam proponentur neceſſaria — ſicut in ſcientiis naturalibus fieri oportet reductionem ad principia prima, indemonſtrabilia — ita et in doctrina et ſcientia fidei, quae *ſupernaturalis* eſt, ſunt quaedam principia per ſe nota, quae per alia non probantur. — quamuis plures ſint articuli fidei, tamen eſt vnus principium omnium: *credere ſanctam* catholicam et apoſt. *eccleſiam regi et gubernari* a ſpiritu S. *nec eam poſſe errare vllo modo in his*, quae fidei ſunt et *neceſſitatis ad ſalutem* — in recurſu ad ſcripturam, *duplex* dubium manet; 1) quia non pro-

procedit ex rationibus conuincentibus intellectum, oportet quod sit ex auctoritate; quae autem scripturae sint diuina revelatione traditae, sciri non potest, nisi aliquo approbante, de cuius auctoritate dubitari non possit — oportet ergo firmitatem scripturarum resoluere in auctoritatem ecclesiae; sicut Augustinus: non crederem &c. Si vero et ipsa errare posset, nil firmi in scientia diuina remaneret. 2) sacra scriptura in plerisque locis est ad intelligendum difficilis, vnde opinionum accidit varietas, ergo necesse est, habere recursum ad aliquod metrum vel mensuram, quae est in ecclesia catholica. — Inde contra negantem articulos fidei, et praecipue ecclesiam regi a spiritu S. atque sic non errare, non est amplius disputandum. Iam sequuntur *suppositiones*, de sensu scripturae; quos inter sunt regulae ad interpretandum; vltima, seu 16 est: SS. in sui receptione et expositione authentica finaliter resoluitur in auctoritatem vniversalis ecclesiae. Quantum ad speciales suppositi. de eucharistia, supponitur 1. quod in hoc sacramento sit verum corpus Christi et sanguis, licet nec sensu nec ratione possit comprehendi; sic docebat *Thomas* 3. qu. 75. art. 1. triplici ratione. — auctoritas ecclesiae, quae *semper* tenuit, tenet et *tenebit* quam diu hic mundus durabit — innumeris miraculis — *Secundo*, supponitur, quod nullo modo remanet nec remanere potest *substantia* panis et vini; quod doctor sanctus declarat in sentent. dist. X. quaest. 1. triplici ratione. 1. Est contra veritatem scripturae; Christus non dixit *cum hoc*, sed hoc; est ergo haereticum. 2. Daret locum idololatriae. 3. Impossibile est remanere; nam ante consecrationem corpus Christi ibi non est; ergo per consecrat. incipit ibi esse, vbi non erat; ergo aut per loci mutationem aut per conuersionem alterius in ipsum; sed non incipit ibi esse per loci mutationem; nam non maneret in caelo; non pertransit omnia media, sicut fit motu e loco ad locum; impossibile est, quod vnus motus eiusdem corporis localiter moti terminetur simul ad diuersa loca; corpus Christi autem in pluribus locis cum sacramento esse incipit. Ergo, per con-

conuerſionem ſubſtantiae panis; hic ergo non manet. *Tertia* ſuppoſitio: accidentia panis et vini, quae ſenſu deprehenduntur, manent ſine ſubiecto. Aliter, aut remanerent in ipſo corpore Chriſti, aut in aere, aut in aliqua alia ſubſtantia. Sed corpus (Chriſti) humanum nullo modo poteſt affici huiusmodi accidentibus; nec aer ſuſceptiuus eſt talium accidentium, non maneret idem numero accidens, ſed accipit numerum a ſubiecto; aer etiam ad motum harum accidentium depellitur. Nec poteſt dici, in alia ſubſtantia; atque hoc non eſt inconueniens omnipotentiae et ſapientiae; prima cauſſa ſubſtantiae et accidentis, deus, poteſt ſua virtute infinita accidens conſeruare in eſſe, ſubtracta ſubſtantia. Has ſuppoſ. poſui, quia ad ſequentia multum mihi deſeruient; et vt *Wiclefi* perſidiam aliqualiter aperiam. 4. 5. ſuppoſitio, ſecundum tria praedicta, (id quod eſt ſacramentum tantum, ſpecies viſibilis; id quod eſt res et ſacramentum ſimul, corpus Chriſti verum; id quod eſt res tantum, corpus Chriſti myſticum, vnitas, caritas; non ſacramentum;) triplex eſt manducatio, ſpecierum; carnis verae, et carnis myſticae; *prima* eſt pure *corporalis*, maſticatur, in ſtomachum cedit, digeritur, ſic vere manducantur et bibuntur illae *ſpecies*, *ſub quibus* veraciter continetur verum corpus Chriſti; *alia*, eſt ſumtio veri corporis et ſanguinis, *ſub ſpeciebus* illis *contenti*, et dicitur *ſacramentalis;* et fit vel in ſacrificii oblatione, duplici ſpecie; vel in *laica* ſeu ſimplici communione, quae ſecundum diſpoſitionem eccleſiae fit *ſub vna ſpecie* tantum, praedictae manducationes pertinent ad os corporis. *Tertia*, eſt ſpiritualis, et haec ad *os animae* pertinet; cogitatio paſſionis Chriſti, ſecundum quod ſub hoc ſacramento continetur, cum vero ſuo corpore et ſanguine, in quo multiplicem ſuſtinuit paſſionem; hanc cogitationem ſequitur vnio transformatiua ad ipſum cogitatum ſeu Chriſtum; per actum amoris. — — Manducatio ſacramentalis exigit ſecundam (ſpiritualem), vt ſit ad ſalutem; ſecunda autem ſola ſufficiens eſt et neceſſaria ad ſalutem; ſine prima multi martyres et paruuli ſaluati ſunt. — Com-

munio

munio ſub vtraque populo non eſt neceſſaria ex conditione, et communi lege, nec eo ſenſu, ſecundum quid, quod facilius finis poſſit obtineri; potius eſt multum inutilis populo. Sufficit vna ſpecies; probatur per legem diuinam; per praxin Chriſti, Apoſtolorum, et primitiuae eccleſiae; per ſacra generalia concilia, per dicta ſanctorum doctorum. Ioh. VI. Chriſtus de pane et manducatione tantum, XI vicibus; de manducatione carnis et bibitione ſanguinis, quater; de *vino* vero in toto proceſſu iſto non fecit mentionem. — pani, carni, *vitam* tribuit — confundunt contentum et rem cum continente, ſeu cum ſpeciebus. — Sequeretur in Chriſti ſermonibus expreſſa contradictio, ſi omnes ad vtramque ſpeciem obligati eſſent, et ipſe tam ſaepe tantum de pane aut carne loquatur. Porro ex Matth. 6. ſeu oratione dominica; *panem noſtrum*, principaliter intelligendum de pane huius ſacramenti, plurimi SS. doctores affirmant. Ioh. 1. ecce *agnus* dei; ſub vna ſpecie comeſtibili. Luc. 15, adducit *vitulum ſaginatum*, vt *manducemus*, vti *Lyra* exponit. 1 Cor. 5. *paſcha* noſtrum immolatus eſt; non dicit, immolatum eſt vinum, quod bibere debemus. In eadem Epiſtola: cum conueneritis ad *manducandum*, ſcil. corpus domini, ſec. *Ambroſium*. Ex V. T. Magiſter ſententiarum, tres figuras propoſuit; panis et vinum oblata per Melchiſed. (ſacerdotem;) *agnus* paſchalis et *Manna*; agnus ille, *ſine vino;* manna, ſine praecepto bibitionis. Populus petit 1 Regum 11, *admitte* me ad *vnam partem ſacerdotalem*, vt comedam buccellam *panis*, i. e. corporis dominici. Geneſ. 18. vt vidit *Albertus* M. de officio Miſſae, Abraham fecit tantum *panes*, non vini mentionem facit; innuitur, laicos ſolum *ad vnam* ſpeciem debere admitti. Porro: *ex praxi* Chriſti. Apoſtolis vt ſacerdotibus dedit vtramque, numquam legitur laicis dediſſe; aliter nec Matrem nec caros vtriusque ſexus excluſiſſet; potius Matth. 14. Ioh. 9. Marci 8. ſatiauit tot millia *panibus;* ille panis figuram geſſit huius panis diuini. *Lucae* vltimo, duobus diſcipulis, *Cleophae*

et

et alii, ſecundum multos doctores, dedit vnam ſpeciem. *Ioannis* vltimo, accepit *panem* et piſcem aſſum. Ex *praxi Apoſtolica;* — ſcripſiſſet aliquis apoſtolus de huiusmodi praecepto, ſine quo non eſſet ſalus hominibus· — Ex *praxi patrum;* ex legenda *Petronillae*, Petri filiae; *Hieronymi;* b. Euſebii, vt de eo ſcribit *Cyrillus* ad Auguſtin. de mirabilibus *Hieronymi.* Sic *Ambroſius* communicavit in extremis; *Benedictus*, *Gregorius* 3 dial. narrat, quod b. *Agapitus* claudum aliquem ac mutum ſub vna ſpecie communicauit et ſanum fecit. B. *Lucia* ſpiritum non tradidit, poſt gladii in guttur eius immerſionem, donec ſacerdos ei corpus dominicum traderet; idem de b. *Dominico* et *Franciſco* et in multis aliis ſanctis, habetur per omnia. *Wilhelmus* in ſacramentali refert, *Hugonem* de S. Victore debuiſſe ſub vna tantum ſpecie communicare, (cum nullum cibum continere poſſet, ſimplicem hoſtiam &c.). Principaliter probatur ex inſtitutione ſacrorum conciliorum; e libro conciliorum *Iſidori*, in ſexta Conſtantinopolit. ſynodo legitur: citra ſanguinem *caerimonias in eccleſiis* (communionem laicam ſic vocat) celebramus; longe clarius *toletanum* XI — — vidimus, quod infirmi, praeter calicis hauſtum (i. ſine calice traditum panem) traditam euchariſtiam non poterant deglutire. Concil. *Remenſe*, cap. 2. habetur de communione et conſecratione diſtinct. 11. cap. peruenit. — quidam laico et feminae tradebant ſacrum corpus, vt deferrent ad infirmos. Concil. *Wormatienſe*, in eadem diſtinctione, cap. presbyter: vt ſemper habeat euchariſtiam paratam; ſuper quo ait gloſſa: non praecipit ſanguinem ſeruare, quia opus eſſet nimia cautela. &c. — Ex conſuetudine eccleſiae, quae ex antiquiſſimis temporibus fuit vniuerſaliter in eccleſiam introducta; ſunt enim vltra 200 aut 300 annos, vel ſaltim prope, quod doctores coeperunt laudare et approbare in ſuis libris conſuetudinem *ſub vna ſpecie;* nullus potuit aſſignare temporis originem — quanta autem ſit auctoritas conſuetudinis eccleſiae romanae, oſtendit *Auguſtinus* — imprimis occurrit anti-

quiſſimus doctor, *Innocentius* de officio miſſae; *Alexander* de Ales; *Albertus* M.; B. *Thomas*, (cui imago crucifixi dixit, *bene de me ſcripſiſti!*) *Bonauentura*; *Petrus* de Tarentaſia; *Richardus* de media villa; *Nicolaus* de Lyra; *Petrus* de Palude; *Thomas* de Argentina. Sed iam ad doctores iuris canonici accedamus; *gloſſa* ordinaria diſtinct. II. de conſecrat. cap. presbyter, et III. cap. comperimus, adducit tres ſolennes doctores antiquos, *Hugolinum*, *Laurentium* et *Iohannem*; item archidiaconus; ad idem eſt *Iohannes* in ſumma confeſſorum; *Hoſtienſis* in ſumma; *Rudolfus*, in paſtorali nouello; — comparabitur ne *Iacobellus*, primus vniuerſalis conſuetudinis effractor, in perſpicuitate ingenii — in reuelationibus et inſpirationibus diuinis, tot et tantis et profundiſſimis doctoribus? Vbi eius miracula? Vbi gradus miniſterialis ſeu doctoralis, vel ſcripta et opera, ſufficientiam doctrinae teſtantia? — — Oportet, quod certa et manifeſta ſint ſigna eccleſiae; ea ſunt vnitas fidei, vnitas ſacramentorum et praeceptorum dei. — In ſymbolo dicitur, credo in Spiritum S. ſcil. dirigentem eccleſiam; eccleſiam *ſanctam*; i. e. quae non poteſt errare in his, quae neceſſaria ſunt ad ſalutem. — — in tanta varietate doctorum, (vtrum verba Chriſti, ſint *praeceptiue* intelligenda) ipſa ſ. eccleſia ab initio ſemper tutiorem et ſecuriorem partem tenuit, — ſiue Chriſtus praecepit, ſiue non praecepit — quando conſuetudo eccleſiae habebat duplicem ſpeciem, tunc nulli licebat communicare ſub vna; et ſimiliter oppoſita conſuetudine in eccleſia, ex rationabilibus cauſis inualeſcente, nulli, non conficienti, licet communicare ſub vtraque. — verbis Chriſti, *hoc facite*, iniungitur *eccleſiae* ſacramenti vſus; ſed *laicali* populo quod iniungatur vſus ſub vtraque, non probatur — quod dicit magiſter (*Bohemus*), quod multum accommodum eſſet, in materia fidei et in aliis, *conformari eccleſiae primitiuae*, quod et *Beda* dicit: dicendum, quod, ſi praxis et exemplum Chriſti non obligat ſub praecepto, multo minus praxis apoſtolorum aut primitiuae

tiuae eccleſiae; nam, non tenemur imitari Chriſtum in miraculis, nec in operibus moralibus, niſi quis ſe ſponte voto adſtrinxerit; ieiunauit XL dies, non habuit domum propriam — praxis Corinthiorum non obligat ad calicem — vt refert *Thomas* anglicus, (*Valdenſis* de ſacram. Euchar.) qui doctrinam *Wicleſi* fortiſſime, vt verus eccleſiae filius et doctor catholicus, impugnauit — hunc *Fulgentium* alii *Ambroſii* diſcipulum, alii *Waleranum*, *Iſidorum* — videtur eſſe *Berengarii* auctoritas; — — nam manifeſte ſapit errorem *Berengarii*, qui poſuit ſubſtantiam panis et vini ſimul cum ſubſtantia corporis in hoc ſacramento remanere. — ad antiqua *miſſalia* dicendum, quod continent rubricam ſecundum conſuetudinem primitiuae eccleſiae, in qua erat in aliquibus locis communio vtriusque ſpeciei quoad populum; ſed non dicitur in illa notula, quod ſic fieri debeat ex neceſſitate aut praecepto. — Eccleſia quid poſſit circa ea, quae pertinent ad fidem et regimen fidelium, videndum eſt per exemplum et experientiam; non eſt minoris auctoritatis, quam ſynagoga fuit ſub lege, quae circa diuina praecepta dispenſauit — Ierem. 35, de *Rechabitis*, patet quod etiam praeter legem dei liceat particularibus perſonis facere ordinationes, in his quae tendunt in bonum; circumciſio per XL annos omiſſa; Sabbatum a *Mathathia* non ſeruatum — multo magis licet et licebit eccleſiae catholicae et Papae, qui non eſt minoris auctoritatis, quam fuit Moſes. — eccleſia ordinauit, quod *perſonae* dicantur (pag. 1752.) in diuinis; quod mater Chriſti, dicatur *mater dei*; — ſtatuit, quod fides eccleſiae ſufficit paruulo baptizato; circa diuina praecepta mutauit eccleſia — e. c. prohibitae erant in veteri lege *imagines viſibiles*, *nec* de poſt *in ſcripturis conceſſa licentia eas faciendi legitur*; nihilominus eccleſia *edocta a ſpiritu* ſancto ſtatuit et ordinauit, vt fierent imagines Chriſti, eius matris et ceterorum ſanctorum, quibus manuducerentur homines ad memorandum eorum geſta, excitarentur ad eorum imitationem, et vt eorum ſaepius implorarent pro ſe ſuisque, viuis

et mortuis suffragia et auxilia. Sic de *sabbato* habet; nec praetermittendum est de sacramento baptismi; *in principio enim huius sacramenti* baptizabantur *solum illi*, qui per se sciebant fidem interrogati respondere; *sed postmodum*, ne paruuli subessent periculo damnationis (scil. ex sententia quorundam,) *ecclesia* prouidit circa eorum baptismum. Ecclesia mutauit non pauca circa matrimonii sacramentum; diuortia fiunt non solum ex caussa fornicationis sed ex pluribus aliis; — item in sacramento poenitentiae, quod ab Adam in paradiso incepit — adueniente veritate euangelicae legis, etiam *confessionem vocalem* de *universis* cogitationibus, locutionibus, operibus et omissionibus, clare distincteque faciendum instituit ecclesia, in *secreto*, et *auriculariter*, non vt homini, sed vt deo; de hac re *nulla* de *scripturis sacris habetur traditio;* spiritus S. mouit et direxit ecclesiam ad sic agendum — Ecclesia etiam circa sacram. ordinis videtur addidisse; in primitiua ecclesia erant *tantum duo ordines*, diac. et sacerd. et idem tunc erat episcopus et sacerdos, secundum Hieronymum, — item circa eucharistiam — addidit in consecratione hostiae dictionem *enim;* — cum talibus orationibus, epistolis, euangeliis, secretis, mysticis signis, vestibus sacris et vasis, luminaribus — ecclesia docuit signum crucis in fronte depingere — contra insidias malignorum spirituum sal et aquam benedicere — sic etiam est communio vnius speciei, cuius immutationis et auctor et tempus et locus ignoratur, et vsque ad *constantiense* concilium *sola* ei rationabilis consuetudo et doctorum comprobatio *auctoritatem* praebuit — Tandem *septem* regulis et scripturae et antiquitatis ecclesiasticae vim, quae *vtramque* speciem prae se fert, labefactare audet. Finis positionis et responsionis M. *Ioannis* de *Raguso* 1433.

Haud paulo ineptior est *Aegid. Carlerius*, qui contra peccatorum publicorum correctionem dixit. — Peccata *in olla* cogitationum vestrarum, patres eximii, comburuntur — quis vero succensor et ollae faber est, qui sufflauit

sub

ſub ea prunas? Venerab. proponens articulum de punitione peccatorum — qui ita ſufflauit et prunas ſuccendit, vt olla ipſa paene reſoluta liqueſcat — ego intelligens, omnem exceſſum periculoſum, – aquam et ignem attuli, medium enim amat dominus, Ieſus in medio doctorum eſt. — dixit in medio diſcipulorum, pax vobis; non ergo pax *niſi in medio.* – Proponens multa inſeruit, de poteſtate legis humanae, de peccatis praelatorum et ſacerdotum, de indulgentiis, abſolutionibus, conſecrationibus, peregrinationibus, venerationibus reliquiarum et exceſſibus circa illas, de pluribus ſceleribus aliis — — cum non eadem ſit conditio perfectorum et imperfectorum, legislator — poſſibilia debet multitudini praecipere; illa ergo prohibet, a quibus poſſibile eſt faciliter multitudinem abſtinere — furta, homicidia, adulteria, quae conturbant politeian — ſimplicem autem fornicationem aut ſimplex meretricium, licet ſit peccatum mortale, tolerat; non turbatur per ipſum politia — Auguſtinus, vt *Thomas* refert, ait: aufer meretrices de rebus humanis, turbaueris omnia libidinibus — talia tenetur reſtringere pro poſſe, e. c. quantum ad locum, vt ſint meretrices non in loco honeſto ciuitatis, ſed in loco quaſi ſterquilinii — melius videtur, vt ſint in ſubvrbiis — Haec eſt doctrina principis peripateticorum *Ariſtotelis* V. Ethic. a quo ſicut a ceteris, vt ait Auguſtinus, tamquam ab iniuſtis poſſeſſoribus catholici poſſunt extorquere veritatem. — Aduerſario videtur legi euangelicae diſſonas eſſe leges humanas, reos mortis ſupplicio puniendi. — Chriſtus poenam adulterae ex miſericordia relaxauit; — ſciendum, Apoſtoli multa mala viderunt, nec puniuerunt omnia; tamen, vbi immineret fidei periculum, quod etiam publice praelati eſſent arguendi, vt *Paulus* Petrum, Galat. qui erat ſubditus Petro, pag. 1780. — Caeſar erat iniuſtus, iniuſtitia fidei; tamen dominus confirmauit ſuum dominium, Matth. 21. Apocal. 2 et 3. aduerſus epiſcopos *Epheſi*, *Pergami* &c. comminationes — tamen adhuc epiſcopi, non ipſo facto depoſiti — verum domi-

nium, non fundatur in gratia gratum faciente, ſed in providentia diuina, ſicut in cauſſa efficiente. — populus non poteſt licite ſubtrahere decimas a malis ſacerdotibus, publica malitia perſonali; nam Chriſtus *Iudam* ſuſtentauit proditorem, dedit illi buccellam panis, facit eum participem menſae ſuae, et adhuc erat ſacerdos. Item deus paſcit gentiles, haereticos et impios chriſtianos. — — ſacerdotes non ſunt laicis ſubditi, igitur eorum peccata publica perſonalia non ſunt per laicos punienda; patet, ante legem ſcriptam (Geneſ. 47. ſola terra ſacerdotum libera manſit) in lege; Deuteron. 17. Sub euangelio autem, ſacerdotium liberum eſt ab omni poteſtate ſeculari, Matth. 17. filii ſunt *liberi*. — Chriſtus non conceſſit Iudaeis, vt de vita et operibus ſuis iudicarent — Natio quaedam non poteſt licite ſe ab aliis diuidere, propter malitiam ſiue eccleſiaſticorum ſiue laicorum, — debent corporali praeſentia manere, recedere vero ſpiritu, ne conſentiant peccatis malorum. — Eccleſia militans non eſt absque mixtura malorum cum bonis — De *abſolutionibus a culpa et poena:* non eſt iſte communis modus concedendi abſolutiones; ſi aliquae bullae ſub tali forma dentur, *ſurreptitie* creduntur impetratae; dicunt enim communiter doctores, quod *ſolus deus culpam* remittat principaliter; ſacerdos autem per modum inſtrumenti, — *oſtendendo* eam eſſe a deo factam. — de *venalitate* et aliis exceſſibus, non eſt opus aliquid dicere, niſi quod tollendae ſunt. *Indulgentiae*, fundatae ſunt in lege dei; eſt enim indulg. relaxatio poenae debitae; ſed quia oportet, vt *ſaluetur iuſtitia diuina*, et qui peccauit, vt debitor, ſoluat, aut alius ſatisfaciat pro eo; per indulgentiam poena peccatorum relaxatur, quod *merita alterius* iſti *applicantur* — paſſio Chriſti, quia a *diuino ſuppoſito* fuit exhibita, et a voluntate eius accepta, fuit *infinite bona*, exceſſit debitum Adae; illud vero, quod vltra debitum ſolutum eſt, *remanet in theſauro eccleſiae*. Sancti et qui ſupererogarunt his meritis, cumulauerunt merita, et hi omnes in gazophylacio

ſpi-

ſpirituali eccleſiae repoſuerunt. Papa habet ſummam poteſtatem — Petrus mutauit formam baptismi a Chriſto traditam in hanc: *Ego baptizo te in nomine domini Ieſu Chriſti*, vt nomen Chriſti, prius odioſum, fieret amabile; — multa mutauit eccleſia; ſi non potuit, nec valuit quod fecit, nec nunc eſſet obſeruandum, quod tamen abſurdum; et non reperitur ſpecialius conceſſum, quam per illud, *quodcunque ligaueris* &c. Sed eſto, quod in ſcriptura non poſſet reperiri, ſufficeret ſola eccleſiae auctoritas — eccleſia multa facere poteſt, tamen non habetur ſuper his ex canone expreſſa auctoritas — eccleſia numerat paruulos baptizatos inter *fideles;* dicit tres *perſonas;* mater dei; — Aliud dictum proponentis: *peregrinationes* per homines inuentae, ſuperſtitioſae, auaritiam cleri nutrientus. Oſtendo non eſſe verum; eſt enim *peregrinatio* de manſo ſuo longior receſſus, vt acutiori deuotione deus adoretur. Deuteron. 16. tribus vicibus apparebit omne maſculinum; *Zachariae* vltimo, adſcendent ab anno in annum vt adorent dominum; *peregrini* in ortu domini; *peregrinae* mulieres Chriſtum in ſepulcro viſitantes; *Nicodemus* venit peregre viſitare ſepulcrum domini; *Sulpitius* (lib. 2. vltra medium) commemorat peregrinationem ad locum, vbi dominus caelos adſcendit; vbi confluentium fides certatim domini calcata diripit, et tamen area damnum non ſentit. *Hieronymus* ep. 46. ad *Ruſticum*, ad loca ſancta inuitat. In *Gangrenſi* concilio (c. 20.): ſi quis per ſuperbiam, *tamquam perfectus*, (pertinet ad can. 19.) conventus per loca martyrum accuſauerit, vel oblationes, memoriasque ſanctorum contemnendas crediderit, anathema. *Auguſtinus* contra *Fauſtum* lib. 20. — Reliquiis *dulia* exhibetur, non quaſi in iſtis numinis aliquid vel ſanctitatis exſiſtat, ſed propter ordinem, quem habuerunt ad ſanctos, quorum ſunt reliquiae. — Hoc modo reliquiae *adorantur* — veſti regiae honor habetur propter regem, 1 Reg. 24. cum praecidiſſet Dauid oram chlamydis *Saul:* — ne faciam hanc regem (rem) domino *meo*, et tamen regem non tetige-

rat. *Hieronymus* aduersus *Ruffinum* lib. 3. Bethlehem, vbi *adoraui* praesepe. — *Litteras confraternitatum* proponens vituperat; verum non sunt *de se* illicitae confraternitates; Exodi 8. Pharao dicit ad Mosen et Aaron: orate dominum pro me; ecce paganum principem, qui orationes postulat. Apostoli fecerunt homines participes suffragiorum suorum, Eph. 1. *memoriam vestri faciens* et Philip. 1. Colos. 1. Nulla littera confraternitatis talia promittit, quanta fecit apostolus pro Colossensibus. — Excommunicationes, (dixit *Bohemus*,) si fiunt ex odio, propter veritatem, in hominem in gratia permanentem, sunt irritae et inanes. — Respond. aliter sentit *Thomas* — Probare vult (*Bohemus*) quod non sit per legem humanam inferendum alicui mortis supplicium — — Oratio H. *Kalteisen* contra *Vdalrici* articulum, p. 1125, de libera praedicatione verbi dei. — quidam haesitans, quid offerret deo gratissimum, per angelum edoctus est, offerre curuitatem Lunae (C), rotunditatem solis, (O) et primam partem Rotae, (R); hinc secundum *Isidorum* et *Catholicon* cor etymologizatur, C, custos, O, omnium, R, rerum — Obtulit *Vdalricus* enthymemata; Christus mandat hoc, ergo faciendum; prohibet, ergo non est faciendum. Verba dei tantae perfectionis sunt, quod eis nihil licet addere, nec subtrahere. Causa malorum sacerdotum maxime est causa ruinae populi; nemo amplius nocet, nisi mali sacerdotes. — est praeceptum domini cuilibet diacono et presbytero, libere praedicare verbum dei; reprehendit hoc, missantes plurimi, sed praedicantes sunt pauciissimi; et altarium multiplicationem — propter praetensam excommunic. non omittenda est praedicatio fidelis — Respondeo: praeter verbum dei incarnatum, et verbum veritatis, quod locutus est deus per angelos, prophetas, filium, et Apostolos, in scriptis relictum, est adhuc *tertium*, verbum *inspiratum*; partim *priuatum*, personis priuatis, doctoribus, (*Gregorio*, *Hieronymo*, *Augustino*, Ambros. *Thomae* et aliis multis) quorum scientia explanat scripturae

pturae ſecreta; partim *publicum*, cuiuslibet generalis concilii ſtatutum et decretum, Luc. 10, *qui vos audit, me audit.* Ineſt ſpiritus S. conciliis generalibus, et *omnia ibi concluſa, ſunt verba ſpiritus S.* — Sunt autem notabiles cauſae, quare populus dei multum debet honorare ſacerdotes. 1. Quia eum, qui mundum creauit, ſoli de caelis adducere queunt, in altari miſſam celebrando. 2. Stabellarii euangelici ſoli curam habent ſauciati, quibus ſacramenta omnia velut medicinas commendauit Chriſtus. 3. Habent auctoritatem ligandi et ſoluendi. 4. De orationibus eorum certius eſt, quod efficaciam pro populo et animabus ſortiantur. 5. Quia in animabus et corporibus per 7 ordines diſtinctos deo amplius conſecrati ſunt, et characteres diſtinctos habent ſuper laicos impreſſos. 6. Lumen eccleſiae ſunt. 7. Per manus eorum benedicuntur omnia — Non eſt vniuerſaliter verum, quod ruinae populi cauſa ſit culpa malorum ſacerdotum; probo 1) ſimilitudine. Comparamus cum allegorizantibus, Geneſ. 1.; *clerum* mundo ſuperiori, i. caelo cum ſtellis; *populum* autem inferiori, terrae cum plantis. Sicut inferior mundus, ſecundum philoſophos, gubernatur a caelo et ſtellis, ita tota virtus reſidui populi a clero dependens habet et augeri. Clerus caelum eſt; plenum ſtellis magnis (praelatis); minoribus, (ſubditis); quorum quidam comparantur *fixis*, (in certa dioeceſi et parochia) alii *erraticis*, praedicatores per mundum discurrentes. Sicut igitur non ſemper ſecundum habitudinem ſtellarum caeli bonam, alteratur hic inferior mundus conuenienter, ita *ſaepe* propter defectus et indebitos reſpectus cleri variis turbatur moleſtiis populus. Verum, ſicut non omnia inferioris mundi incommoda proueniunt ex influentia ſuperioris, ſed ſaepiſſime ab inferiori; cum inferiora non recipiunt influxum ſuperiorum vbi et quando deberent, vel ſi per vapores vel nubes ab infra adſcendentes abſconduntur ſtellae, et per conſequens debitus earum impeditur influxus: ita terreni populi caecata voluntas et auaritia eclipſant poteſtatem ſaecularem, quae iisdem vitiis

eclipſat ſaepe poteſtatem ſpiritualem. — ergo ſaepe e conuerſo ruinae cleri proueniunt ex culpa populi. — illis tantum ordinarie conuenit praedicare (dicit *Kalteiſen*), qui ſuccedunt apoſtolis et 72 diſcipulis; ſed nulli ſuccedunt niſi epiſcopi et *curati*; ergo diaconis et presbyteris non curatis non conuenit vllo praecepto domini actus praedicationis. — longa diſputatio de ordine hierarchico, conſervando — — p. 1850. circa iſtam materiam, qua quidam dicunt; *ſe ſpiritu Ieſu inſtigari* ad praedicandum, notandum, quod valde dubioſum et periculoſum eſt homini ſemper, ſe praeſumere inſpiratum a ſpiritu S. — ſunt tamen aliqua ſigna, quibus diſcerni poteſt, an ſit inſtinctus a deo. 1. Si ſit conformis diuinis ſcripturis. 2. Si talis motio approbatur ſpiritualium virorum, et maxime *praelatorum*, iudicio: 3. Affectus, quem talis interior motio cauſat; humilitas &c. 4. Ordo inſpirandi; hominem primum facit pauidum, et propriam fragilitatem cognoſcere; poſtea erigit in ſpem. 5. Si non trahat ſuper propriam menſuram. 6. Si caritatem non infringit, pacem non turbat. – Apoſtoli non iuerunt ad petendum licentiam praedicandi. Reſpondeo: negando conſequentiam. Nam etſi receperant apoſtoli omnes auctoritatem a domino immediate, tamen auctoritatis *exſecutionem* receperunt a Petro. – Iam pro tertio et actu finali, in beatiſſ. trinitatis nomine – *mediante* b. dei genetrice, cui non deeſt poteſtas, cum ſit *mater omnipotentiae*, nec induſtria, cum ſit *mater ſapientiae;* nec adiuuandi voluntas, cum ſit mater *totius clementiae* et *miſericordiae*, ſecundum b. melliſluum *Bernhardum:* — — ad presbyterum *ſufficit aliqua ſcientia*, quae non ſufficit ad praedicandum, aliter ſequetur, quod quilibet ſacerdos, qui praedicare neſcit, ſit in peccato mortali, quod falſum eſt; quia legimus de multis SS. presbyteris, qui fuerunt ſimpliciſſimi, *nec ſciuerunt*, niſi miſſam pro mortuis, vel de b. virgine Maria, et *fructum ſibi*, *viuis* et *defunctis fecerunt.* – praedicare, quod alicubi de diacono legitur, ſignificat *publice legere*, (Κηρυσσειν,

ceiv, recte hoc,) — Ergo valde congruum eſt, multos eſſe miſſantes, etiamſi non tot ſunt populo praedicantes; miſſa *quotidie* eſſe oportet in eccleſia *quintuplici ratione* — Congruit cultui diuino in eccleſiis, vt ſit rationalis *altarium multiplicatio.* — haec altaria erigere ad dei cultum veteres nos docuerunt; *Noe*, *Abrah.* *Iſaac*, *Iacob*, *Moſes*, *Iudas*, *Maccabaeus*; — inuocatio, quae fit ſuper altare proprie dicitur *miſſa*, ex eo, quod caeleſtis *miſſus* Chriſtus, a patre, qui ipſam hoſtiam; et per eandem a nobis patri *mittitur.* — Epilogus; — ſi eſſet adhuc *populus infidelis et conuertendus*, tum forte neceſſarior eſſet praedicatio, quam miſſa; ſed conſiderata iam fide diuulgata, pro ſalute tam viuorum quam mortuorum vtilior eſt miſſa. In *Replica* ad Bohemi replicam intolerabilior eſt verboſitas et nugacitas; *Verum*, detracta littera, Veru, Ver, Vae — in parabola illa: duos *in agro*, dixi intelligendos praelatos; duos in *lecto*, religioſos; duos in *mola*, ſeculares; aduerſarius autem dicit hanc expoſitionem ſecundum alios non eſſe de mente Chriſti. Sed *Auguſtinus*, qui multo melius nouit mentem Chriſti, quam quicunque alii innominabiles nouelli, id approbat - p. 1909. *Ioh.* de *Polemar* contra *Petrum Payne.* — iuxta praeordinationem diuinam eccleſia, infantiae tempore, diras perſecutiones paſſa eſt; — tandem Conſtantino miraculoſe leprae morbo ſanato et per b. Silueſtrum baptizato, in virilis aetatis robur euaſit — ex tunc per diuerſa donaria tam Conſtantini quam aliorum principum aucta eſt eccleſia dei in temporalibus bonis ampla poſſeſſione — non credo, ſi aduenirent aduerſario bona haereditas, quod portaret eam in communi cum fratribus *Sclauorum* in *Praga*, cum quibus viuit. *Melchiſedec* rex et ſacerdos figura Chriſti, quamuis pauper vixerit (Chriſtus) tamen, propter ſuam benignitatem, ad hoc *non arctauit;* Bonav. Sacerdotes ergo poſſident temporalia ſicut Melchiſedec — Dominus dedit 12 tribubus terram promiſſionis, e. g. Zabulon habebit *Bauariam*; Naphthalim, *Franconiam;* Beniamin, *Auſtriam*

ſtriam &c. Tribus autem *leuitica* non habebat ſortem ſeu haereditatem ad partem; ſed decimam omnium, primitias, oblationes, vota, ſacrificia &c. vix credo, quod vel ſaltim in paucis locis ſacerdotes noſtri habeant maiorem opulentiam. — temporibus Maccabaeorum, hi fuerunt ſacerdotes ſimul et principes, et ſic habuerunt ciuile dominium. — Iſtae auctoritates N. T. non habent notam praecepti; - *noli* - *nolite* non ſemper indicat prohibitionem - *Auguſtinus* nos docet verba Chriſti intelligere, in ſenſu intrinſeco, non grammaticali. *Auguſt.* Homil. 62 in *Iohannis* 13, habebat dominus loculos, a fidelibus oblata conſeruans, et ſuorum neceſſitatibus et aliis indigentibus tribuebat; tunc primum eccleſiaſticae pecuniae forma eſt inſtituta — *Si vis perfectus eſſe;* non apoſtolis ſed illi iuueni dictum fuit. — *qui non renuntiauerit omnibus;* omnibus mundanis renuntiant, qui ita licite vtuntur quae poſſident, vt tamen mente tendant ad aeterna — Lazarus, Maria et Martha non renuntiarunt facultatibus; Actor 21, domus Philippo; *Petrus:* non dicant haec loqui de monachis; quia monachi nondum erant. Sed ex *Dionyſio* liquet — et legenda *Marci:* fundauit monaſterium ſanctimonialium feminarum. — aduerſarii confitentur in ſchedula vltimo data, (p. 1927.) quod vſus temporalium bonorum eſt ipſi clero licitus, reſecta ſuperfluitate et abundantia vitioſa; et hoc ego dico, reprobo vitioſam ſuperfluitatem — Liquet, praelatos eccleſiaſticos debere eſſe non tantum contemplativos, ſed et actiuos; in ſpiritualibus et temporalibus prouidos — audiamus *Iſidorum* (de ſummo bono l. 3. c. 39.) docentem nos, non ſcandalizari, ſi qui praelati temporalium ſollicitudini totaliter dati ſunt, quoniam hoc a dei ordinatione procedit ad vtilitatem eccleſiae. — Dotatio eccleſiae diuina ordinatione, a *Silueſtro* et citra, facta eſt, ſicut ante deus promulgauerat per prophetas; Pſalmo, *Exurgat deus;* et Ieſai. 52, Sede Ieruſalem in *ſede honoris*; fuit impletum, quando Roma facta eſt ſedes ſummi pontificis, ſede imperiali translata Conſtantinopolin, Ieſai. LX. Pſalm.

Pſalm. CIII. vbi dicit *Auguſtinus*: *Cedri Libani, illic paſſeres nidificabunt;* nobiles et diuites ſeculi -- villas ſuas et omnes ſuperfluas copias praebent ſeruis dei; dant agros, hortos; aedificant eccleſias et monaſteria, colligunt paſſeres (ſpirituales) nidificantes -- Illud debet licitum reputari, quod a viris diuinarum litterarum doctiſſimis et ſanctiſſimis, *pro licito habitum et factum* eſt; ſed hoc eſt huiusmodi; ergo -- poſſem probare, quod ante tempora *Silueſtri* iam eccleſia habuerat praedia et poſſeſſiones tempore *Vrbani*, qui ſedit anno 223. -- -- et theſauros habuerunt et ciuile dominium, ſicut mihi *ſcriptum* datum eſt, quod *Philippus*, (Imperator,) dominus *Pannoniae*, dedit *Laureacenſi* aep. qui tunc erat metropolitanus, villas et praedia in *Auſtria*. Concil. *Nicaenum* fuit ſub Silueſtro; ex hoc ſatis auctorizatur factum Conſtantini, (qui donauit eccleſiae); ſi illicitum fuiſſet, reprobaſſet hoc tam celebre concilium. -- Item papa *Cyriacus*, qui cum XI millibus virginum in *Colonia* martyrizatus eſt. Hoc vnum nolo omittere, quod narrat *Vincentius* in ſpeculo hiſtoriali, lib. 25, cap. 25. de *Gregorio* ſexto, qui vel vi armorum recuperauit eccleſiae bona; Cardinales eum virum ſanguinarium dicentes nolebant eum ſepeliri in eccleſia S. Petri; ſed miraculo portae eccleſiae patefactae fuerunt. -- Praetermittendum non eſt de S. *Stanislao*, ep. cracouienſi; qui paſſus controuerſiam ſuper villa eccleſiae, a ſepulcro reſuſcitatum aliquem, qui ante per triennium mortuus fuerat, ad iudicium duxit in teſtem. -- Ex *Auguſtino* delectat me hoc vnum addere, ex Homil. 6. in *Iohannem;* columba eccleſia eſt; quid clamas? *Non deuorauimus villas;* columba illas habet. -- noſtis fratres, quod villae iſtae non ſunt *Auguſtini* (vid. tamen tom. 1. horum *capitum ſelector.* pag. 325.) et ſi vos non noſtis, et putatis me gaudere in poſſeſſione villarum, deus nouit. -- Claudat hunc numerum *Gregorius* I. -- nunc *Petrum* ad regendam *Siciliam* mittit; nunc ſcribit, vt a colonis cenſus non exigatur, antequam potuerint fructus vendere -- et alia plura

huius-

huiusmodi ex ipso colliguntur *regiſtro*. -- Cum igitur ſole clarius innoteſcat, clericos licite poſſidere, et eccleſiam poſſe habere bona mobilia et immobilia, priuata dominia et ciuilia: quomodo per ſeculare brachium poſſunt auferri a viris eccleſiaſticis, etiamſi fuerint delinquentes! -- Poſſunt vix eſſe nequiores ſacerdotes et magis ſcelerati, his, qui in mortem filii dei conſpirarunt: non tamen eis, quamdiu eorum durauit ſacerdotium, aut emolumenta, aut honorem, aut obedientiam a populo ſubtrahi Chriſtus conſulit; immo iis praeſtari et exhiberi mandauit; *vade et oſtende te ſacerdotibus, et offer munus* -- *Cyprianus* idem dicit: ſacerdotem Chriſtus appellabat, quem ſciebat eſſe ſacrilegum -- p. 1937 nonnullis videtur in iſto *Ioh. Wicleff*, huius aſſertionis principe, alterum Simeonem Beniaminitam intueri, 2 Maccab. 3; quia, vt dicitur, epiſcopatum *Vigornienſem* non obtinuit, principum et ſecularium hominum animos ſtuduit concitare. -- -- *Compactata* 4. dicuntur.

Redimus iam ad *ſeſſionis* baſil XXXI. decretum 1. ne ordinarii iudices cauſarum praetereantur, nec appelletur ſtatim ad papam, omiſſo medio; -- cauſſae exceptae aut pendentes apud concil. *baſil.* non vero in erectionem *conuenticuli* apud Ferrariam trahantur. 2. Ne pontifex rom. gratias expectatiuas aut nominationes vllo modo vlla ex cauſſa, concedat. 3. -- in qualibet eccleſia cathedrali vel collegiata vltra *praedictam praebendam theologo* adſignandam, (qui bis aut ſemel ad minus per hebdomadam legat) *tertia pars* praebendarum conferatur graduatis; magiſtris aut licentiatis aut baccalaureis formatis in theologia, doctoribus vel licentiatis in altero iurium vel medicina; magiſtris ſeu licentiatis *in artibus* &c. 4. *Eugenius* pendente termino (60 dierum) diſſolutionem concilii et translationem attentauit, quam tamen iam altera vice reuocarat (*ſeſſ.* 16.) -- iſtud concilium (*Ferrar.*) conuenticulum *ſchismaticorum* -- cum infra 4 menſes non ſatisfecerit, vrgetur haec ſancta ſynodus -- *ad ſuſpenſionem* ipſius domini Eugenii, *ab adminiſtratione papali*, procedere, alias *poenas duriores*

riores adhuc pro ſua manſuetudine differendo — — eum igitur *ſuſpenſum eſſe* declarat; omnes reges, principes communitates monet, requirit — eccleſiaſticis perſonis mandat, cardinalis, patriarchalis et pontificalis dignitatis — vt durante ſuſpenſione, praetextu iuramenti — Eugenio nullatenus obediant, ſed ad hoc ſacrum concilium in omnibus recurrant, pro quibus ad rom. pontificem recurrere ſoliti ſunt. Seſſ. 32; de ceſſatione decreti de electione loci ad (concilium et) tractationem cum Graecis — plurimas *practicas* in Graecia factas accepimus, vt Graeci traherentur in locum, quem Eugenius vellet — domus oratoris noſtri, *Ioh. de Raguſio* in conſtantinopoli inuaſione baliſtariorum ſuit impetita, ita, vt ſine Graecis ipſis oratores noſtros redire oportuerit. — declaramus, omnia per dominum *Eugenium* facta et facienda — nulla penitus, caſſa, et irrita fuiſſe et eſſe, nec aliquem eius mandatis et prohibitionibus teneri obedire — in ſuperdicto decreto ſeſſ. 29. poenas et cenſuras promulgauit haec ſ. ſynodus, aduerſus omnes, qui ad *conuenticulum Ferrarienſe* accederent aut mitterent — *citat* omnes haec ſynodus, qui in praefato conventiculo aut praetenſa curia Eugenii fuerint, vt 30 die, a data praeſentis decreti computando, compareant coram ſynodo — Seſſ. 33. dudum ſacra generalis *Conſtant.* ſynodus veritatem de generalium conciliorum auctoritate ſolemniter declarauit — ad maiorem tamen ſoliditatem et firmitatem, haec ſ. ſynodus definit, declarat: veritas de poteſtate concilii generalis *ſupra papam* et quemlibet alterum, eſt veritas fidei catholicae. Veritas haec, quod papa concilium generale — ſine eius conſenſu nullatenus auctoritatiue poteſt diſſoluere, prorogare aut de loco ad locum transferre, eſt veritas fidei catholicae. Veritatibus his duabus pertinaciter repugnans, eſt cenſendus haereticus. Seſſ. 34. — diuina prouidentia praeuidens reſiſtentias et oppugnationes, quas aduerſus reformationem eccleſiae dei et auctoritatem ſacrorum concil. general. ac bonum publicum totius religionis chriſtianae ſuſcitaturus erat in tempore ſuo *Eugenius*,

quan-

quantaque ſcandala et ſchismata facturus in orbe: *ſacram ſynodum Conſtantienſem excitauit per ſpiritum S.*, vt declarationem veritatis fidei catholicae toti orbi explicaret -- qua quidem declaratione viam parauit miſerator dominus, per quam eccleſia in *Eugenium*, multiplices exceſſus perpetrantem, iuſtum iudicium ferre haberet -- haec ſ. Synodus *baſil.* neceſſarium eſſe, iudicans, vt, cui pia non prodeſt correctio, debita non parcat abſciſſio. -- ne ex vlteriori protelatione iuſtitiae ſanguis pereuntium animarum de noſtris manibus requiratur, --- per hanc diffinitiuam ſententiam pronuntiat, decernit, declarat, *Gabrielem*, prius nominatum Eugenium papam 4, fuiſſe et eſſe notorium et manifeſtum contumacem, in aperta rebellione perſiſtentem, violatorem aſſiduum ſacrorum canonum ſynodalium, pacis et eccleſiae perturbatorem notorium, ſcandalizatorem, ſimoniacum, periurum, a fide deuium, pertinacem haereticum, dilapidatorem iurium et bonorum eccleſiae, inutilem et damnoſum ad adminiſtrationem romani pontificii, omni titulo, gradu, honore et dignitate ſe redidiſſe indignum; quem propterea ſancta ſynodus a papatu et romano pontificio ipſo iure priuatum eſſe declarat, et ipſum ab eisdem amouet, deponit, priuat, abiicit; decernendo, contra eundem, ad exſecutionem aliarum iuris poenarum, ad quas eum haec ſynodus ſimul condemnat, vlterius fore procedendum. Eidem inhibet, ne deinceps pro papa romano ſe quouis modo nominet ſeu gerat -- -- (confer. proceſſus Ioh. XXIII. deiecti.) Seſſ. 35. de ſtabilitate concilii baſileenſis; quod non poſſit diſſolui, niſi duabus partibus conſentientibus concilii, ſcrutatis votis ſingulorum; -- quod per receſſum cuiuscunque, etſi cardinal. patriarch. non ſit nec cenſeatur concilium diſſolutum --- ſeſſ. 36. de conceptione Mariae. -- quicquid de dignitate et ſublimitate virginis matris educitur in lucem, hoc non dubium eſt ad laudem et honorem filii ſui pertinere -- hactenus difficilis quaeſtio *ſuper conceptione* virginis, etiam coram hac ſ. ſynodo, facta eſt; quibusdam dicentibus, virginem et

eius

eius animam per aliquod tempus aut inſtans temporis ſubiacuiſſe actualiter originali culpae; aliis e conuerſo dicentibus, a principio creationis ſuae, deum, ipſam diligendo, gratiam eidem contuliſſe, per quam e macula originali eam liberans et praeſeruans, ſublimiori ſanctificationis genere redemit — nos vero diligenter inſpectis rationibus, quae iam a pluribus annis et parte vtraque coram hac ſ. ſynodo allegatae ſunt, doctrinam hanc (virginem praeueniente et operante gratia ſingulari numquam actualiter ſubiacuiſſe peccato originali) tamquam *piam* et *conſonam cultui eccleſiaſtico*, fidei catholicae, rationi rectae, et S. ſcripturae, approbandam et tenendam ab omnibus catholicis fore, declaramus, *nullique de caetero licitum eſſe*, in contrarium praedicare et docere. (*Vid. Ioh. Launoii* opera tom. 1. part. 1. pag. 25.) Renouantes praeterea inſtitutionem (feſti) de celebranda ſ. eius conceptione, ſexta idus decembris — cunctisque fidelibus, ea die *miſſarum* ſollenniis, centum; primis aut ſecundis *veſperis*, totidem; *ſermoni* vero, intereſſentibus, 150 dies, de iniunctis poenitentiis S. Synodus elargitur. Seſſ. 37. reuocatio proteſtationum, conuentionum, iuramentorum, obuiantium *electioni papae* fiendae. — quod cum *Ludouico*, cardinali arelatenſi, — conſtituti vsque ad numerum 32, poteſtatem habeant ad electionem faciendam; ita, vt ille absque vlla exceptione ab vniuerſali eccleſia ſummus pontifex habeatur. Electus autem teneatur infra diem naturalem conſentire ac iurare modo et forma inferius deſcriptis — Sequitur forma conſenſus et iuramenti praeſtandi per ipſum electum; — ne bona electi et eligentium rapiantur — Seſſ. 38. Contra inuectiuam Eugenii, *Moſes ſeruus dei.* — cogitat ſub obſcuritatibus verborum mundum inuoluere: dicens ſe damnare et reprobare veritates praedictas ad ſenſum *baſileenſem;* decretum confirmationis nominatorum ad eligendum papam; ſeſſio 39, confirmatio papae electi; — cum magna deuotione ſeptem diebus inſiſtentes (in conclaui), tandem facto quinto ſcrutinio, ea hora, *qua proceſſio huius ſacri con-*

cilii domum illam circumibat, cantando Hymnum, *Veni creator*, compertum est nobilem virum, *Amadeum*, — in solitudine iam a pluribus annis conuersantem, electum esse. Sessio 40, de consensu electi, *Felicis* V, tunc ducis Sabaudiae — eum per traditionem vestis albi coloris et annuli de *papatu* inuestierunt, et alba, pluuiali, ceterisque papalibus ornamentis indutum in cathedra posuerunt — quae omnia sex notariis et decem ad hoc requisitis testibus — gesta fuere — Declaratio, quod domino *Felici* sit obediendum. Sess. 41. condemnantur quidam libelli scandalosi per *Gabrielem* editi. — cum nuper quaedam famosa scripta, scandalosa, iniuriosa, schismatica, a fide deuia, haeretica, quam ipse sententiam diffinitiuam appellat — per quam conuicia plurima — inferre molitus est — sess. 42 de prouisione *Felicis* V. — vt onera incumbentia sibi et suis impensarum, commodius possit supportare — ei ad quinquennium, quintum, et ad aliud quinquennium ex tunc decimum denarium veri valoris annui, secundum communem aestimationem quorumcunque fructuum, redituum primi anni omnium canonicatuum, praebendarum, dignitatum, personatuum &c. tribuimus. — natio *germanica* excipitur, quae prae ceteris magis videretur grauari; beneficia valorem 5 marcarum non excedentia, hoc decreto non includuntur — Sess. 43. — praecipue ad glorioſissimam Mariam est recurrendum, quae quanto altior est, tanto humilius ad nos respicit, *omnes ad se trahere cupiens*, pro quibus in vtero gessit saluatorem. Haec apud *deum*, *quem ipsa peperit*, sedula pro nobis aduocata nos iuuat — ideo nouam festiuitatem *visitationis Mariae* instituit synodus, irruentibus maioribus dietim mundi calamitatibus; quae ad expetenda virginis auxilia vehementius vrgent — maximam laetitiam fidelibus debet ingerere illud *excellens mysterium*, quo matres illae glorioſae, totius salutis nostrae ferentes primordia, tam familiariter inter se exsultarunt — indulgentiae centum dierum. Sess. 45. de tuitione suppositorum huius concilii; — vt nullus a tempore arrepti itineris

neris ad hanc ſynodum, pro quacunque cauſſa, euocari aut contra eum procedi poſſit. Seſſ. 45, vltima — *Felicis* V. praeuidens neceſſitatis caſum, pro futuro concilio nominavit *Lugdunum* — ſtatuimus, vt infra triennium in praefata ciuitate concilium gener. celebretur. — Indulgentiae incorporatis conceſſae, Decretum *quinque* concluſionum, contra Eugenium, 1439. Iam tandem *Nicolaus* V. cui *Felix* V. ceſſit, per bullam approbauit geſta in concilio *Baſileenſi*, poſtquam ii, qui Baſileae, poſtmodum *Lauſanae*, congregationem ſuam deſeruerant, et ad *Nicolaum* acceſſerant.

Pertinent autem ad hoc concilium *Baſileenſe* quaedam alia monumenta; e c. Copia Litterae, in qua *Theodoricus*, Aep. Mogunt. ſcribit ſuffraganeis deliberate ſuper aliquibus articulis, per papam et concilium miſſis, et quod reſpondeant; Tomo V. concil. *German.* per *Harzheimium*, pag. 255. — papa, nos requirit, vt ad concilium *Ferrarienſe* nos duceremus conferendos; inclita autem Germaniae natio in ſacra *baſileenſi* ſynodo, nobis intimavit, qualiter huiusmodi translatio ad ciuitatem *ferrarienſem*, ſit contra concil. *baſil.* decreta, quod ſpes reformationis ceſſaret, *abuſus curiae romanae* exuberanter ſuccreſcerent. — Miſſiuae Aep. Mogunt. ad *Auguſtanum*, *argentin.* et *curienſem* epiſcopos, cum copiis appellationis, proteſtationis et vnionis inſtrumentorum; metropolitica auctoritate; (vt conſcientiarum puritas ſeruetur.) Miſſiua eiusdem ad religioſos ſuae dioeceſis, ſuper eodem diſſidio inter *Eugenium* 4 et concil. *baſil.* 1438. In conventu *Francofurt.* poſt *Sigismundi* mortem, ad nouum Caeſarem eligendum, electores, cum varia edicta pontificis et *baſileenſium* cernerent, *communi conſenſu ſtatuerunt*, omnia decreta alterius partis contra alteram ſe non ſuſcipere; venerarique *Eugenium* et concil. *baſileenſe*, et velle vsque ad ſextum menſem deliberare; haec conſtitutio initium fuit *neutralitatis germanicae*, quae per ſex annos et quod ſupereſt, continuabatur, ita, vt neutri parti parerent; ab altera tamen petebant, quod ab altera impetrare non poterant.

erant. *Patritius* cap. 73. tomo 9. *Harduini* pag. 1146. Vt hiſtoriae illi maior lux colligatur, et quaedam quaſi ſeries pergat, addimus ex hac *Auguſtini Patricii* hiſtoria concil. *Baſil. Florentini* &c. iſta quaſi capita. C. 74. Miſerunt Electores *Baſileam*, qui multis argumentis ſuadebant ſuperſedendum eſſe a proceſſu contra pontificem; ſed nihil effectum fuit; licet praelati *Hiſpanici* et alii non conſentirent in admiſſionem articulorum contra Papam. Rediit *Ludouicus*, protonotarius romanus, ex legatione ad ducem *Sabaudiae*, quem deditiſſimum patribus eſſe confirmauit. Cap. 75. Factus eſt magiſtratus XVI virorum, ſuper beneficiis vacantibus, non electiuis; etiam alius, ſuper poenitentiariam. Nouus imperator Albertus, legatos ad concilium priſtinos confirmauit, et ipſum concilium. Rex *Franciae*, poſt conuentum *Bituris* celebratum, (confirmari ſanctionem *pragmaticam* ſimul rogaturos,) miſit, vt a proceſſu contra papam ceſſaretur. *Bernardinus* Senenſis ex ordine erem. Auguſt. accuſatus, ob cultum *tabellae nominis Ieſu*. C. 80. in conuentu *Norimbergenſi* concilii legati rogati, ab oratoribus Caeſaris et principum, vt patres permitterent ſuorum principum arbitrio, ſed negarunt; quia ſecularibus principibus non liceret. C. 82. in ſecundo conuentu *Norimbergenſi*, concilii legati *Eugeniique* affuerunt, (*Ioh.* de *Turre* cremata, *Nicol. Cuſa*;) ſed nec Caeſaris principumque legati, qui *Baſileam* venerunt, aliquid profecerunt. Nec anno 1439 profuit *Moguntiae* multos oratores legatosque conueniſſe; iam, cum peſtis *Baſileae* ſerperet, morientibus plenaria indulgentia data. *Albertus* C. 87. patres litteris hortatus, vt cauſam quandam profanam ad *Iudicium Weſtfaliae*, quod vetitum et ſecretum appellant, remitterent; a quo prouocantes ad ſe Caeſares raro admiſerunt; in eo non vocati damnati, poſita in medio chorda, quam digito tangunt, qui accuſatum morte dignum iudicant. Contra *Saxones* olim ſub *Carolo* M. inventum dicitur, qui crebro rebellabant. *Baſileae* interea multae rixae, de concluſionibus ſeu veritatibus fidei, ad-

verſus

verſus *Eugenium;* intercedebant et oratores plerique, et *Panormitanus* vehementer in minores et inferiores inuectus eſt: *colluuiem copiſtarum* nominans, habere tantum vocem conſultatiuam; vix tandem tres veritates priores (vid. hic pag. 000.) in generali congregatione approbatae. Cum legati principum plura opponerent: Reſpondit arelatenſis: conueniſſe patres *in nomine Chriſti, non in nomine principum;* Chriſti voluntatem, non principum impleri oportere. Legati *baſileenſes* edictum deiectionis *Eugenii* in valuis baſilicarum *Argentinae, Spirae, Wormatiae* affixerunt; *Moguntiae* autem detracta, *neutralitas* publice promota contra *Baſileenſes.* Nec melius ſucceſſit legatio baſil. ad *francofurtenſem* conuentum, cum Alberto ſucceſſor daretur *Fridericus,* Auſtriae dux, 1440; in *Polonia* autem *cracouienſis* epiſcopus vtrique parti non diſplicere ſtuduit; coniungebatur tamen ſynodo rex *Arragonum,* regina Hungariae *Eliſabeth,* Sigismundi vidua; *Albertus, baioariae* dux, *Albertus,* auſtriacus, caeſaris frater, *Felicem* ſuſceperant; hic praeter octo cardinales, ſex alios creauit, vt Galliarum praelatis placeret. Ex academiis, *Pariſienſis, Erford. Viennenſis, Colon. Cracouienſis,* baſileenſibus adhaerebant. *Norimbergam* profecti legati concilii, plures e ducibus *Baioariae* in partes traxerunt; promiſit et *Salzburgenſis* aep. quem *Patav.* et *Ratisbon,* ſequebantur; etiam Marchio *brandeburg.* Ioh. *Segobienſis,* cardinalis *Felicis,* non perſuadere potuit cardinalis legatique dignitatem, quam nec *Arelatenſi,* qui idem acceſſerat ſplendorem legationis auſturus, tribuerunt *Moguntini.* Crucem igitur poſuit *Arelatenſis,* vt auditionem impetraret. Poſt eum *Eugenii* legatus ſurrexit, iſto ſermonis exordio vſus: *Eiice ancillam et filium eius. Cuſa* vero confirmauit: *Amadeum,* quem pluribus annis ſub ouina pelle aucupauerat, *papatum ab electoribus emiſſe;* *Venetis* pollicitum 12000 equites, ſi ſecum ſentirent; *Eugenii* depoſitionem tantum a 7 epiſcopis factam, cum a paucioribus XII rite fieri non poſſit.

Atque *Eugeniani* haud paulo magis placuerunt principibus, quam *basileenses*. — generale concilium arenam sterilem esse, *nisi a papa fecundetur*. Per aliquot dies ab vtraque parte orationes habitae. Pars vtraque per legatos etiam *Viennae* caesarem adiit. Interea (cap. 119.) 1441 episcopus *Slesuicensis* et minister ordinis minorum prouinciae germaniae per procuratores *Felici* fidem suam addixerunt; fuerat iam pridem in ordine contentio, quia *obseruantes* subesse nolebant *conuentualibus*, atque iam a *Constantiensi* concilio exemti fuerant. Hanc litem patres non ausi dirimere, vt nec sententiam tulerunt, cum quidam ex obseruantibus, *Petrus Reginaldus*, proponeret patribus: adultos omnes sub poena damnationis aeternae teneri scire explicite *decem praecepta*. C. 121. rex *Poloniae* promisit, *Felici* se adhaesurum, si concilium et *Felix* ipsi tradant titulum regni *Hungariae*. C. 124. tractabat *Philippus*, dux mediol. per nuntios de obedientia *Felici* praestanda; quia primus in *Italia* eum susciperet, periculum non deesse; itaque in mensem 13000 aureos poscebat, pro 4900 equitibus; *bononiensem* ciuitatem in manus *Felicis* se positurum. Promissa fuerunt LM. aurei, intra tres hebdomadas post praestitam obedientiam et *Bononiam* consignatam; alii LM ex reditibus *Bononiae;* sed vana fuit ista spes. Contentio iam orta de diuisione quinti et decimi denarii, inter *Felicem* et cardinales; idem papa ecclesiam vnam, monasterium vnum et beneficium in *Sabaudia* postulauit, quia nihil ex pontificatu accipiebat. *Alphonsus* in sex regnis per litteras obedientiam promisit; *Bohemi*, gubernatoris *Rosembergii* et pleraeque partis regni nomine, obedientiam spondebant, pro gubernatore tamen ex indulgentiis pecuniae subsidium petebant. *Nicolaus* quidam, monachus ordin. minorum, cum litteris *Casimiri*, magni ducis *Lituaniae* et *Russiae Basileam* venit. C. 131. ad Conuentum *Francofurtensem* legati a concilio missi; Caesarem legati *Eugenii* rogarunt, vt expelleret *basileenses;* constituit tamen Caesar, qui interea Aquisgranum discedebat, *Augusta-*

guſtanum et Chiemenſem, epp. *Marchionem* de *Ruthlingen*, et *Thomam Haſelbachium*, theologum, vt vtriusque partis propoſitiones interea audirent. (Iſti frequentiores conuentus, *Moguntiae*, *Francofordiae* in hac cauſſa, non ſunt diſſimiles *comitiis ſub Carolo* V.) Tandem Caeſar de conſilio principum ſtatuit, aliud concilium celebrandum eſſe, mittendosque nuncios de ea re et *Baſileam* et *Florentiam*; *Germanis* interea in ſuſpenſione manendum. C. 132. leges compoſitae, quae *Eugenio* pro pace offerrentur; nominari debere alias vrbes, concilii cauſſa, *Ratisponam*, *Treuirim*, *Metin*, *Auguſtam*, *Conſtantiam*, aut *Tridentum*; intra annum concilium habendum; decere, *vbi ſciſſio* facta eſt, ibi fieri vnionem; legati iurabunt, nihil a pontifice aut petituros, aut accepturos, vel oblatum; nulla ſacerdotia, non dignitates, non gratias. Baſileenſes Caeſari reſponderunt, pacis cauſſa, concilium paratum eſſe, ſe ſua propria auctoritate, transferre ad locum eiusdem *nationis*, Caeſari gratum; *Felici* Caeſar Baſileae honorem papae non tribuit, epiſcopus Chiemenſis, *clementem benignitatem* Papae dixit, ne *ſanctitatem* diceret. C. 134. *Felix Lauſanam* conceſſit valetudinis cauſſa, vt dicebatur; ex *Scotia* litterae allatae, quibus narrabatur, plerosque in *ſynodo prouinciali* damnaſſe *baſileenſes* et *Felicem*; *Ferdinandus*, Calabriae dux, Alfonſi fil. miſit ad concilium, obedientiae cauſſa, cui titulo alius epiſc. contradixit, *Renati* filium, Ioannem, eſſe *ducem* Calabriae, quem Epiſcopum *Panormitanus* repreſſit, *Franciſci Sfortiae* nuntius aduenit, qui promiſit: *Sfortiam* occupaturum *Romam* et prouincias eccleſiae; *Eugenium* in manus *Felicis* poſiturum; *Venetias*, *Florentiam* et *Genuam* obedientiam *Felici* praeſtare, tandem ad bellum ſe paratum, vtcunque *Felix* iuberet; petiit autem, vt confirmarentur priuilegia, quae ab *Eugenio* olim in ipſum collata; *vexilliferatus* eccleſ. romanae; vt in menſem 13000 aureos acciperet, pro 4000 equitibus, 1000 peditibus; ſex oppida (*Tudertum*, *Aſſiſium* &c.) ei traderentur. Anno 1443 cauſſae priuatae

Conciliares diuidebant; de pace inter *Suicenſes* et *Turegienſes* actum; duces Pomeraniae adhaeſerunt *Felici*. Cap. 140. Caeſar litteras ad reges et principes dat, quibus ad celebrationem alius concilii hortatur; *Friſingenſem* eccleſiam a patribus Caeſar *Henrico* cuidam impetrare ſtudet; ſed legitima electio *Iohannem*, (cardinal. *Felicis*) praepoſitum et canonicum ibidem, deſignabat; *Henricus* etiam *Eugenii* prouiſione vſus eſt; hic ea poſſedit, quae in *Auſtria* erant; Iohannes vero ducis *Bauariae* auxilio, eccleſiam tenebat. C 141. narrantur leges concordiae inter *Alfonſum* et *Felicem*, atque inter *Alfonſum* et *Eugenium*; ſed hae tandem valuerunt. Itaque auocauit Alfonſus ſuos, (ſubditos) *Panormitanum*, *dertuſenſem* et *Vicenſem*, cardinales. Concilium bellum inter *Auſtriacos* principes et *baſileenſes* eorumque ſocios vix compoſuit. Hic finit *Patricius*. canon. Senenſis, ſummarium concilii *Baſil.*

Iam, etſi ad annum 1448 nomen concilii ſiue *baſileenſis* ſiue *Lauſanenſis* durabat, ſine omine tamen fere fuit; niſi quod *Felicis* cauſſam rexiſſe videri voluit, eique honoris aliquod inſtar ſeruaſſe, cum iam ſiue a *Friderico*, ſiue a rege *Franciae* eo adductus eſſet, vt vltro abire a pontificatu ſtatueret. Videtur autem *Felix* ſibi ipſe inde ab initio defuiſſe, quod argento effundendo iuſto magis pepercit; *Antoninus* certe ita arbitratus eſt, eum obedientiam ſuam facillime dilataturum fuiſſe, ſi theſaurum ſuum in tempore exponere voluiſſet. *Nicolaus* V. nihil eorum omiſit, quae facere videbantur, contra *Amadaeum*. A. 1447. m. decembri *ad omnes Fideles* ſcripſit, (*Harduin.* pag. 1313. tomo 9.) — ad iniquitatis alumnum, *Amadeum*, oculos conuertimus; — cariſſimum in Chriſto filium, *Carolum*, Francorum regem, vocamus, eique ducatum *Sabaudiae*, et omnem Amadei terram et eius fautorum bona, *donamus*; — vel per ſe vel per dilectum filium *Ludouicum*, delphinum Viennenſem, *aſſumto crucis ſignaculo*, viriliter ſe accinget, et triumphum reportabit — et vt vniverſi

verſi eo libentius ad id currant, omnibus, qui cum rege contra Amadeum proceſſerint, *plenam ſuorum peccatorum veniam indulgemus*, et in retributione iuſtorum *vitae aeternae pollicemur* augmentum. Sequuntur aliae epiſtolae, et *auiſamenta*, de compoſitione inter *Nicolaum* et *Amadeum;* pag. 1325 decretum Synodi *Lauſanenſis*, quo abrogantur cenſurae, occaſione ſchismatis inflictae, 1449, inde ceterae ſcriptiones, quibus tandem illa cauſſa confecta fuit.

Ceterum vel iſta, quae recenſuimus de *baſileenſibus*, facile oſtendunt, nihil eſſe *poteſtatem iſtam eccleſiaſticam*, quam tantopere inde a *Conſtantienſi* et *Baſileenſi* concilio aduerſus papam extollere didicerunt patres eccleſiaſtici, niſi *principum et regum* adſit numen; a qua diſciplina *Wiclefus* et *Huſſus* non abfuit. Caecum eſſe oporteat, ſi quis nominis vanitate quantumuis ſplendida duci ſe patiatur. Huius poteſtatis nihil quicquam a Chriſto eiusque doctrina deriuatur; imperii eſt; *Tiberii*, *Traiani*, *Aureliani* &c. tam fuit, quam poſtea minorum imperatorum et regum chriſtianorum; vt maxime enim magnifice extollatur illa poteſtas eccleſiaſtica, *ab hominibus tamen* ii eliguntur, qui *Pontificis* &c. nomine, et iſto poteſtatis ſimul condicto numine, vtantur. *Harduinus* edidit pag. 1235. tomo 9. *Holſtenii* admonitionem, de concilio *Baſileenſi*, vtrum cum ceteris conciliis generalibus, quae *Romae* 1608—1612 graecolatina edebantur, etiam iſtud concilium excudendum ſit; mirum non eſt, *Romae* fuiſſe, qui noluerint recudi iſta *baſileenſia* acta. Idem *Petitdidier*, cuius antea (pag. 000.) excitabamus diſſertationem, cap. VI. *de erroneis principiis Theologorum* concilii Baſil. egit; vt Hiſpani cuiusdam epiſcopi tractatum, 1435 *Iuliano*, concilii praeſidi exhibitum, refutaret, qui *Gerſonis* rationibus inhaeſerat. Alia via pergendum eſſe duxit *Bernardus Deſirant*, ordin. erem. Auguſtini, Theol. Doctor, in *conſilio pietatis*, de non ſequendis errantibus, ſed *corrigentibus*, iuxta *Retractationes Philippi* 4, circa geſta contra *Bonifa-*

cium 8, et *Iohannis* Charlier *Gerſonii*, circa ſuas nouitates &c. 1720 ſeq. *Romae;* quod *Coloniae* recuſum fuit, 1725. 4. tomis 3. ſed fictam *Gerſonii palinodiam* ſatis refutauit *L'enfant*, in hiſtorica et apologetica diſſertatione, pro *Ioh. Gerſono*, et concilio *Conſtantienſi*, contra *Deſirantum* et *Petitdidier*, tomo 2. hiſtor. concil. conſtant. pag. 498 edit. anglic. *Deſirantus* autem non inepte varia obſeruauit, quae ad cauſſae omnis veram indolem faciunt, *diſſertatione quarta*, de *retractationibus* Gallorum, qui baſileenſibus adhaeſerant, circa geſta contra *Eugenium* 4. Capite X. quantum *Gerſonii* doctrina in *baſileenſe* ſchisma influxerit; Cap. 14. de cauſis diſſolutionis (concilii *baſil.*) in Bulla (*quoniam ab alto*, tomo 8. *Harduini* pag. 1578.) expreſſis. C. 15. quod diſſolutio, vt eam *Eugenius* prodidit 1431. d. 18 decembris, bona fide quidem ab eo expedita fuerit, *ſed per ſub- et obreptionem;* (nempe infallibilitas papae *diſtinctiunculis* ſaluanda erat; et concilii iſto tempore vera auctoritas negari non poterat;) C. 16. de inimicis *Eugenii*, qui inde captarunt occaſionem vindictae. C. 17. de prima *Baſileenſium* fallacia, ſimulantium ſe vrgere ſolam diſſolutionis ſub- et obreptionem; et per ſubdolas litteras circulares *ſuam contra papam auctoritatem erigentium;* C. 18. Pontifex reuocauit diſſolutionem, et ad concilium *baſileenſe* denuo conuocauit. C. 19. patres non exſpectarunt terminum reſponſionis. De congreſſu *bituricenſi* in Galliis, 1431 (i. e. 1432. annus a prima paſchatis demum numerabatur.); C. 21. *Baſileenſes* acceptarunt a Gallis, quod ipſis vtile; ſed Aepiſc. *lugdunenſem* reuocatum iuerunt a legatione *Romana* ad concilium, is autem in Gallia manſit. C. 22. Iam non amplius rogarunt papam, ſed praeceperunt, vt pareret concilio, quod eſſet ſuper pontificem, etiam vnicum et indubitatum; eum citarunt intra trimeſtre. C. 23. ſed non exſpectarunt terminum elabi; menſem et 9 dies occuparunt. C. 24. pauci erant, qui ſeſſione *ſexta*, papam et 21 cardinales nomine euocari iubebant; quinque cardinales, quos inter *Arelatenſis*,

tenſis, *Romae* adhuc erant, qui occulta cum baſileenſibus conſilia voluebant. C. 27. tractatus inter *Eugenium* et *Sigismundum*, (qui coronae cauſſa in Italia fuit,) 1431 menſe *Iulio*, de forma reuocationis. Bulla, *Dudum ſacrum* &c. a papa miſſa ad baſileenſes, *non vero ab iis Eugenio* iniuncta. C 28. variae formae *concordiae*; quae Papae, et quae concilio conueniret. C. 30. de facienda *correctione* in editione ſeſſionis 14 et 16. *baſil.* Nempe ante ſeſſionem 14, ponenda conſtitutio, *Dudum;* ſequatur Bulla, de 13 Auguſti, qua deputatos ſuos declarauit; *Cum vos ad petendum* &c. Iam acta ſeſſ. 14. — vt appareat, pontificem *legem* ſcripſiſſe, non ei Baſileenſes. Cap. 31. de falſis ſenſibus, quos *baſileenſes* ſeſſ. 17. 18. tribuebant phraſi, concilii *caput* et concilii praeſidens. Cap. 32. de mirabili *Amadei* abdicatione, qui cum 6 nobilibus 1434 factus eſt eremita *ordinis equeſtris*; (Decanus S. *Mauritii*, cap. 24.) erat non laicus, quantum ad apparentem religionis vmbram; et quantum ad *praeparationem*, ſi caſus ferret. C. 33. de praeparatione Graecorum ad vnionem cum *latinis;* de artibus, quibus *baſileenſes* illos ſibi vnire tentabant; qui contra pontificem gradatim procedunt, ſeſſione 19–25. C. 34. de vera ſeſſione 25, 1437. d. 7 Maii, in qua baſileenſes fuerunt diuiſi; pars praelatorum maior et ſanior conſenſit de concilio graecorum cauſſa, vbi Papae placeret; (eorum decretum eſt apud *Raynaldum* num. 7.) altera minor pars, introductis ex *Cleri faece* maiorem numerum praetexens, fabricauit eodem die aliud decretum, de alio concilii loco. C. 35. de ſeſſion. baſil. 26–32. C. 36. de ſeſſione 33–35. Bulla vnionis Graecorum 1439. d. 6 Iulii *Baſileenſes* autem die X nouum papam eligendum decernunt. Vah furor! Vah ſcandalum! C. 38. de turbis, clamoribus et ſtrepitibus, quibus ipſi *baſileenſes* agitabantur; *arelatenſis* a quibusdam ibi *Catilina* dictus; ex *Aenea* Syluio. Tandem ex *Iohanne* a *Turrecremata* articuli 6, contra *Conſtant.* ſeſſ. ſextam et *baſileenſes*. C. 43. de ſeſſionibus, in quibus *baſileenſes*

ſes Amadeum, *Felicis* 5 nomine, vicarium potius latrocinii *baſileenſis*, quam romanum pontificem elegerunt, *ſibique*, vsque ad ſeſſionem vltimam *ſubiectum habuerunt*. Haec recenſuiſſe ex libro inter nos non multum obuio, operae videbatur pretium; non poenituerit certe, vti iſtis ad arbitrandum ſubſidiis, quae vel breuiter deſcribebamus. *Gallicana* eccleſia ſemper defendit auctoritatem concilii generalis *ſupra papam*, et vt *haeretici condemnantur*, qui contrarium tenent. In galliis concil. *Conſtantienſe*, vt generale in omnibus partibus creditur. *Baſileenſe* lex eſt et regula; et omnes Galli eligerent mori potius, quam aliud ſapere; ſunt ſententiae Cardinalis *Lotharingi*, in concilio *tridentino*, 1563, quas Romam ſcripſit; vid. notas in cenſuram *Hungaricam* 4 propoſitionum cleri gallicani, opera aliquorum theologorum pariſienſium, quae adhaerent *Vindiciis* doctrinae maiorum ſcholae pariſienſis, contra defenſores monarchiae vniuerſalis et abſolutae curiae romanae, authore *Edmundo Richerio*. *Colon.* 1683. 4. E quo corpuſculo (et *Launoio*) non pauca colliguntur, ad melius perſpiciendam omnem hanc cauſſam de poteſtate eccleſiaſtica, et *Gerſonii* diſciplina noua; parum abeſt, quod deus porro adiuuet! noſtra aetas, ab ea felicitate, vt omnes per *Europam* reges ſua iura et ſuorum commoda luculenter ipſi procurent.

Concilium Florentinum.

Florentini Concilii, (vtimur enim vulgato nomine, licet *Ferrariae* fuerit eius initium) iuſta et frugifera hiſtoria adhuc caremus; quae rerum notabilium vtiliſſima copia haud facile aliis cedat. Non defuerunt ſcriptores eius temporis, ſed, quod fieri adſolet, domeſticis praecipue ducuntur rationibus, vt ſatis ingenue non deſcribant cauſſae primordia, modum et exitum. Ex vtraque parte, Latinorum, Graecorumque, tres conſtituti fuerant in concilio notarii, qui omnia geſta latine et graece fideliter conſcriberent, (*Fantinus*, mſ. *Vatic.* citatus ab *Horatio Iuſtiniano*, ap. *Harduinum* tom. 9. pag. 671.) E *Graecis*

cis vnum exemplar, ſine ſcriptoris nomine an. 1526 *Romae* excuſum fuit, latine redditum a *Barthol. Abraamo*, Cretenſi; aliter transtulit *Ioh. Matth. Caryophilus*, *cretenſis;* atque iſtud opuſculum *Harduinus* etiam recudi fecit. *Horat.* autem *Iuſtinianus* ex latinis ſcriptionibus, quas e *Vaticana* bibliotheca conquiſiuit, *acta* huius concilii collegit, diſpoſuit, et notis ſuis illuſtrauit; habentur ap. *Harduinum* pag. 669 ſeqq. Summam concilii baſileenſis, *Florentini*, Lateranenſis (eo tandem auocatum fuit,) iuſſu Francisci *Piccolom.* cardin. *Senenſis*, ſcripſit *Aug. Patritius* 1480, ibid. p. 1081 ſeqq. Recenſuit etiam *Raynaldus* multa litterarum monumenta, quae ad iſtam hiſtoriam pertinent. Sed deerat adhuc graeci ſcriptoris cuiusdam, exercitati et rerum non imperiti, auctoritas; qua iam tandem vti licet, poſtquam *Robertus Creghton* e MSto edidit *veram hiſtoriam vnionis non verae inter graecos et latinos*, ſiue concil. *Florentini* exactiſſimam narrationem, graece ſcriptam per *Syluestrum Sguropulum*, magnum eccleſiarcham, vnum e quinque crucigeris, et patriarchae Conſtantinopolitani conſiliariis; *Hagae comitis* 1660. fol. Satis longa praefatio *Creghtoni*, vtilitate quidem ſua non caret, ſed poterat cum minori declamationis ſpecie haud paulo magis frugifera continere; eius ſub finem indicat, codicem manuſcriptum a Claudio *Sarrauio* deſcriptum fuiſſe e bibliotheca regis Galliarum, (*Henrici* IV. inſignibus notatum,) traditumque *Iſaaco Voſſio;* inde adiutore Cancellario Angliae, *Eduardo Hyde*, impetrauit *Creyhton* exemplar a *Voſſio*. Deeſt autem Sectio prima; et ſectionis 2. caput primum. Miſſus *Eudaemon Ioannes* Romam, pag. 4. vnionis cauſſa, ſub *Martini* encaenia; hic adſciuit Rhodi epiſcopum, *Andream*, qui a Graecis ad *Latinos* transierat, epiſcopatus honore auctus. *Eudaemon* virgines, ſponſam alteram imperatoris, *Sophiam;* alteram *Theodori*, fratris, deſpotae *Peloponneſi*, papae auxilio procurauit; nihil autem profuit indulgentia papae, quam iis conceſſit, qui *Hexamilium*, in *Peloponneſi* faucibus

cibus, armis defensum irent; in archiuis Graecorum tamen istud diploma seruatur, pag. 5. Hic primum papa litteras misit; epistolas 2 ad vtrumque βασιλεα, aliam ad patriarcham. Respondent tres iidem; vnionis optimam occasionem fore, si concilium *Constantinopoli* haberetur; annuit papa; per *Antonium (Massanum*, a. 1422) de summa re actum, sed negligenter. Tandem imperator viribus se non parem esse videns *Turcis* repellendis, in animum induxit, imperatoris *germani* auxilium expetere, pag. 8. sensim de concilio in *Italiam* transferendo latini Romae Graecos admonuerunt, sumtus etiam iam eam in rem computati. *Andreas* rediit cum Graecis *Constantinopolin*, et imperatori facile persuadere videbatur, (p. 10 seq.) interceſſit tamen *patriarchae* prudentia; a legationibus interim ad *Martinum* imperator non abstinuit; tertia vero, audita *Martini* morte, statim iter abrupit, pag. 15; sed alii nihilominus ad *Eugenium* missi. Hic primum omnium quaesiuit, num imperator *Patram* episcopo proprio restituisset; atque videbatur *Eugenius* parum diligenter eius generis concilium promouere, p. 16; eius etiam litterae, quibus imperator respondebat, aberant a *Martini* comitate. Interea *Basileenses* resciuerant, legatos graecos in Italia fuisse; itaque Constantinopolin suos nuntios miserunt, (episcopum *Sundensem*, et doctorem *Albertum*, p. 17.) qui Graecos *Basileam* inuitarent. Placuit haec res imperatori mirifice, itaque non exspectauit reduces istos legatos ex Italia, sed alios sine mora Basileam ire iussit. Iam demum haec causa papae magis curae esse; nouum legatum statim mittere ad Graecos *Christophorum*, Corones ep. qui primum vel super patriarcham locum Constantinopoli sibi designauit, adiutore imperatore. *Basileenses* locum concilii varie proposuerunt, *Anconam*, *Bononiam*, *Mediol. Budam*, *Viennam*, *Sabaudiam*; iurant legati Graeci, se fideliter imperatorem de his rebus certiorem facturos; cum Graecis tres basileensium legati profecti, p. 20; secum habentes 8000 *floria*; interpretes tamen

in

in itinere mortui. Patriarcha iam minus in tam longum iter pronus, nec futuri magna ſpe ducebatur. Papa miſit de novo *Chriſtophorum*, p. 22, quaſi, vt cum *ſynodo* baſil. conueniret; re ipſa, vt Papae in rem omnia ageret. Patriarcha Conſtantinopoli ſynodum volebat; imperator autem iam in peregrinum concilium propendebat; *baſileenſium* interea diſſidia interna non latuerunt; iis graeci varie commoti, *Patriarcha* praecipue ad indignationem, qua ab imperatore publice derideri meruit, p. 25. Concilii legati imprudenter *decretum* praelegunt, p. 27, quod *Bohemorum* haereſin et Graecorum procuratum iri ſpondebat; iam Graecis multo aegrior mens fuit; legati errorem ſeu σφαλμα in ſcribendo eſſe interpretantur. Poſt multam rei tractationem, Graeci poſtulant, vt *Baſileenſes* fidem dent, Papam ei cauſſae ipſum aut par legatos adfuturum; itaque *Baſileenſes* legati *Chriſtophorum* vel inuitum eo adegerunt, vt id confirmaret, p. 37. Multae iam altercationes, quia baſileenſes ſpondere nolebant, de redeundi commoditate, ſi forte vnio non perficeretur. *Sectio tertia* complectitur epiſtolas patriarcharum, ad vicarios deſignandos; graeci deliberant, de futuris diſputationibus; triremes papae adueniunt, ſed et ſynodi; (papae praefectus vel bello has petere ſtatuerat, iuſſu papae, p. 54.) plerique ſynodo fauent; imperator et patriarcha autem ad papam proficiscendum ſtatuunt; quia Itali videantur recte confirmare, argento *baſileenſes* tam facile inſtructos non fore, quam Papam, licet iſti legati 30000 florenos, et *collybiſticas liberas* oſtenderent. Hic Graecorum ſanior pars recte ſtatuebat: optimum conſilium fore, vt imperator neutrum in locum diſcedat, domi potius maneat, quia potior foederis pars aberat, concordia inter concilium *baſil.* et papam. Liberales conditiones *baſileenſes* offerebant, vt experiretur imperator, an vlla ratione effici poſſet, vt *Eugenius* cum baſileenſibus componeretur. Aduenit iam (p. 57.) *Manuel* Bisconſulum alter, a *Sigismundo* imperatore, ex *Hungaria* per *Moldauiam* et *Macedoniam* citato equorum curſu XXXX die-

rum

rum iter emensus. Iam in contrariam sententiam ipse *Sigismundus* iuerat, consuluitque, vt potuit instantissime, abstinerent graeci a profectione in Italiam, vt iam quidem temporis sit ratio. Sed nec hoc consilium apud graecum imperatorem valuit. In *Amurathi* etiam aula, graecus legatus, *Asan*, a *Veziribus* rogatus fuit, quid esset, quod imperator latinorum opem imploraret? Magis opportuna auxilia potius ab amicitia et foedere cum *Amurathae* exspectari posse, quam a Latinis; licere, vt petat Graecus, quid velit, pag. 58.

Iam igitur electi patres, qui ad concilium irent; praeter 20 episcopos graecos, Patriarcha; *Russiae* metropolitanus, *Isidorus*, cum vno episcopo; sex magni ecclesiastici constantinopolitani; omnes fere officiales; sex hieromonachi; Psaltae et alii monachi, plerique omnes meta et malo omine pleni. Pro tot hominum et itinere et commodo ornatu, 15000 floreni a latinis distributi; sex dedit imperator patriarchae, (vt maxime longe plus argenti postularet, vel pro suis;) fratri despotae, 2000; apocrisiariis suis, 1000; cetera sibi seruauit. Sectio 4, quae nauigantibus acciderunt; p. 73, foedum habitaculum a porcis parum remotum, *Methonense*, graecos offendit; vt *Veneti* in occursum venerint; luctus Graecorum, cum tam multa sacra momenta oculis vsurparent in S. *Marci* templo, olim e Constantinopoli ablata, p. 88. longa altercatio, de osculo pedum, quod Papae patriarcha fortiter negauit; de ordine publicarum sedium *Ferrarae*, lites pag. 101 seqq. Graecis vel templum aut locus sacris habendis, negatus, pag. 109. Promulgatio Synodi, nono aprilis, absente patriarcha, siue ob valetudinem, siue quia sollemne velum ei negaretur. Sectio V. Patriarcha prohibuit, ne graeci a latinis ad epulas inuitati, accederent; *Marcum*, ephesium tamen *Iulianus* pertraxit; inter conuiuii laetitiam persuasit ei, vt ad papam quasi gratiarum agendarum caussa scriberet. Arripuit homo ingenii ostentandi occasionem; laudibus non pepercit, sed et vnionis omen faustum illud designauit, si

papa

papa *filioque* et *azymum* abiiceret. Inde ad imperatorem *Iulianus* retulit, qui non parum indignatus eſt, quod graeci eo vsque, ipſo inſcio, proceſſerint. Tandem ad colloquium, cum graecis ſelectis ventum eſt, quia Papa id honoris maxime expetebat, vt eſſet, quod fama *Baſileenſibus* opponeret, p. 115. poſt longos ſermones, p. 123 quatuor illa capita deſignabantur, de *proceſſione* Spir. S. de ſacrificio fermentato vel azymo; de igne purgatorio; de primatu papae; duo priora capita *Graeci* volebant in concilium ipſum differri; de iſtis aliis autem conſentiebant ab iſtis ſelectis auctoribus poſſe diſputari. Interea de *Amurathis* bellico apparatu fama vndique adueniebat, p. 125; papa cum Graecis aliquot *Venetias* nuntium miſit, qui de nauibus bellicis et argento proſpicerent; ſed parum bene acceptus a ſenatu nuntius clam ſeceſſit, graecis inſciis, licet papa imperatori affirmare auderet, nuntium ibi adhuc eſſe. Hoc igitur primum fuit auxilium; exclamat *Sguropulus*, p. 129. *Iulianus* inde ab Apoſtolorum temporibus *purgatorium* deriuauit, p. 130. Hic et alibi ablegat auctor ad graecorum commentarios de purgatorio, contra latinos, p. 132. *Marcus Epheſius*, videbatur iuſto mollius reposuiſſe *Iuliano*, itaque *Gregorius*, poenitentiarius graecus, non parum ab eo alienatus fuit; nec ſatis ingenue latini disputatores hic egerunt, p. 137, vt imperator ipſe vetuerit, ne graeci tot inutilibus quaeſtionibus vel verbum reponerent, p. 140. *Sectio ſexta*, Graeci iam prohibiti ſine venia vrbe exire; viliſſimos equos papa imperatori deſtinauit; *Latini* Graecos *haereſeon* LIV vulgo accuſarunt, (*Baſileenſes* XXI *Biturim* miſerant, *Spondanus* a. 1438. n. 25.) itaque illos non mediocriter iſta contumelia tetigit, p. 145. Papa in graecos vehementi oratione inuectus eſt, pag. 149: per tantum tempus ignauia hic torpuiſtis, ibid. ipſe imperator operam dare neceſſe habuit, vt Graeci penitius in latinam prouinciam pertraherentur, ne fuga clam elaberentur, p. 152. alii veriti, ne ex ipſis ad *Latinos* (ob paupertatem) deficerent, p. 153. In *ſynodi* initiis non de-

fuit imperatori, cur indignaretur, cum Papa in magna pompa turgeret, p. 162–167.). Ad *Synodum septimam* falso Latini prouocant, pro additamento; aliter non opus erat, vt *Aquinas* vester tam copiose causſam defenderet, p. 171. — Graeci ob famem repellendam vel vestes vendunt, ibidem. Ex ipsis Graecis aliqui *Ephesii* in vultum ridiculis vtuntur gestibus, p. 125. *Sectione* VII; imperator studet, auertere Graecos a litibus de *additione*, vt ad rem et dogma transirent; obstitit et *Gemistius* et Patriarcha, p. 202. aliique Graeci, ne causſae ipsi deessent. Papa in magna rerum anguſtia, graecis stipendia, quae iam menses quinque debebantur, exsoluere non potest; itaque cum *Florentinis* pepigit, qui pecuniam spondebant, si concilium *Florentiam* transferretur. Variis in voluntatibus *Graeci* eo pertracti, licet peritiores intelligerent, cum *Latini* ne latum quidem vnguem concedere vellent, vnionis parum fausta esse auspicia; p. 209. Sectio 8. *Florentiae* de processione Spir. S. porro disputatum; latini patrum quorumdam latinorum sententiis praecipue vsi, p. 217, imperator tamen vel ad vnionis nomen et speciem maxime propendebat, vt *Ephesio* libera non esset disputandi facultas; hic etiam constanter negauit, sufficere ad vnionem, si latini consentiant cum *Maximi* epistola ad *Marinum*, quod imperator, magna vehementia in suos vsus, tandem peruicit, pag. 223. Tentatae iam p. 236 formulae de *processione* Spir. S. conscribendae; an idem sit, *ex* patre *et* filio, atque, ex patre *per* filium, multis disputatum. Liceat paululum quasi subsistere, et pacato animo feruidae disputationis inanitatem mirari; multum enim interest ad christianam rem et virtutem, de ista causſa tot artibus, iurgiis, iris, temporisque, quod haud paulo melius collocari poterat, tanto dispendio, post secula a Christo nato XIV disputari? Hinc pendebat hominum salus? Theologiae, quae idem imperat eloqui, quod voluerunt alii, istam inutilem et parum saram imaginem et nos hodieque, Theologastrorum studiis illis imbuti, amplectemur? Vicit tamen multitudo, vt suf-

fragia

fragia confirmarent, quod voluit imperator, p. 243. *Sectio* IX. res tandem haec confecta fuit; *ex filio* procedere, ἐγνωμοδοτησαν primum graeci, mutarunt deinde; rurſus mutarunt ſententiam, et admiſerunt eam definitionem, poſt multas rixas; ambigue ſententiam dixit patriarcha, p. 260, vt plerique putarint, eum *ex filio* negare; plures clare negabant, quos imperator non parum obiurgauit, ibidem; alios *Roſſenſis* inter dapes attraxit, p. 261. his artibus dies duo conſumti; vel laici et miniſtri imperatoris ad ſuffragia admiſſi. *Iberorum* duo legati, qui cum graecis venerant, non nihil rem turbarunt; alter epiſcopus, alter ſecularis princeps. Iſte ſeparatim epiſcopos adiit, et monſtrauit diploma patriarchae *Antiocheni*, quo vetabat, *Latinorum* cauſſa vel iota mutari; poſt clam feceſſit; feceſſit et princeps *Romam;* neuter enim in vnionem conſentiebat, p. 268. Princeps ille vel illud reprehendit, quod pro concione *Iohannes* quidam protonotar. latinus, ſaepe *Ariſtotelem* allegaret: quid nobis cum *Ariſtotele?* Nec papa homini aliud perſuadere potuit, cum *Iberos* iure a *Latinis* feceſſiſſe affirmaret, p. 269. Iam imperator, ſententiam latinorum iure valere, litium autem rationem omnem impoſterum Graecis abſciſſam, ſtatuit, p. 271, vobis igitur centurionibus mando, vt attendatis, ſi quis contra vnionem quid dicat; operam dabo, vt impune non fiat. Sed papa, praeter ſpem imperatoris, licet animabus Graecorum bene ominatus, parum contentus his primordiis, plura ſupereſſe admonebat; nec apud Graecos praecipuos patriarcha facile valuit, p. 272 ſeq. cum vnionem ſuaderet perfici; ipſe auctor huius hiſtoriae fortiter ſe oppoſuit, palam prae ſe ferens, ſe ſatis noſſe, quales ſint illi plerique epiſcopi, 2 aut 3 exceptis, pag. 274. Latini autem, vt fieri ſolet, poſtquam illa impetrauerant, etiam *eccleſiaſtici ordinis* quaedam apud Graecos corrigi volebant. Sectio X; mors patriarchae; imperator autem et alia capita confirmauerat, vt latini poſtularunt, ſuis conſiliariis vſus; *latini* poſtulabant, vt Graeci ἐπικλησιν abiicerent, p. 278. *Iulia-*

nus oppoſuit codicum conſenſui: an ſacramento imperator confirmare audeat, ὁτι τα βιβλια — ϑδ' ὁλως μετεποιηϑησαν ἐν τϐτοις χρονοις, aliter non eſſe, vt latini de ea re ſibi perſuadeant. Latini poſtulabant, vt et Graeci eumdem euchariſtiae conſecrandae modum adſciſcerent, quem latini habebant, papa tandem vehementer Graecos obiurgauit, quidni redirent? An et patriae et eccleſiarum curam abiicerent, p. 279. Altercatio de ſubſcribendi honore; imperator, ex more veterum conciliorum, ſuum nomen praepeni poſtulabat; decem per dies *definitionis*, quae tandem valuit, formula varie tentata et correcta eſt; de *appellatione* ad papam, nimiae auctoritatis patroni *Nicaenus* et *Ruthenus*, confirmare auſi ſunt contra imperatoris poteſtatem; pertinaciam Latinorum ita perſpexiſſe ſibi imperator viſus eſt, p. 281, vt diceret: ſi quis ex nobis affirmaret, Chriſtus eſt verus deus noſter, *Latini* haud dubie aliquot dies contra nos diſputarent, et rationes in contrarium reperirent. — *Mitylenaeus* vnioni ita ſtuduit, p. 282, vt dictitaret: concedat mihi papa *Floria*, vt iis diſtribuam, quos ſatis noui; et efficiam, vt facillime definitioni ſubſcribant et vnionem amplectantur. Papa iuſſit ei argentum numerari; diſtribuit igitur inter egenos epiſcopos; accurrebant tandem et alii, vt dona acciperent. Epiſcopus *nicomed.* papae indicauit, intereſſe ſe ſollemni pompae *vnionis* non poſſe, quia φαινολιον non ſuppeteret; accepit florenos 18, atque ſic ornatior interfuit. *Clanculum talia miſſilia* a papa ſparſa tam ante quam poſt vnionem; vnde dicterio locus fuit, quo falſo Graeci omnes notabantur, quaſi ſubſcripſerint acceptis demum florenis; quod falſum eſſe ſtudioſiſſime confirmat *Sguropulus*. *Epheſius* autem, p. 284 clare profitebatur, quidquid fiat, ſe non ſubſcripturum; formulae *anathema* addi voluerunt *Nicaenus* et *Ruthenus* in omnes, qui vnionem non amarint, aut qui ei contrarii ſint. *Trapezuntius* obſecrabat imperatorem, ne *anathema* adiiceretur rei, quam in animum admiſiſſe pudor ſit; alii rogarunt, non ſine monſtro, vt *Patriar-*

triarchae in locum imperator alium eligi non ſineret, ante, quam in patriam rediiſſent, p. 285. *Ruthenus* et primicerius aperto odio alter in alterum exarſit; — tu non eris patriarcha — Tandem, poſt ſollennem miſſam papa praelegi iuſſit definitionem, licet Graeci ſperaſſent, fore vt et graeca liturgia latinam exciperet; die Iulii quinto ſubſcriptio mandata, pag. 287. Subſcripſerunt non pauci ex iis graecis, quibus ius nullum tribui ſolebat. Imperator ſub poena iuſſit ſuos ſubſcribere, pag. 290, et vnioni publicae intereſſe; aderant latini in aula imperatoris, qui viderent, quomodo Graeci (vel cum ſuſpiriis et lacrimis quidam) ſubſcriberent, p. 292; non paſſus eſt tamen imperator *Nicaeni* ſtudioſam orationem, qua latinorum formulam eucharisticam maxime laudabat, actis ipſis adiici, veritus, ne reduces antiquam *Baſilii* et *Chryſoſtomi* liturgiam abieciſſe dicerentur; pag. 293. *Mitylenaeus* ad latinos transierat, pag. 294. Die Iulii 6, a. mundi 6947, in magna omnis populi eccleſiaſtica pompa graeci ad manum papae oſculandam publice admiſſi, p. 295. alii etiam a ſacro ſervitio papae fuerunt — Καὶ ἔτως ετελεσθη ἡ δοκεσα ἑνωσις, p. 297. Iam die ſequenti a papa imperator poſtulauit, vt et latini intereſſent ſacris graecis; ſed reſponſum, papam ignorare, quo omnino modo graeci ſacra facerent; exponenda igitur fuit forma; ſed nec ſic papa ſatis intellexiſſe dicebatur; itaque poſtulatum, vt in priuato conclaui graeci omnem illum modum re ipſa explicarent, praeſentibus aliquot cardinalibus; imperator indignatus dicit, pag 299, *latini* noua non pauca excogitarunt, et nos tamen audent corrigere, qui nihil quicquam mutauimus. Papa in *Epheſium* ſynodicam ſententiam ferri voluit; latinumque patriarchum Conſtantinopoleos commendare ſtuduit. Sed reſtitit imperator. Diaconus *Philippus*, qui *primicerium* latinorum more liturgiam peragentem vehementer antea reprehenderat, *Epheſii* ipſe acerrimus ſectator, ad latinos defecit, p. 301. Poſt vnionem iuſtum eius fructum illum imperator poſcebat, p. 302, vt priſtina *dioeceſis* reſtitueretur, inſulae et vrbes metropo-

liticae, quas detraxerant olim romani; praecipue *Monembasiae*, *Rhodi* et *Mitylenes* episcopi, a papa poscere iussi, vt *latinis* amotis graeci suis ecclesiis ipsi praeesse possint; sed nec canonum auctoritas nec orantium contentio multum apud papam valuit, pag. 303. De numerando stipendio, σιτηρεσιον, p. 305. dilata est solutio a papa, qui 5 exempla vnionis perscriptae fieri adhuc voluit et subscribi, quae *regibus* distribuerentur; iam tandem *Venetias* graeci rediere, p. 306, aegre acceptis stipendiis. *Bononiae Philippus*, ille diac. cum aliis in legatos Αγκλιτερας (angliae) incidit; qui de Synodo rogabant; diaconus hic praeclara omnia mentiri, p. 307, fateri tamen, *graecos seruasse suam*, et *latinos item suam sententiam tenuisse;* igitur et angli illi legati mirati sunt, miram illam vnionem, quae partem neutram coniunxerit. —

Pag. 309. Conuentus, quos imperator et papa coegit, ex decem Aepiscopis fere constabant, qui aliis insciis, ἰδια, tractabant; graeci autem reliqui, sicut et latini ceteri, nihil quicquam sciuerunt iis de rebus, quae ab istis agebantur. Itaque fas non esse, (recte statuit *Sguropulus*) succensere iis, qui talem vnionem non amplexi sint; quasi *oecumenicae* synodo contrarii esse audeant. Imperatorem, qui scribendo praeiuerat, secuti sunt ceteri, ignorantes plerique, quid charta contineret. Sectio XI, de reditu Graecorum. *Metrophanes*, Cyzici metropol. qui patriarchatus spe *Florentiae* ducebatur, furto amisit sub discessum lecti aulaea, et sacramenti repositorium (παρακαταθηκη,) p. 312. *Venetiis* inuenerunt φυγαδα Stauropoleos, qui adeo vnioni contrarius fuerat, vt quidam latini eius occidendi consilium ceperint. *Cyzicenus Venetiis* publice in sacris papae nomen recitauit, eam ob rem a plerisque graecis graviter reprehensus, p. 314. Venetorum dux, ab aliis vt videtur, contra *Ephesium*, subornatus, rogauit imperatorem, vt in aede S. *Marci* sacra ritu Graeco haberentur; primicerius eos omnino designauit sacrorum iam ministros, quos sciebat vnionis poenitere, p. 316; negauit tamen ministe-

niſterium illud *Heracleenſis*, noluit et *Anchiali* epiſcopus; inuiti tandem paruerunt; ſymbolum autem ſine additione legerunt, nec papae nomen recitatum fuit, p. 318. Mortui patriarchae ornamenta publice vendita, vt eſſet, quod impenderetur in funebre ſacrum; 500 enim floreni, eius in muſeo reperti, partim in nuperam pompam, partim ab imperatore ad canes emendos impenſi; primicerius funebria ſacra repeti inſtituit, vt graecos omnes cogeret iis intereſſe. Redituri graeci a papa tam mediocriter habiti, vt fere ſervorum more, quos captiuos ſolent auehere, arctarentur in carinis; nec nautarum iuſtus numerus adfuit, plerique adeo captiui erant *Ruſſi* et *Bulgari*, loco *Veneticorum* rei peritorum. *Corcyrae* parum ſtudioſe recepti fuerunt, p. 321; publica multorum vox: vtinam numquam in *Latium* profecti eſſetis! cum antea latinam ordinationem hic non admiſerimus, nec iam nouum ius patiemur. Inde *Methonam* venerunt; *Coroneam*, hic latinorum et graecorum ſupplicatio ſacra communis fuit; *Monembaſiam*, in *Euboeam*; et hic mixta ſacra fuerunt; p. 325, *Sciathum* praeteruecti, *Scyrum*, *Scopelum*, ad *diadromos* ferebantur; *Lemno* relicta, ad *Cotzinum*, inde in locum, qui *Saluator* dicitur; cum *Calliopolin* praeteruehuntur, inuitauit praefectus imperatorem per *agarenum* aliquem, ſi forte placeret alicubi in *Amurathis* ditione ſe reficere, pag. 328; inde προαστειον, quod dicitur ὁ Θεολογος, atque die 1 Febr. e *Peraea* Veneti, *Geneuenſes*, alii autem proceres, obuiam venerunt imperatori, qui hic demum coniugis obitum didicit, vt frater Demetrius ſuae reginae. *Sectio* 12 complectitur breuem rerum domeſticam apud graecos hiſtoriam; ii, qui remanſerant, parum hilariter exceperunt redeuntes ex *Italia*; vix multis ſtudiis ſacrorum miniſteria communia fuerunt; cepit adeo reticeri nomen imperatoris, p. 332, e diptychis recitandum; *Epheſius* abnuit patriarchalem dignitatem; *Heracleenſis* etiam dicere auſus eſt, malle dexteram ſibi amputatam fuiſſe, vt ne ſubſcripſerit; in comitiis adeo, patriarchae eligendo coactis, publice profeſſus eſt,

conſcientiae ſe ſtimulos pati non poſſe; abhorrebat et *Trapezuntius* a rebus *Florentiae* geſtis. Operae pretium auctor putauit, et hoc perſcribere; ſortes et nominationem Cyziceni incidiſſe in dominicam *Caeci; Metropolitanum* autem ex Euangelio lecturum, incidiſſe in eam orationem: *ſi caecus caecum ducat* &c. Populi autem, quae fuerit ſententia, vel inde apparere, p. 337, quod ſacerdos quidam in vrbem venerit, vt inaugurationem ſpectaret. Domum redux, campanam pulſat ad veſperam; ſed nemo venit in eccleſiam; nec mane venit aliquis, ita, vt ſacra peragere non potuerit. Parochianos igitur rogauit, quid rei hoc ſit? Reſponſum: ἐλατινησας et ſecutus es patriarcham; vix excuſauit. Epiſcopi et clerici non pauci, reformationem eccleſiae a patriarcha fruſtra exſpectantes, res ſuas ſeiunctas habuerunt, p. 339, ab officio abeuntes; iidem patriarchae hoc exponunt, p. 340, nec papae nomen recitari patiebantur, p. 343. His tam ſcaeuis rebus et perpetuis iurgiis et aula et eccleſia Conſtantinopolitana agitati non deſiit.

Acta concil. *Florentini* graeca, ap. *Harduinum*, ſtatim ab initio narrant imperatoris ingreſſum in *Venetias*, Febr. 9. die 28 *Ferrariam* diſceſſit. Imperator iam poſtulauit a papa, p. 10, vt ampliſſimo concilio, reges, duces &c. intereſſent, ſiue ipſi, ſiue per legatos; papa excuſavit, licet ita pactum eſſet, bellorum et discordiarum infortuniis; quatuor menſium ſpatium quaeſiuit, vt plures cogeret, (ſic et publice praelectum, die 9. april. 1438. pag. 14,) ſed parum profecit papa. Igitur placuit *Ferrariae* initium facere concilii, vt fama rei plures alliceret. Ρωμαιων βασιλευς dicitur Iohannes palaeol. in papae decreto. Interea, dum redirent epiſcopi, qui *Baſileam* miſſi erant, pag. 18, diſputatum inter 12 ex vtraque parte, de *purgatorio* igne, (καθαρτηριον πυρ, ſemper dicitur, non locus, ἐν τῳ ἐνεστωτι,); Graeci locum obſcurum, moeroris plenum, ſtatuunt, *ſine igne*, in hoc tempore. — Diabolus et mali angeli ex parte materiales iam facti, itaque ignis aeternus ha-

habebit materiam, in quam valeat — Graeci ſoli inter ſe copioſiſſime tractarunt, p. 25, vtrum ſancti iam beatitudine perfecte fruantur; tandem ſtatutum, animus, vt animus; ſed corpora olim acceſſura. *Ferrariae* peſtis; ſolus tamen ἀντι παντων, e graecis, mortuus eſt *Dionyſ.* Sardium. Tandem ad rem ventum, (quia *baſilea* nulli venirent, nec aliunde accederent); quaeſitum igitur, 1) an fas ſit ſymbolo addi. 2) an pium ſit, quod additum fuit. Die 8 octobr. *prima ſeſſio* in templo palatii; imperatori *germanico* et hic ſedes vacua aſſignata. Poſt multam velitationem, p. 66 e codice ſynodi VII (nicaenae 2) *latini* oſtentant, *filioque* — non eſſe *additionem*, ſed explicationem, p. 70. omnis *additio*, fit extrinſecus, per *Ariſtotelem*, libro de generatione et corruptione; (is haud dubie de hac controuerſia ſomniauit aliquando;) explanatio vero eſt ex iis, quae in textu ſunt, ergo non eſt additio. — *Auguſtin.* de trinitate; *Ambroſius; Gregorius*, dialogus; *Hilarius*; Gregor. nyſſ. filius eſt *ex* patre immediate; *Athanaſius* ad Serap. ſicut ſe habet filius ad patrem natura et ordine, ita ſe habet Spiritus ad filium. *Baſilius:* pater habet ſpiritum S. naturaliter; ita et filius habet ſpiritum S. Verbum autem *procedit*, adhibet *Simeon*, metaphr. in vita Dionyſii; *Anaſtaſius*, Sinaita; — additum eſt ſub occidente ſole, ob *Neſtorianos*, p. 95. — poſt longas diſputationes, ſeſſione 13 narratur de oratoribus *Burgundiae*, qui graecum imperatorem non ſalutarint; latine etiam tantum lecta illorum epiſtola. — *Epheſius*, p. 170, reddite nobis την καλην παραθηκην, prout eam olim in regia vrbe noſtra accepiſtis; occluſum, obſignatum fuit ſymbolum &c. — ex diſpenſatione prudenti *additum* eſt: igitur eadem ratione tollatur, vt fratres recipiatis. *Iulianus*, verboſiſſime loquax: ſi decem capita propoſueris, decem tibi millia reddam — vt Florentiam pertraherentur, narrauit papa, 40000 aureos *Florentinos* ipſi promiſiſſe; ex illis et ſtipendia ſe exſoturum, et pro Conſtantinopoli 12000 cum 2 triremibus daturum,

turum, p. 174. Seſſio 17 fuit *prima Florentiae*. Seſſione 18, de loco *Epiphanii*, in Ancorato; ſeſſ. 19, *Baſilii*; p. 215 in diuinis *non ſubſtantia* eſt, quae generat et ſpirat; ſed *perſonae*. — illud in quod omnia reſoluebant patres conciliorum generalium, ſemper teſtimonia patrum fuerunt, p. 218. de οὐσια, ſubſtantia, ſubiecto, natura &c. οὐσια cum idiomatibus ſuis, eſt ὑποστασις, perſona; (ſic latinis inuſitatum, graecis autem ſolenne;) alio ſignificatu autem, κοινη φυσις trium perſonarum, p. 223. Liber *Baſilii*, a *Nicolao*, Cuſano, Conſtantinopoli allatus, p. 227. membranaceus, 600 annorum, ante ſchisma, bene interpunctus — *Vitium deprauandi libros*, et expungendi e libris, ἐν ἐκεινοις τοις μερεσι ἐφωραθη, non apud Latinos. *Epheſius* contra: ſi a nobis adiectum fuiſſet, vobis non obieciſſemus, p. 230; ſcriptus eſt ergo a quibusdam, qui veſtrum dogma ſequebantur; a latinis iam olim falſi nicaeni canones oſtentati — de vera lectione et ſententia *Baſilii*, p. 254, *Epheſius* a pag. 291 ſeqq. ſatis fortiter graecorum antiquiorum diſciplinam commonſtrat, qui *a filio* procedere ſpir. S. non volebant dicere. *Beſſarion* longiſſimam orationem habuit, (cap. 5. de praepoſitione *per* et *ex*) in qua de *Theodorito* multa. Ex difficillimis et aridis diſputationibus bonae frugis, quod quidem ad virtutem chriſtianam et pectoris ſanam conſuetudinem faciat, colligi vix quicquam poſſit; a tam ſedulis moleſtiis, nec Chriſtus nec Paulus ingenuam in deum hominesque religionem ſuſpenderunt, quae tot iam ſecula non ſolum leues et turpes homines, (qui iſtos ludos facile amant,) ſed etiam viros graues et probos exercuerunt. Tres orationes *Georgii*, *Scholarii*, ad vnionem commendandam, vix habent, quod nos recenſere operae ſit pretium. Pag. 551 ſequitur *Ioſephi methon.* ep. reſponſio ad ſcriptionem *Marci*, Epheſii, qua ſentiam ſuam dixerat de ſynodo *florentina;* vehementiſſime in *Marcum* inuehitur, atque in Graecos alios; p. 568, miniſter epiſcopi *nicomed.* accepto codice (Baſilii) venit ad feneſtram, ſignatoque folio, quaerebat cultellum,

vt

vt abraderet; flante aura mutatur folium, atque ille locum alium erasit; inde attulit ad dominum suum, quasi locus abrasus esset; vnde vos confusi fuistis, — codices omnes dicebat (*Marcus*) corruptos esse, si pro latinis essent. — p. 603 Apologia *Gregorii*, Hieromon. (magni protosyncelli, postea patriarchae, qui *Romae* sepultus coruscauit miraculis) ad epistolam *Marci*, Ephesii. — Scribit Marcus ad omnes vbique terrarum et insularum christianos, vt auersentur eos, qui vnionem sequuntur — Marcus: qui dira nos captiuitate captiuarunt, atque in latinorum *rituum* dogmatumque babylonem abstrahere voluerunt — in media itineris parte subsistentes, — merito vocandi Γραικολατινοι et λατινοφρονες — cum Marcus obiiceret, auri cupidine ductos vnionem amplexos, reponit, p. 616: nescio an talia eructet, quia sanctum *Eugenium* pinxerat, Papae (homonymo) oblaturus, et προσφωνητικον ad eum scripserat, istis verbis vsus: pater *Abraham*, eleua manus tuas et benedictionem impende filiis his; qui ex oriente veniunt; nihil autem mercedis habuit. *Marcus* pag. 620, duplicem baptismum reprehendit; 1) trina immersione; 2) infusione a summo vertice. 1) Cum chrismate. 2) Sine illo. Respondet: vnum et idem est baptisma; necessariam autem esse *trinam mersionem*, traditum est; Και τα τακτικα των Λατινων ἑτω λεγεσι — Acta concil. Florentini, opera *Horatii Instiniani*, p. 669. — p. 687 Bulla Eugenii, qua *Sigismundum* hortatur, vt promoueat aduentum Graecorum in Italiam; — ceterum audiuimus, *haereticos* in regno tuo *Hungariae pullulasse*, et *sacerdotes* regni ipsius nullo modo absterreri aut induci posse, a dilectis filiis fratribus ordinis b. *Francisci*, qui in illo verbum dei praedicant, *vt concubinas* quas publice tenent, dimittant — vnde necessarium erit, vt aliquis praelatus ibi deputetur cum nostra auctoritate et *fauoris tui*, qui haereses extirpet; quod *vt consentire velit* tua celsitudo, *hortamur*, suademus ac etiam stricte requirimus; 1438. Iunio. — pag. 697 *Eugenius* promittit *Graecis*, omnia

omnia contenta in conuentionali decreto *Baſileenſi* ſe obſervaturum fideliter impleturum &c. Tenor, Epiſtolae papae, ad academias, qua inuitat ad concil. *Ferrarienſe; pariſinam*; aurelianenſem *andegau. Toloſanam; Aquenſem; montis peſſulani*, *Auenionenſem*, in Francia; *Salamant. Valliſoleti*, in Hiſpania; *Viennenſem, Liptzienſem*, *Erfordienſem*, *Heidelbergenſem*, *Colonienſem*, in Alemannia; *Louanienſem*, *Cracouienſem;* in Italia, *Perufinam*, *Papienſem*, *Paduanam; Oxonienſem*, *Cantabrigienſem*; in Scotia, *S. Andreae; generalibus* ordinum &c. vt ducant ſecum duodecim magiſtros ordinis (dominic. et minorum) — multa contra *Baſileenſes*. Pars ſecunda actorum, poſt aduentum Graecorum, p. 737 ſeqq. *Eugenii* litterae de *indulgentiis*, et ſubſidio pro Graecis, p. 747 attendentes, quod b. Petro aeterni regni clauigero, et ſucceſſoribus ſuis *infinitum theſaurum*, qui *in Chriſto ſanguine datur*, plena ſit diſpenſandi attributa poteſtas, omnibus, qui contribuerunt, aut contribuent ad tam ſanctum opus, ad certam ſummam, damus facultatem eligendi *confeſſorem*, qui in omnibus caſibus, etiam de quibus apoſtolica ſedes conſulenda, abſoluere valeat — ne per huiusmodi fiant procliuiores ad illicita in poſterum committenda, volumus, quod, ſi ex confidentia remiſſionis huiusmodi aliqua forte committerent, illa dicta remiſſio nullatenus ſuffragetur (iſta modeſtiae ſpecies poſtea non ſeruata ab Arcimboldo, *Tezelio* &c.) Aliae litterae pro *decimis*, p. 749. — cum vsque ad hunc diem circiter 80000 ducatorum ſummam expoſuerimus, *omnique* menſe, vsque ad confirmationem, tam pro expenſis eorum, qui ſunt in concilio, quam pro duabus galeis et 300 balliſtariis ciuitatem Conſtantinopolin cuſtodientibus, 5000 ducatos exponere opus ſit — decimam, per concil. *baſileenſe* impoſitam, conditione per dei gratiam purificata, hoc ſancto concilio approbante, iam exigendam fore declarauimus — priuilegiis omnibus, indultis exemtionibus hac vice ex certa ſcientia volumus derogari — p. 761 vni cuidam *Nicolao*, graeco

graeco, iniunctum eſt, qui res tam grandes ſermone graeco per graecos expoſitas, latinis verbis illico proferebat; pariterque lingua latina per noſtros expoſita, in graecum conuenientiſſime referebat; idem ipſe de ſe dixit, adſcribo hoc (facilem traductionem) gratiae ſpiritus ſancti; ſedebat autem, ſcabello quodam interpoſito inter diſputantes. — *Coloſſenſis* ep. idem ac *Rhodienſis Andreas* nomine; eius dialogus cum Marco Epheſio exſtat in *vaticana*, inter codices Heidelberga aduectos, p. 763, vtriusque idiomatis peritiſſimus fuiſſe dicitur. (Meminerimus hic, *Erasmum* parum fidei habere codici *Rhodienſi*, quem *Stunica* oggerebat.) Pag. 892 narrat et *Antoninus*, qui concilio praeſens fuit, Graecos *corrupiſſe* locum Baſilii, ſubtracto filio in proceſſione. Ceterum hic ibi non parum ampliora ſunt haec acta, quam graeca illa; vt iis carere non queat, qui de iſtis tricis ſatis inuenuſtis omnem quaeſtionem recenſere atque repetere velit. Pars *tertia* actorum, poſt diſceſſum Graecorum, pag. 999 ſeq. Poſt aliquot dies venerunt ex *Armenia* apocriſiarii patriarchae, quaerentes et ipſi vnionem fideique rectitudinem, viderunt et imperatorem, p. 1015. Litterae patriarchae ad ciuitatem *Caffae;* litterae *Pauli Imperialis*, conſulis et regentis ciuitatis Caffae et totius maris maioris, imperii *Gazariae*, ad pontificem. Reſponſio papae: dilecto filio, P. Imp. ciui *Ianuenſi*, *ſcutifero* noſtro honoris, et comiti palatino — te noſtrum honoris ſcutiferum, et te et natos maſculos *comites* palatinos lateranenſes, facimus — *Litterae Ioannis*, patriarchae *Iacobinorum*, ad Eugenium, p. 1018. a. 1440. Decretum pro *Iacobinis*, p. 1022. ineſt catalogus librorum SS. eodem numero et ordine, vt romana *latina* eccleſia ſolet recenſere. Pag. 1031. Expoſitio oratoris reuerendi patris, domini *Nicodemi*, abbatis, pro ſereniſſimo et potentiſſimo *Aethiopum* imperatore, ſuper aethiopibus *Hieroſolymae* conſtitutis; in concil. Florentino 1441 ſept. — maiori laetitiae locus eſt, quod maius imperium noſtrum, quam aliorum eſſe opinamur; ſiquidem *reges centum* noſtro imperio etiam

prae-

praesenti tempore sunt subiecti — fert opinio nostra, *octingentos effluxisse annos*, ex quo nullus ante pontifex *romanus* nos vel leui aut vnico verbo curauerit salutare. — p. 1033, qui aditus ad patriam nostram latinis hominibus paene mortalis et impossibilis est, a nobis aethiopibus in dies saepius frequentatur, verentibus Saracenis regem nostrum offendere — de nostro ad sanctitatem tuam aduentu patriarcha *Iacobitarum* nihil penitus nouit, sed clam illo et Saracenis ignorantibus ad te venimus — quis tecum (Eugenio) nisi stultus valeat aut debeat disputare, cum sit tam ingens ac vetusta sapientia latinorum — datum Hierosolymis, d. 14 octobr. *amet* anno *Amohereth* (misericordiae, gratiae, sed computus ignoratur.) Aliae litterae papae, ex quibus constat, *Andream*, abbatem S. Antonii de Aegypto, et *Petrum*, diac. oratores magni principis *Constantini*, imper. Aethiopum, siue, vt dicitur, *presbyteri Iohannis*, Romam venisse, pag. 1034. Concilium iam *Romam*, in basilicam lateranensem transtulit, quia legati *Zarae Iacob*, magni regis Aethiopiae, (hoc cognomine dicebatur *Constantinus*,) quem presbyterum *Iohannem* vocant, eo venturi erant; pag. 1040, ex decreto Eugenii lateranensi patet, *Ignatii*, patriarchae Syrorum, legatum *Abdalam*, aep. Edessae, Romam venisse, vt decretum de fide acciperet; (de processione spir. S. de duabus in Christo naturis, et de totidem voluntatibus et operationibus), p. 1041, *Abdalla* aep. legit *arabice* traducta acta *Florentina*; constitutio pro chaldaeis et Maronitis, in concil. *lateran.* — post celebratam in oecumenico *Florent.* vnionem orientalis ecclesiae cum occidentali; post *Armenorum*, *Iacobitarum* et *Mesopotamiae* populorum reductionem, venerab. fratrem *Andream* aep. colossensem ad partes orientis et *Cypri* insulam destinauimus; vt et Graecos et Armenos et Iacobitas *ibidem degentes* — confirmaret — in Cypri regno *Timotheus*, metropol. chaldaeorum, quos Nestorianos vocarunt, et *Elias*, episcopus Maronitarum, qui cum sua natione Macarii dogmatibus in eodem regno infectus

ctus fuit, ad veritatem conuerſi; *Timotheus* romam miſſus, ab Elia autem nuncius venit, fidem profeſſuri.

Ex *Auguſtini Patricii* hiſtoria concil. Baſil. Florent. &c. pag. 1142 principium concil. *Ferrar.* 1438. ſeſſ. 2. *baſileenſes* damnantur; itaque plures hic ibi, qui concilii cauſſa discurrebant, *capti; Stephanus* dux Bauariae, et quidam alii bellum *baſileenſibus* intulerunt. Imperator graecus ſcripſit ex Venetiis, ad *baſileenſes*, ſe Ferrariam adire. *Seſſioni* 3 graeci interſunt; ſeſſ. 5, in qua *graeci* cum *latinis* vniuntur; ſeſſ. 6, baſileenſes cum ſuis veritatibus (p. 000.) damnantur. Seſſ. 7. *Armeni* eccleſiae latinae vniuntur; cardinales noui 17 creati. — armenos oportere ſe conformare latinis in feſtis, annunciatio Mariae, natiuitas *Iohannis* baptiſtae; natiu. Chriſti; circumciſio, Epiphaniae, purificationis, quae aliis diebus ab illis celebrabantur. Seſſ. *decima*, concilium transfertur in *lateranum*, ob Aethiopum legatos, et maiorem ſplendorem; alii autem interpretabantur, papam re ipſa oſtendere voluiſſe, quod ſit ſupra concilium, cum de loco in locum facile transferret. Pag. 1236. Apologia *Eugenii*, per Ioh. a *Turrecremata*, in concil. Florentino, aduerſus oratorem Baſileenſium; (edita etiam Venetiis 1563. 4. per Camillum *Campegium*,) ſed non deſunt e Romanis ipſis, qui intelligunt, ne *Florentiae* quidem definitum eſſe, quod papae auctoritas ſit ſupra concilium; *Andreas* du *Vallius*, de ſuprema romani pontif. poteſtate; *Natal. Alexander*, diſſertatione 8, qui et *Holſtenii* rationibus bene reſpondit, quibus recte eiici acta concil. *baſileenſis* ex editione conciliorum romana, efficere volebat. Idem *Natalis Alexander expungi* iubet illam iniurioſiſſimam conſtitutionem *Eugenii*, quae incipit, *Moſes*, contra ſic dictas *veritates fidei* (damnata haec in ſeſſione *baſil.* 38.); in qua ſcripſerat *Eugenius:* ad baſileenſe latrocinium totius orbis *daemonia* confluxiſſe; (exceptis tamen iis, quae aulam Eugenii procurabant;) *Launoii* ſalubris diſciplina contra adulatores rom. non ignoratur; vid. Epiſtolarum partes

octo

octo omnes; vt recenſet in hiſtor. *Nauarr.* Gymnaſii p. 852 ſeqq. quibus fortiſſime papa circumſcribitur.

Supereſt autem ex *Alexandri* illa diſputatione octaua, (artic. 5): acta baſil. concilii *poſt translationem* factam, et Eugenii depoſitionem, et *Felicis* V. electionem, non probauit vniuerſalis eccleſiae conſenſus; pia ſententia patrum baſileenſium, de immaculata conceptione Mariae, *non dogma fidei* euaſit per iſtud iudicium ſynodi *baſileenſis*. Artic. 6. dogma de concilii generalis auctoritate, a Chriſto immediate accepta, et pontificis ſuperiore, ab ipſis propugnatum eſt, qui Eugenii depoſitionem non approbarunt, nec *Felici* adhaeſerunt; nec romani pontifices damnarunt eccleſias, academias aut viros doctos antiquae ſententiae vindices. (Hanc in rem etiam *Launoii* diligentia et luculenta copia adiungenda eſt.) *Hadriani* ſexti hic eminet integritas, qui quam in *Louanienſi* academia hauſerat ſententiam, contra papae infallibilitatem, etiam ipſe poſtea pontifex tenuit, in opere in libros ſententiarum. Conſentiunt academiae *Pariſina*, *Viennenſis*, *Erfurtenſis*, *Colonienſis*, *Cracouienſis*, *Louanienſis*; *Dionyſius* carthuſ. *Alfonſus Toſtatus*; *Nicolaus* de *Tudiſco*, ſeu panormitanus; *Nicolaus* de *Cuſa* &c. Artic. 7. patres *baſileenſes* etiam poſtquam *Eugen.* 4. in ius vocarunt, depoſuerunt, *Felicem* elegerunt, tamen a *ſchismatis labe* purgari debere, ſi quis aequo animo rem conſiderauerit. Diſſertatio IX. de *annatis* copioſius tractat, ad decreta *baſil.* ſeſſionis XII. et XXI. Artic. 1. origo annatarum. Art. 2. de motibus contra annatas, in concil. *conſtant.* (Excitauimus iam antea ſcriptionem, relation de l'aſſemblée de la nation de France à *Conſtance*, pendant la tenüe du concile, ſur le ſujet des *annates*, in corpuſculo, continuation des memoires de litterature et de l'hiſtoire tome 3. partie 1. pag. 116 – 148.) Art. 3. annatarum exactionem ſimoniacam vel illicitam eſſe nec tota natio gallicana ſenſit, nec concilium eam damnauit. Art. 4. Concilii *baſil.* et ſanctionis pragmaticae decretis annatarum exactio prohibita eſt; ſed ea lege, vt aliunde ſub-

ſubſidium romano pontifici ſua adminiſtraretur. Art. 5 regum chriſtianiſſimorum conſtitutiones contra annatas expenduntur. Art. 6. annatas ſoluere, pium eſt; exigere, nec ſimoniacum nec iniuſtum. Diſſertatio X. de ſynodo *Florentina*. Art. 1. an legitime conuocata ſit et *oecumenica* cenſenda? adfirmat, contra cardinalem *Lotharingum*, cuius verba ſupra (p. 000.) allegabamus. Art. 2. acta ſummatim recenſentur. Art. 3. decretum de *Armenorum* inſtitutione, quod incipit, *Exaltate deo adiutori noſtro*; non eſt oecumenicae ſynodi. Addimus tantum *Launoium*, parte 6 Epiſtolar. *nona* epiſtola ad *Raymundum Formentinum*, pariſ. theol. obſeruare, primam decreti circa conuocationem concilii formam, ab Horatio *Iuſtiniano*, cui diſplicuerit, praetermiſſam fuiſſe; vtramque inſcriptionem, veterem et nouam, quae *Iuſtiniani* culpa ignorabatur, exhibuit. Ceterum ſuperſunt tria *originalia* vid. catal. bibl. *Cotton.* f. 45.

Nondum diſcedere licet ab iſta *Florentina* cauſſa, niſi paucis adhuc de concilio in Eccleſia S. *Sophiae*, Conſtantinop. poſt mortem Ioh. *Palaeologi* celebrato, admonuerimus; a *ſchismaticis*, ſcil. vt Romani Graecos illos ſolent appellare, qui *florentinam* fabulam repudiabant. *Leo Allatius*, in addendis ad lib. III. C. 4. de perpetua eccleſiae occidentalis et orientalis conſenſione deſcripſit ex codice graeco. Poſt exactam pſeudo-ſynodum *florentinam*; interuallo vnius anni et dimidii, poſt obitum λατινοφρονος *Iohannis Palaeologi*, qui tamen ante mortem ad meliorem mentem ipſe rediit, habita eſt ſynodus vltima *Conſtantinopolitana*, in S. *Sophia* ſub *Conſtantino*, eius filio; prodit e bibliotheca *Conſtantini Laſcaris*. In *prima ſeſſione*, praeſentibus patriarchis, *Alex. Antioch. Hieroſolymitano*, tertio arceſſitus patriarcha Conſtantinopolitanus *Gregorius*, rogatur, vt ſententiam dicat de ſynodi *Florentinae* decretis. Reſpondit, ſubſcripſiſſe ſe ſynodo, quia putarit, eam non differre ab aliis antea celebratis ſynodis; nec *Italos* a *Graecis* ἀσιωδως discrepare; omnia, quae *Papa* ſentit, et ſe ſentire; *Leonardum*, fratrem, ipſius loco in Synodo reſponſurum.

(Nempe imperitus ipse fuit.) Synodus, postquam haec narrata fuerant, praesente *Leonardo*, Gregorium statim sede sua eiecit, suffecto eius in locum *Athanasio;* disputatum cum *Leonardo*, de processione Spiritus S. Iam secundum Graecos sententia lata. In *secunda sessione Georgius* Gemistius copiosius queritur, a Latinis impositum fuisse Graecis; Imperatoris vehementia, et necessariorum omnium priuatione Graecos ad subscribendum compulsos; eruditiores Graecos a disputatione exclusos, *Marco* silentium impositum, *Bessarionem* cardinalatus dignitate corruptum praue egisse. Eamdem in rem Patriarchae et alii episcopi concionantur; alii de *falsatis* per latinos patribus copiosius tractant. *Tertia sessio*, Latinorum argumenta de processione spiritus S. tractat et refutat; concluditur, fidem immutandam non esse. *Quarta sessio*, contra auctoritatem papae; de igne purgatorio, consecrationis modo; multa in latinos congerunt; non pingere imagines archetypis similes; seculares modulos accommodare psalmodiis; in ecclesiis masculos et feminas non seiungi; nuptias prohibere ecclesiasticis; non orare ad orientem; azymum habere; quicquid deo inest, substantiam dicunt, lumen Thaboriticum creaturam; crucem papam super pedem formasse, quam in humeris Christus portarit; accipere mercedem a meretricibus; ieiunare sabbato; deum patrem coloribus depingere, contra synodum 7. papam vsurpare auctoritatem secularem, quam a Christo non habeat; pro pecunia papam a ieiuniis dispensare; exhibere eos *latriam cruci* et imagini Christi; adorare sculptilia; scortatores sacerdotes missam facere &c. — Latini ingentia promittebant, cum parum possent; eiiciatur illa praua synodus — subscriptiones, papa praecedit alios patriarchas ordine, non potestate &c. Ceterum supersunt omnino, quae merito animaduerti possint, de *tempore vero* synodi &c. de quibus rebus *Allatius* pluribus iam expositi; ex eo *Harduinus* in suum corpus transtulit. De summa re facile statuerint recte, qui rationibus potius, quam opinionibus obse-

obſequi conſueuerint. Reuocabimus hic in memoriam *Appellantium*, ſeu *Anticonſtitutioniſtarum*, noſtra fere aetate, ſtudia, cum *Petrus* ille *Magnus Pariſiis Sorbonam* inviſeret, conatusque diu poſt magni imperatoris mortem continuatos, vt cum *latina* eccleſia *Ruſſorum*, ſeu graeca eius imperii, in ſocietatem coiret. Omnia facillima fore, ſolebat dictitari; papae poteſtatem non maiorem, quam eam fore, quam ſolet *gallicana* pati eccleſia; liberum eſſe, fermento vti, ritibusque vetuſtis &c. Spem magnam vel *Romana* ſtudioſa malignitas peruertit; vt facile pateat, *vnionis* vanum nomen, niſi regum poteſtas ineptarum theologicarum opinionum vim reprimat. Vid. *Relation des demarches* faites par les docteurs de *Sorbonne*, pour la reunion de l'egliſe de *Ruſſie* 1717 ſeqq. inter opuſcula de Mr. *Bourſier*. 1753. 8v.

Minores Synodi, quae iſtius adhuc ſeculi fuerunt.

Friſingenſis, 1438, ad correctionem exceſſuum et reformationem morum, diligenti et matura deliberatione praehabita; conſtat capitulis 36, a. 1440 in ſynodo alia contractis, vt *Meichelbeckius* narrat; et ex eo *Harzheim* pag. 258. tomo 5. Conuentus epiſcoporum legatorumque *Moguntinenſis*, 1439 quos inter et adfuit *Turonenſis*; *Theodoricus*, colon. pro retinendis *baſileenſibus* eorumque decretis ſententiam dixit; acceſſit et *Nicol.* de *Cuſa*, qui antea baſileenſi concilio obtulerat libros tres *de concordia eccleſiae;* egitque cum aliis papae legatis pro *Eugenio;* ſed nihil profecit; recepta ſunt decreta *baſileenſia*, et *Germanis* imperata; ſtatutum, retinere patres in Synodo *Baſileae*, nec iis vetitum, quo minus pontificem in ius vocarent. Hoc eodem anno Pactum concordiae inter ſex electores; contra quoduis a quouis excitandum ſchisma, die Martini, in conuentu *Francoford.* refert *Gudenus* tomo 4 codic. diplom. n. 114. Anno 1440 *Salisburgenſis ſynodus* habita, in eadem cauſſa, vtrum concilio baſil.

an Eugenio adhaerendum sit; Aepiscopus ab academia *Viennensi* petiit doctores, quibus ad deliberandum vti possent adiutoribus. Hortatus est etiam *Fridericus* imper. *Viennenses* doctores, vt cum aepp. passauiensi et *Frisingensi* certum in locum conuenirent, consilii capiendi caussa; doctores, cum diu multumque disseruissent, re infecta discesserunt; quia magistri duarum classium, Theol. et artium, censerent, pro concilio standum esse, non vero ad *neutralium* partem accedendum. *Hansizius* parte 2 *Germaniae sacrae.* Concil. *Frisingense*, 1440. Oratio synodalis Ioh. *Kokii:* septuplex nobis occurrit nauicula mystica, qua ascensa vnigenitus dei filius transfretauit. (Nempe in illa verba Euangelii, *adscendens Iesus in nauiculam, transfretauit et venit in ciuitatem suam;* loco huius nauigii, bonus ille orator septuplicem mysticam nauem confinxit.) 1. Diuina natura. 2. Humanitas. 3. Virgo Maria. 4. Crux, qua mediante transfretauit, et venit in limbum patrum. 5. Ecclesia militans. 6. Charitas, per quam spiritus S. mentem humanam inhabitans quasi super aquam ferri videtur. *Septima* nauicula est poenitentia sacramentalis — omnibus nauiculis aliis omissis quintam duntaxat prosequamur — confido, *sacra frisingensis synode*, (nouus patronus,) de tui pro me apud deum interuentus efficacia — iam te, dominicam nauiculam videor conscendisse — post similis venustatis copiam aliquam, pergit p. 263: missas facimus, de christiano seu clericali nomine gloriamur; sed profecto nil nisi tunica Ioseph, i. exterior tantum apparatus; filium autem, i. cordis intentionem, fera pessima deuorauit. Maledictum, furtum, mendacium, homicidium, inundauerunt; — heu experientia cognoscimus praesentia esse illa tempora, quae apostolus praedixit 1 Tim. 4, — si sacerdotium integrum fuerit, tota ecclesia floret — *purgatiua* correctio, — *illuminatiua* operatio, — *perfectiua* suasio adesse debet, vt naues *Tarsis* conterantur. — Post admonitionem satis grauem, sequuntur iam capitula seu tituli synodi 26. De iudiciis; ne temere

mere laicus citetur; de foro eccleſiaſticorum; ne temere de *leproſo* iudicetur, vnde tot diſſolutiones matrimonii venerant; 4. de habitu et veſtitu clericorum modeſto; ne patrimonium Chriſti inutiliter conſumatur, in Mimos, ioculatores, hiſtriones, *buffones*, *galliardos*; contra *concubinatum*; 8. ne quis recipiatur in canonicum, niſi vacauerit praebenda. 9. — ne res eccleſiarum, nomine vaccarum, vulgariter *Immer Küe*, ſub ſpecie vſurae mutuent aut locent. 12. De inſtauratione diſciplinae monaſticae; — ne ſpecie *religionis* nouae ſurgant ſectae; infra menſem iudicandum eſt, cuius ſint religionis atque an approbatae. 15. Cupientes deuotionis affectum augmentari, mandamus, vt omnes ſacerdotes, qui parochiis praeſunt, diebus dominicis *aquam et ſal* benedicant, et cum toto clero horis conſuetis ante miſſarum ſollemnia proceſſionaliter circumeant; vt nullus *ſine luminibus miſſarum* ſollemnia celebret, nec hoſtiam ante conſecrationem quoquomodo eleuet, ne idololatria committatur a populo. Inſerendum duximus concil. prouinc. *Salisburg.* ſi quis doceat aut credat, quod ſacerdos in mortali peccato non poſſit conſecrare, abſoluere, ligare &c. haereticus et incredulus habetur. *Indulgentias* de *corpore Chriſti* per D. N. *Eugenium* 1433 conceſſas, publicamus; 17. in neceſſitate etiam alii, quam ſacerdos, poſſunt baptizare; 18. diligenter cuſtodiatur Euchariſtia, chrisma et oleum ſanctum; — in pleriſque eccleſiis mappae, pallae, corporalia et alia veſtimenta tam inculta et immunda relinquunt, quod interdum quibusdam horrori ſunt — 21. *Iudaeis* non permittimus in noſtra dioeceſi foenerari — in die pentecoſtes feneſtras et oſtia clauſa teneant toto die; in diebus lamentationis et Paſſionis in publicum non prodeant — nullus cum eis edat, balneetur, medicinas ab eis capiat. Si Iudaeus chriſtianam cognouerit, 20 libras denariorum domino loci irremiſſibiliter ſoluat; ſimiliter ſi chriſtianus Iudaeam; 24. ne ſacerdotes abſoluant in caſibus ſedi apoſtolicae vel Epiſcopo reſervatis; nec de diſtributione rerum male acquiſitarum ſe im-

mittat; (Aliter ſanxit *Arcimboldus*, vid. eius *auiſamenta*; in *Kappii* Nachleſe tom. 3. p. 176 ſeqq.) contra abuſiones quaeſtorum, (indulgentias commendantium) 25. qualiter *interdicti* tempore ſacerdotes ſe gerere debeant. Decreta ſacri concilii *generalis baſileenſis*, de excommunicatis, interdictis non leuiter ponendis, *per nationem germanicam acceptata*, per dioeceſin noſtram publicamus; Aep. Salzburgenſis intimauit, quod nuper in diaeta *moguntinenſi*, indicta per regem *Albertum*, decreta *Sacrae baſil. Synodi*, cum certis reſtrictionibus, germanicae nationi commodis, acceptata fuerunt; ideo nos hortando requiſiuit, decreta illa per dioeceſin noſtram reuerenter publicare; decretum *primae* ſeſſionis, per *Conſtantienſe* iam factum; 12 ſeſſionis; 15 19. omnia 20. 21. 23. 30. 31. Forma iuramenti, ſoliti per teſtem ſynodalem praeſtari; inquiſiturus ſum, quod contra voluntatem dei et totam chriſtianitatem in iſta parochia, (decanatu) factum ſit, aut futurum erit, quod non celem Epiſcopo meo — ita me deus adiuuet et haec S. dei Euangelia, (ſi presbyter ſit,) alias, et illorum ſanctorum reliquiae. *Eugenii* 4 epiſtola ad Epiſcopum *Traiectenſem:* quod ducatum *cliuenſem* ab omni poteſtate ſpirituali epiſcopi *colonienſis* et epiſc. *Monaſterienſis*, exemerit; ei iniungit, vt epiſcopum titularem deputet, qui epiſcopalibus muneribus, iuxta beneplacitum ducis, fungatur; 1444, m. Ianuar. — pro eo quod Aep. *Colonienſis* apoſtolicae ſedi inobediens et rebellis exſiſtit, et iniquitatis filius; *Henricus*, qui ſe gerit pro epiſcopo *monaſter.* iniquitatis filio *Amadeo*, olim duci Sabaudiae, adhaerere praeſumſit, pro parte ducis *cliuenſis Adolphi*, et *Ioannis*, eius primogeniti nobis fuit ſupplicatum, vt eorum ſubditorum ſtatui prouidere dignaremur — — — vt per coercitionem realem et perſonalem contra omnes nobis non obedientes, inuocato etiam auxilio brachii ſecularis — vt omnia beneficia eccleſiaſtica tu conferas &c. Exauctoratio *Iacobi*, treuir. et *Theodorici* colon. archiepiſcoporum, per *Eugen.* 4. a. 1445. februar. iniquitatis filios, tamquam *haereticos*

reticos et ſchismaticos — amouimus — eorum in locum ſufficitur *Adolphus*, cliuenſis ducis fil. ad eccleſ. *colonienſem; Iohannes*, ep. *cameracenſis* ad Treuirenſem transfertur; ſine effectu fuit iſta papae diſpoſitio; itaque 1447 reuocauit ſententiam, vtroque reſtituto; *Dietericus*, aep. mogunt. cum iſtis, *Ludouicus* palat. *Fridericus*, Saxoniae, et *Fridericus*, Brandeburg. Francofurti occultum foedus ineunt, 1446, niſi *Eugenius* reuocaret, et *germaniae* grauamina tolleret, conciliorumque auctoritatem, *Conſtantiae* declaratam, ratam haberet: in deiectionem *Eugenii*, quae a *Baſileenſibus* pronuntiata fuerat, et ipſos cunctos conſenſuros; *Harzheim* tomo 5. p. 287. ex *Honthemii* hiſtoria diplomat. *Treuirenſi.*) Concil. *Rotomagenſe* prouinciale a. 1445, ſub *Radulpho*, aep. — damnat omnem ſententiam, extollentem ſe aduerſus *ſimplicitatem* et dignitatem *fidei;* omnes libellos artium *magicarum* et diuinaticarum. Ne quis contra deum, aliquem ſanctorum, et maxime b. virginem blasphemet; ne quis per *corpus*, *caput*, *ſanguinem*, aut membra Chriſti, ſeu virtutes, aut ſimilia iurare praeſumat. 6. *Inuocatores daemonum*, publice praedicentur, cum *mitra* in ſignum perpetuae infamiae. De aliis ſortilegis, carminatoribus, et *breuia* ad collum hominum, equorum &c. ſuſpendentibus — 7. Damnat illos modos, qui videntur introduci *gratia quaeſtus*, denominando *imagines*, vtpote Notre Dame de recouvrance; Notre Dame de pitié, conſolation, grace &c. 11. Prohibet *ludos fatuorum*, qui fiunt cum laruatis faciebus in eccleſiis aut coemiteriis; 18. parochiani ſaltim in dominicis diebus in fide et moribus inſtruantur; 20. eccleſiaſtici abſtineant a mutua conſuetudine bibendi *ad potus aequales;* 21. contra concubinarios; 22. in ordinibus ſacris conſtituti ſuos *filios aut filias illegitimos* in domo ſua non habeant. 34. Reformatio monachorum; in locis conuentualibus ſit vna tabula in loco idoneo, in qua *vulgariter* et ad longum annotetur *regula* profeſſionis. Litterae *Eugenii* ad *Henricum angliae*, 1446. p. 1301.

Harduini, pro *rosa aurea:* dominica, quam septimam a *septuagesima* numeramus, pontifex romanus auream rosam sub adspectu populi Romae defert in palatium Apostolicum, atque principi cuidam viro donat — nos quatuor nostri temporis reges, aduersus infideles Christi hostes hortari cupientes, eo munere donamus, qui anno praeterito ex decimis regni tui praesidia aduersus Turcos promittere facilis fuisti — dignus eris dono rosae, — quia per colorem caritas et per saporem rei exspectatae satietas, *ab eo qui accipit*, exspectantur. Nec iudicet quis, haec a nobis ad tuam persuasionem esse conficta; cum in roman. pontificum monumentis illud obseruandum fore tradatur, vt *rex romanorum*, a quo romana ecclesia debitum semper exspectat praesidium, *nulla alia die*, quam praedicta dominica, et post *datam huiusmodi rosam*, coronetur. — vt *fauores* ad *id necessarios* praestari facias. (Liceat ablegare ad scriptorem huius seculi, *Gabriel Biel*, sermone 2. in dom. *Laetare*, de *rosa aurea;* varie potest mysticari haec rosa &c. Intelligimus iam, quo consilio *Miltizius* attulerit *Iohanni*, electori *Saxoniae*, rosam auream.)

Reformationes cleri dioeces. *Leodiensis*, 1446 per *Ioannem* ep. sub *Eugenio*; approbatae per *Nicolaum* 5. Contra abusus capituli; pro *placet*, cuiuscunque beneficii curati, vltra *vnum scutum vetus;* non curati vero vltra quatuor *grossos veteres*, non recipiantur. (duo grossi antiqui, quorum XII valebant *Rhenensem florenum* et vnum dimidium *stuferum* bonum.) — si citatus, propter contumaciam fuerit excommunicatus, statuimus vt contumax vltra summam VI grossorum *Turonens.* si vero presbyter, XII grossorum, non plectatur; omnia pertinent ad processus iudiciales. Synodus *Wratislauiensis* 1446, tomo V. *Harzhem.* statuta episcopi *Conradi.* Multa de vestitu clericorum; vt nullus clericus *Cirogie*, alias *Cirologie* (Chirurgiae) artem exerceat, quae adustionem vel incisionem inducit. Praedicatores admoneant de *decimis* dandis. — rector ecclesiae parochialis *ignorans linguam parochia-*

chianorum, prouideat ſibi de alio ſciente linguam, ne populus negligatur. — vt omnes archipresbyteri et ſacerdotes a modo quolibet anno veniant ad ſynodum epiſcopalem et dioeceſanam, proxima dominica poſt feſtum S. *Heduigis*, excepto eo anno, quo contingat Synodum *prouincialem* celebrari. — vt nullus *Iudaeus* aliquam nutricem ex chriſtianis habeat, ſub poena 3 marcarum argenti — Auribus noſtrae audientiae inſonuit, quod nonnulli noſtrae dioeceſis clerici ſeculares et religioſi, *cauſa lucri temporalis* ad prophanos *idololatriae* cultus plurimum induxerunt homines vtriusque ſexus, *fingendo ſigna fieri ab imaginibus* ſuarum eccleſiarum — ſtatuimus, vt nullus cuiuscunque ſtatus, gradus, dignitatis, *alicui imagini* ſeu *figurae ſigna adſcribat*, ſeu attribuat; nec ea in ſermone vel extra denuntiare, publicare, *affirmare* praeſumat, ſub poena excommunic. et decem florenorum, niſi talia per nos examinata fuerint. Pro quibus caſibus, poenitens ſit ad Epiſcopum remittendus; *caſus epiſcopales*. Caſus *papales* antiquorum iurium, in quibus quis a ſolo papa abſoluitur, p. 296. *Canones poenitentiales*, numero 46. pag. 297. *Eugenii* conceſſio ad inſtantiam *Friderici* 3, (*Theodorici* aepiſc. mogunt. et *Friderici*, march. brandenburg.) vt decreta illa concilii *baſileenſis*, ab *Alberto* rege acceptata, porro in *Germania* obſeruentur, vsque ad futuram modificationem; 1446. (alii, 1447. atque hoc anno *Harzhemius* per negligentiam p. 382 denuo exhibuit, quod iam p. 301 exſtabat.) — donec — concordatum fuerit, vel *per concilium*, quod ad praedictorum regis, praelatorum et *principum exhortationem* conuocare proponimus, aliter fuerit ordinatum. Eiusdem, ſuper diuerſis indultis datis Friderico et *principibus Germaniae*, qui receſſerant a neutralitate; (et hae littterae negligentiſſime redeunt p. 390. *Harzhemii*; cum iam p. 302. fuerint deſcriptae.) — *pallium*, qui receperunt a baſileenſibus, retineant &c. *Synodus Herbipolenſis*, ſub *Gotfrido* epiſcopo, in qua renouantur ſtatuta prouincialia moguntinorum aepiſcoporum,

praeſertim *Petri* de anno 1310, et multorum *Herbipolenſium* epp. ſtatuta inſeruntur, *Ioannis*, *Mangoldi*, *Wolframi*, *Gotfridi*, *Andreae* — (Omnia, quae leguntur hic apud *Harzhemium*, pag. 315 — 360, leguntur in antiquiſſima editione ſtatutorum in variis conciliis *Herbipolenſibus*; quae editio poſt annum 1470, excuſa fuit, cum reformationem *Rudolfi* 1470. die 19. Martii contineat. Colore rubro multa diſtincta.) pag. 326. de mulieribus *Beginabus* (ex concil. *Viennenſi*), quae adhaerent religioſis, ſine regula propria; quaedam de ſumma trinitate et diuina eſſentia diſputant et praedicant, et circa fidei articulos et eccleſ. ſacramenta opiniones fidei contrarias introducunt — ſtatum earum prohibendum duximus — ſecta et habitus nec non conuenticula *Beghardorum*, clamantium per plateas, *Brot durch Gott*, reprobantur — p. 357. Eleemoſynarum quaeſtores terminum auaritiae ſuae ponere neſcientes, vt facultates vno die exhaurire valeant plurimorum, extorquent *vidimus* (copias plures vidimatas.) Caſus maioris excommunicationis; de iure veteri ſunt 28; — 32. Ex *Clementinis* caſus 51, qui excommunicationem ſecum ferunt, pag. 358. Concil. *Eyſtattenſe*, 1447. ſub *Ioh. Martino*, 700 fere presbyteris et clericis congregatis. (*Falkenſtein* retulit ad annum 1435.) De ſumma trinitate et fide catholica. — in ſingulis eccleſiis parochialibus vulgari lingua *orationem dominicam* et *Symbolum Apoſtolorum* pronuntient. Contra Haereticos, ſuperſtitiones; qui certis verbis, benedictionibus, ligaturis curari poſſe credunt languores, aut a ferarum morſu conſeruari. De praedicatione verbi dei: ne verba proferant inutilia, aut vana; ſed potius SS. V. et N. T. ac praecipue Euangelium, plane et intelligibiliter praedicent; primo textum, ſubiunctis *poſtillis* — ad minus ſemel in anno aſſumant materiam X praeceptorum. Feſta per anni circulum iuxta obſeruantiam eccleſiae noſtrae, p. 365 *Harzhem.* Feſtum S. *Richardi*, confeſſoris et Regis. Feſtum *armorum* Chriſti. — S. *Sole* confeſſoris. Hi autem dies in obſeruantia ieiunii et abſtinen-

ſtinentiae, p. 366. Tempora, quibus celebrationes nuptiarum interdictae; — caſus epiſcopales p. 369. ad obuiandum *malitiis quaeſtionariorum*, qui per immoderatam indulgentiarum promulgationem eleemoſynas extorquent, et falſis litteris decipiunt, p. 375. *Iacobi* electoris *treuir.* et aliorum principum *Germaniae* auiſamentum, de eo quod aptiſſimum videtur ſchismati tollendo, 1447. p. 383. *Nicolai* V. confirmatio et declaratio ſuper conuentione antecedenti; vt et *Eugenii* 4 concordata, quae hic certo modo confirmantur, p. 386 ſeq. *Eugenii* 4. decretum, quo reſtituit *Treuirenſem* aep. et *Colonienſem*. *Concordatum* inter *Eugenium* et *Fridericum*, pag. 395 ſeq. (cum collatione *Leibnit. Senkenbergii*) editio hic ibi accuratior. Concilium *Turonenſe*, pro reformandis moribus eccleſiae, Andegaui, 1448. *Harduin.* p. 1340, cum Epitome canonum per Franciſc. *Feuardentium.* — ſalubris eſt cogitatio *pro mortuis* exorare, *vt a peccatis ſoluantur.* — ne quis teneat concubinam. 13. inſultationes, clamores et tumultus in ſecundis vel tertiis quorumdam nuptiis (circa domos nubentium) fieri ſolitos, ques *chariuarium* vulgo appellant; prohibemus. (ſupereſt alicubi adhuc, *polterabend*) p. 1344, ne praedicatores erigant lignorum ſtructuras, vulgariter *chaufaria.* P. 1351, ne *reliquiae* cauſſa quaeſtus vehantur aut deferantur; vt *indulgentiae* per rectorem aut alium prouidum, honeſtum aut ſcientificum virum, per loci *dioeceſanum* ſeu eius vicarium (deputandum) publicentur. Concil. *Moguntin. prouinciale* 1451. (*Harzheim.* p. 1448.) ſub *Theodorico* aep. Acceptat ſynodus ordinationem ſacri *baſil. generalis* concilii; de prouincialibus et dioeceſanis conciliis celebrandis; tenor ſtatuti baſileenſis &c. ordinauit etiam, libellum S. *Thomae*, de *articulis fidei et ſacramentis* in omnibus tam prouinc. quam dioeceſanis ſynodis, legi et ſingulis rectoribus parochialium eccleſiarum communicari. Hic libellus huic ſynodo (etiam *Herbipolenſi* 1452) inſertus eſt — contra concubinatus vitium; ſuſpenſi ſint a perceptione fructuum concubinarii;

con-

concubinae autem, si in tali peccato decesserint, ecclesiastica careant sepultura. — contra abusus *quaestionariorum*, qui quotidie excrescunt; de *fraternitatibus* nouis non admittendis. Bulla Nicolai 5, pro executione *Carolinae*, (constitutionis, a *Martino* quinto editae; contra eos, qui personas ecclesiasticas diffidare, inuadere, trucidare, capere, expoliare, incarcerare audent. Haec *Carolina* etiam 1470 *Herbipoli* a *Rudolpho* episcopo repetita.) — de reformatione monasteriorum; ne ex ostensione Eucharistiae nimis frequenti deuotio populi tepescat; — de corruptelis canonicorum; *Nicolai*, de *Cusa*, littera, de fratribus mendicantibus et plebanis, ex *Synodo Bambergensi*, acceptata pro tota prouincia *moguntina;* statutum de *quaestoribus*, de nouo adiunctum: vt in festis Christi, Paschae, pentecostes, natiuitatis Mariae, purificat. annuntiationis, assumtionis, et ecclesiarum patrociniis, et dedicationum anniuersariis, ad *stationes* faciendas nequaquam admittantur. De indulgentiis festi corporis Christi. Concil. *colonienſe* prouinciale 1452. sub *Nicolao*, cusano, legato Apostol. de latere per *Alemanniam*, et *Theodorico*, aep. colon. de concil. habendis; de libello *Thomae* aquin. *Iudaei* deferant *signum*, ad instar Iudaeorum in Romana vrbe; ne nouae *congregationes* virorum aut mulierum erigantur — vt *visitationes* fiant; si reperiant concursum populi ad aliquas imagines — tollant imaginem; similiter si *hostia* transformetur in *cruentam* carnem, seu in sanguinem apparentem, *occultetur* penitus, ne *quaestionarius* accursus populi fiat. *Sacramentum* nullatenus visibiliter in monstrantiis ponatur, aut deferatur, nisi in festo corporis Christi; vel ex singulari indulto ordinarii, aut alias pro pace, vel alia necessitate impendente; vt monasticae personae, tam exemtae, quam non exemtae, regularem vitam iuxta regulam ordinis, viuant; (vid. supra descriptio *Buschii*, p. 42.) Ordo synodi *Herbipolensis*, 1452 celebratae (ex ista vetusta editione, quam antea indicabamus pag. 170.) publice praelectus liber *Thomae*, de articulis

lis fidei et eccleſiae ſacram. Praelecta et 17 ſtatuta; epiſcopus *Godefridus* (hic non dicitur *dux Franciae*) innovat etiam omnia ſtatuta ſynodalia, *Mangoldi* — — *Iohannis*, et aliorum epp. *Herbipol.* per ſuam paternitatem *in vnum volumen redacta;* contra *quaeſtionarios*, (vt in ſynodo moguntina 1451.). Concilium prouinciale *magdeburgenſe* 1452, per *Nicol.* de *Cuſa;* narrat omnia *Iohannes*, praepoſitus, apud *Leibnitium* tomo 2 rerum *brunſuic.* e quo iam ſuperius p. 42 ſeqq. quaedam excitauimus. Multa de *reformatione* Canonicorum, et *Monaſteriorum.* Concil. *Herbipolenſe* 1453. *Eyſtettenſe*, 1453. ne populus negligat miſſas et verbum dei; nec a miſſa ante benedictionem ſacerdotis recedant, discurrant, extra eccleſiam ſtent &c. contra blasphemos, ſortilegos, incantatores; ne propter irreuerentiam ira dei ſaeuiat, *lumen* ante euchariſtiae ſacramentum continuo ardens habeatur; ſpecialem collecturam facietis, ſi eccleſiae pauperes ſint; ne mixtim ſtent viri et mulieres in eccleſia; ſint in latere dextro viri; in ſiniſtro mulieres; aut iſti in anteriori, hae in poſteriori parte; ſeruato tamen honore honorabilibus perſonis. Quidam presbyteros ſuos *ad perſonaliter cuſtodiendum pecora* cogunt; ne mercatus exerceatur in diebus dominicis et feſtiuis, ſicut iam in *Moguntino* concilio reprobatum eſt. Nuptiae prohibentur ſolemniter celebrari a prima domin, aduentus — vsque ad octauas Epiph. deinde a dom. ſeptuageſimae vsque ad octauas Paſchae; poſtea, ab hebdomada rogationum vsque in dominicam poſt feſtum pentecoſtes. Synodus *Caminienſis* 1454, ſub *Henrico* ep. *terminariis* ſeuere interdixit, ne vlterius in ſua dioeceſi terminarent; *Harzhem.* p. 437. ex de *Wujia*, inter *Ludewigii* ſcriptores rerum *bamberg.* tomo 2. Archiepiſcopi cantuarienſis, littera, pro proceſſionibus generalibus per vnum annum inſtituendis, pro nefandiſſimorum orthodoxae fidei noſtrae aduerſariorum potentiis large a finibus noſtri orbis chriſtiani arcendis, et prorſus extinguendis, a. 1454. *Moguntina* ſynodus, 1455, ad prouidendum contra pernitioſiſſima *quaedam*

dam dogmata infra hanc prouinciam publice praedicata; ſcil. nullum ſacerdotem in peccato mortali conſtitutum, abſoluere poſſe; — ſiue bonus ſiue malus ſit miniſter, per vtrumque deus *effectum ſuae gratiae* confert; — alius error, quod excommunicatio corpus, non animum, liget, ſitque ad terrorem tantum inuenta — tamen paulo poſt de monachis, qui in parochianorum iura inuadunt, admonent, vt ſint *probatae vitae*, non tantum probatae regulae. Synodus *Wratislauienſis*, incerti anni, ſub Epiſcopo *Petro* de *Nouack*, qui anno 1447 electus fuit; de rebus vulgaribus; contra *focarias* ſeu concubinarios, ſub poena 10 florenorum. Concil. *Sueſſionenſe*, 1456, pro tota *remenſi* prouincia — prohibemus quibuscunque quaeſtoribus, ne in hac prouincia, praetextu indulgentiarum praedicent verbum dei — aut nihil in ſuo ſermone quaeſtuoſum exponant. In conuentu *Mantuano Pius* II. contra Turcas orationem habuit feruore et ſpiritu (ſi placet,) non carentem; in una etiam de *diuinitate Chriſti*, quam Turcae excludant, egit ſtudioſius. Deum vnum eſſe, a quo omnia condita ſunt, omnes concedunt — hunc nos Chriſtum eſſe luce clarius oſtendimus ex miraculoſis eius operibus; dicat quis et prophetas et apoſtolos miracula feciſſe, non tamen fuiſſe deos. Verum eſt id quidem; ſed neque illi ſe deos dixerunt. — ſi quis Euangelio non credit, non videmus, cur Moyſi credat; graeci Herodoto — nos cur non credamus noſtris euangeliis? Accedunt martyres, virgunculae, et doctores ſanctiſſimi, qui erant perſpicaciſſimi, *Dionyſ.* areop. Chryſoſtomus — latini, *Hieron.* — — *Thomas*, *Albertus* M. qui omnes vno ore de Chriſti diuinitate loquuntur. Sed omnem dubitationem tollit, quod multis ſeculis ante iſta fic, de Chriſto, praedicta fuerunt, vt ſunt geſta — o homo, cur iſta Chriſtum tuliſſe exiſtimas? — Turci altaria diruunt, et tu domi iaces in otio — — Praemia habebitis, equos, veſtes, argentum, aurum, ancillas, agros, prouincias — Omnes *cruce* ſignabimus, omnibus pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum veniam

lar

largiemur, et *apoſtolicis clauibus paradiſi portas aperiemus* &c. ceterum multa ad hiſtoriam huius ſeculi faciunt, praecipue oratio, qua reſpondetur oratoribus Francicis, in cauſſa *Renati*, cui Siciliam deberi Galli affirmarunt. Pag. 1449. *Harduini*, Bulla retractationis eorum, quae *Pius* 2 in minoribus adhuc agens pro concilio *Baſileenſi* et contra *Eugenium* ſcripſerat; ad ſcholam *Colonienſem* directa; a. 1463, (ſi quidem ſatis ingenue habet illa ſcriptio). Concil. *Conſtantienſe* a. 1463 ſub *Burkhardo* ep. — contra ſortilegia et pythoniſſas; vt in confeſſionibus fiat inquiſitio; — *decani rurales* pro eo conſtituti, vt clericorum honeſtatem procurent, exceſſus eorum referant — ne filii presbyterorum in eccleſiis patrum miniſtrent — Religioſi habitu dimiſſo apoſtatare non formidant — De *Lulhardis* p. 464 *Harzhem.* complures in dioeceſi noſtra *Lulhardi* et *Beguttae*, etiam in coniugio exiſtentes, in ſeculo manentes, ſcapulare deferunt, et praecipue hi, de *tertia Regula;* ſtatuimus, vt doceant, qua auctoritate ſcapularia ferant. — quamuis plures ex *Lolhardis* validi ſint, et ad laborem vtiles: malunt tamen de eleemoſyna viuere, quam manuum labore — *Synodus Eyſtettenſis* 1465 — ne ſacerdos in publico ſiue notorio laborans concubinatu diuina celebret officia — Synodus *Eboracenſis* 1466. — vt quilibet ſacerdos quater in anno, ſemel in quolibet *quarterio* anni, exponat populo *vulgariter* absque *cuiuslibet ſubtilitatis textura fantaſtica*, XIII *fidei articulos*; decem mandata decalogi; duo praecepta euangelii, (dilige deum et proximum) ſcil. geminae caritatis; ſeptem opera miſericordiae; ſeptem peccata capitalia cum ſua progenie; ſeptem virtutes principales; ſeptem gratiae ſacramenta. — perſtringimus ſummaria brevitate, ne quis per ignorantiam ſe excuſet. VII Fidei articuli pertinent ad myſterium trinitatis; IV ad diuinitatis intrinſeca; III ad effectus. Vnitas eſſentiae; ingenitus pater; filius vnigenitus deus; Spiritus S. nec genitus nec ingenitus deus, ſed a patre et filio procedens. Creatio

caeli

caeli et terrae; sanctificatio ecclesiae; consummatio ecclesiae per gloriam aeternam in anima et corpore veraciter suscitando. Alii VII pertinent ad Christi humanitatem. — descensio ad inferos, *in anima*, quiescente *corpore* in sepulchro, ad spoliationem tartari. — E decem mandatis *tria* ordinantur ad deum, 7 ad proximum. Breuis explicatio. — extrema vnctio etiam phrenetico, vel quacunque alienatione mentis laboranti – Longus catalogus decimarum, quas inter et *carbones* in locis, vbi fodiuntur; metalla; artificia, negotiationes; de fructibus et *garbis;* quarreriae calce, — de omnibus prouentibus — — Epistolae *Pauli* 2, ad archiep. lugdun. 1469; consueuerunt praedecessores nostri *in die coenae domini*, sedentes pro tribunali in pontificalibus parati, assistentibus — ad maiorem detestationem — solemni publicatione cum candelis accensis, deinde extinctis et in terram proiectis, excommunicatos denuntiare; nihil hactenus excommunicationi consuetae addidimus, praeter condemnationem *Georgii* de *Pogiebrat* — Synodus *patauienſis*, 1470 sub *Vdalrico* episcopo, imperiali cancellario &c. 2. Ne pueri recens baptizati ad altare pro receptione *vini ex calice*, tempore missarum deferantur, aut per celebrantes eis vinum ex calice porrigatur, cum ex hoc multi temere credant, *tales fieri ſcientificos*. 3. Vt omnes praedicatores diebus dominicis praecipue populo *ſua materna lingua* diligenter pronuntient, *pater noſter*, *aue Maria*, *Symbolum* apost. *decem praecepta* et *formam* baptismi. — 6. Ne amplius ostiatim colligatur, per paciscentes pro certa summa. — 17. Si quis praedium suum obligauerit, cui ius attinet patronatus: ius praesentandi residet apud obligantem. — 28. Vt nemo sacerdos nouitiorum, eo die, quo primam missam celebrare voluerit, ad conuiuium aliquos inuitet — 30. Baptismus non debet variari in legitimis et *non legitimis* natis; de nomine patris quaeri non debet, praesertim vbi persona possit scandalizari et peccata occulta pandi. 37. Vt *festa ſanctorum*, per vacationem laborum, non multiplicentur.

38. Quo-

Moguntina 1499, in qua perorauit *Greſemundus*, I.V.D. de ſacerdotali dignitate.

In *ſupplemento* Tomi quinti edit. concil. *germ. Harzhemii* collectae ſunt et aliae ſcriptiones, quarum copia ſerius facta fuerat; ſed pleraeque ſunt minoris momenti. Pag. 937. Auiſamenta ex parte domini *Tybaldi*, epiſcopi *Lauentini*, in concilio *Salzburgenſi* 1456. pag. 938, patres accuſati ſunt de correctione *Breuiarii Salzburg.* et *Patau.* eccleſ. maxime de ſabbato S. Paſchae, *vbi cauetur*, quod pueri, poſt baptismum non lactentur, quousque *procurentur in corpore et ſanguine Chriſti.* p. 939, quidam accedunt ad curiam romanam et a *cardinalibus impetrant indulgentias* ad filiales eccleſias, in damnum parochialium et matricum. P. 940, ne *collectores* amplius admittantur; decipiunt populum in ſuis praedicationibus et indulgentiis; portant *reliquias;* — Aduiſamenta *ratisbonenſia;* prouideatur contra laicos, diffidantes clericos, ducentes eos in *Bohemiam*, et cremantes corpora et bona eorum; clerici coguntur ad damnationem pecuniae, vulgariter *Abting*, ad *Bohemiam* — vt matrimonium poſſit licite contrahi temporibus a iure interdictis, e. g. in LXXma. Aduiſamenta dioeceſ. Salzburg. p. 941. — petitur relaxatio de feſto translationis S. *Virgilii*, propter occupationes vindemiarum; Aduiſam. cleri *Stiriae inferioris.* Imperator ſolet clerum exactionibus *ſteurarum* aggrauare; populus propter minorem ſolutionem affluit ad mendicantes; alliciunt ad ſe plebem. P. 942. Cleri Archidiaconatus *Carinthiae* inferioris; aduerſus *ſteuras* ſeculares; pag. 943. Archidiaconatus *Stiriae*, marchiae ſuperioris; generalia totam prouinciam (Salisburgenſem) reſpicientia; circumducunt ſacramentum nimis frequenter; et quoties tonitrua vel venti inſurgunt, illud foras ad coemiterium efferunt, quamquam vix aedituus vel iuuenis campanam baiulans adeſt — tempeſtatibus vero melius creditur prouideri, ſi cottidie omnium eccleſiarum campanae tangerentur — pro quo etiam tempore ſacerdos loci legeret dicta *initia Euangeliorum quatuor*,

tuor, (contrarium ſtatuebatur in concilio *patauienſi* a. 1470. vid. p. 177.) P. 945 Tales collectores (indulgentiarii) emunt et *mercantur collecturas* ab eccleſiis, X. XIII libris denariorum, et per annum XL, L. accumulant — multo ampliores pecunias colligunt; *facinora et ſcandala committunt*, bibunt, noctu ludunt, blasphemant, in tabernis per noctes integras turpiter conſumentes, quod ad dei honorem fideles porrexerunt. *Curati* multi, qui debebent *informare* diebus feſtiuis orationem dominicam, in ea errant.

Recenſio breuis nouarum ſententiarum, quae a vulgata latinae eccleſiae diſciplina ſecedunt.

Collectio iudiciorum de *nouis erroribus*, qui ab initio XII ſeculi poſt incarnationem verbi, vsque ad annum 1632 in eccleſia proſcripti ſunt et notati — opera et ſtudio *Caroli* du *Pleſſis* d'*Argentré*, Sorbonici doctoris, et epiſcopi *tutelenſis*, non parum adiuuat eius generis *recenſionem*, quam hiſtoriae *dogmaticae* cauſſa inſtituimus; hoc corpus nobis ad manum non fuit, cum cauſſam *Huſſi* et *Wicleſi* deſcriberemus; erit autem ſatis commodus locus, cum ſeculi 14 hiſtoriam colligemus, copioſius *Wicleſi*, et ſimiles eius temporis res perſcribendi. Tomo I. parte 2. d'*Argentreani* corporis pag. 169 recte obſeruatur, *Huſſum* tenuiſſe *realem praeſentiam* in Euchariſtia; ex *monumentis* Ioh. *Huſſi* (*Norimbergae* 1558 fol.): reſtitiſſe *Huſſium* Aepiſcopo *pragenſi*, qui ferre et pati noluerit terminum *panis*. P. 178. Anno 1408, *Iohannis* de *Gorello*, ordin. min. errores circa ſacram. *poenitentiae*, a ſ. facultate *theol.* pariſ. Illa acta aliquoties typis edita. Errores. 1. Sacramentum poenitentiae nihil agit in habente gratiam; reſpicit enim principaliter expulſionem culpae. 2. Debite confeſſus, non tenetur denuo eadem confiteri. 3. *Curatis*, vt tales ſunt, non competit praedicare, confeſſare — decimam recipere; non enim ſunt de Chriſti primaria inſtitutione; ſed per *Dionyſium* papam. 4. *Fratribus* competit principalius,

mus, p. 190. Concil. *Senonenſe*, a. 1485, *Harduin.* p. 1519. in quo conſtitutiones Synodi 1460 renouantur. Ex *baſileenſi* concilio, de modo celebrandi ſeruitium diuinum. C. 3. Contra *feſtum fatuorum*, ſeu *Innocentium*, ſeu puerorum; ex eodem *Baſileenſi*. C. 5. Ne *moniales* et religioſae mulieres interſint proceſſionalibus. Artic. 2. De reformatione morum. Cap. 9. de *quaeſtoribus* et reformatione eorum, qui per mendacia ſimplicium pecunias extorquent; iis et praedicatio et *reliquiarum* delatio prohibetur. Art. 3. De reformatione religioſorum. Art. 4. De ſtatu laicorum et omnium fidelium. Synodus *Salzburgenſis* prouinc. 1490. p. 593–597. Hic pleraque omnia, vix capitulis tribus, et appendice, exceptis, iam in concilio *Friſingenſi*, p. *Harzheimii* 269. num 4. et alio *Friſingenſi*, p. 510 ſeqq. exſtabant, vt conferenti ſtatim patet, p. 583 autem et 584, deſumta ſunt ex concilio *Eyſtetenſi* p. 380. itaque, niſi negligentiſſime iſta collectio procurata fuerat, poteramus longe magis modicum corpus habere. Synodus *Bambergenſis*, 1491. titulus eſt ex concilio *Eyſtatenſi* a. 1447. pag. 363. pleraque omnia iam in aliis conciliis adfuerunt; e. c. titul. 9. vid. in concilio *Herbipolenſi* p. 318. tit. X. p. 321. tit. XI. p. 323. tit. XII. p. 324. tit. XLV. ex *Eyſtettenſi*, anni 1447. p. 363. tit. 36 de feſtis diebus, paululum differt ab indice pag. 365. et ſic multa alia, — pag. 620 exſtat: pro indulto, vt in quadrageſimalibus, butyro et lacticiniis veſci liceat, ſi habeant in bonis vltra 200 florenos Rhenenſes, dabunt *octo;* ſi minus habeant, quinque denarios monetae noſtrae vſualis currentis, loco *poenitentiae ſalutaris.* Tituli omnes ſunt LXI. Synodus *Suerinenſis* anni 1492, ſub *Conrado* Epiſcopo. Nullus rector eccleſiae aut monaſteriorum, admittat ordinatum in aliena dioeceſi — ad officiandum — ſub poena X marcarum *lubicenſ.* C. 5. De *altari portatili* (in *tabulis*, ſiue *viaticis*,) non vtendo. C. 12. Ne admittatur quaeſtor, niſi cum noſtra licentia. C. 18. Vt *vetus chriſma* et *vtrumque oleum*, apud fontem fundatur, et nouum ſtatim poſt paſcha ſuſci-

piatur. C. 21. Sacramentum Euchariſtiae non frequenter per circuitum deferendum nec ſingulis diebus exponendum eſt. C. 22. Vt duae ad minimum habeantur hoſtiae; nec pyxidem vacuam praeſumat ab infirmo reportare. Contra concubinas. C. 32. Vt monaſteria iuxta iuris diſpoſitionem regantur. C. 37. Ne plures ad baptismum vocentur, quam tres compatres; quilibet presbyter parochialis *cedulam*, quam ſubiungimus, in eccleſia affigere debet; pag. 652 arbor de caſibus *cognationis ſpiritualis*; extendit ſe ad XX perſonas, prohibens matrimonium. C. 47 quae cantica in *Miſſa* integra cani debent. Synodus *Caminenſis*, Stargardiae celebrata 1492. Interdicit ebrietate, ſub poena 2 florenorum *hungaricorum*; C. 12. reprehendit inſcitiam procuratorum forenſium, qui nec *Grammaticam*, nec *Rhetor.* nec *Logicam* didicerunt. C. 13. Confeſſarii ne vendant abſolutionem; dictatur taxa confeſſariis. C. 18. Interdicitur *iter* ad ſacra loca aut *indulgentias* quaerendas, niſi ex licentia Epiſcopi; (ex *Crameri* hiſtor. pomeran. latine excerpta ſunt.) Synodus *Treuerenſis* 1495. *Warmienſis*, a. 1497. de quolibet Archipresbyteratu ſacerdos mittatur *Frauenburgum*, pro Chrismate. C. 13. Matrimonia eorum, qui ignorant orationem domin. Salutationem angel. et Symbolum, non auctorizari debent per ſacerdotem. C. 19. De officio patrinorum. *Teutonici*, ſiue *Pruteni*, orat dominicam et ſymbolum ignorantes, et incantationibus inſiſtentes, admitti ad compaternitatem non debent. C. 20. Parentes inducere debent paruulos, ad eligendum ſibi apoſtolum, pro deuotione et cuſtodia. C. 24. Miſſa priuata clariori voce dicenda. C. 30. Presbyteri habeant *ſummas ſacramentales*, ſeu poenitentiales, vt *Piſani*, vel *Angeli*. C. 35. *Prutenis* et *Teutonicis* aut Capellanus prutenus conſtituendus; aut curatus per ſe Teutonicis et *prutenis* per *interpretem* vno contextu praedicet verbum dei. C. 50. Vt ſacerdotes, quoties *fraternitates* ſuas peregerint, illa ſtatuta legant, ſub poena exſtinctionis fraternitatum. *Wratislauienſis* ſynodus, 1497. *Mo-*

tur, niſi praeſentati. — vt *reformentur* religioſae; contra inuentores religionum non approbatarum &c. pleraque cetera ſtatuta iam alibi deſcripta; licet *Harzheimius* non obſeruarit. Poterant pleraque omnia omitti; conferatur pag. 269. 270. 510. p. 270. 271. 512. p. 274. 513. p. 277. 515. 516. p 277. 517. p. 273. 519. p. 279. 518 ſeqq. *Synodus Tornacenſis* 1481. C. 1. ad leuandum puerum in baptiſmo, vltra 2 viros et vnam mulierem; in puella, 2 mulieres, vnum virum, non admittantur. C. 4. Reſeruamus nobis abſolutiones – a maleficio impediente coitum, procreatione ſterilitatum — — indulgentias damus — item illis, qui ob reuerentiam domini noſtri Ieſu Chriſti et eccleſiae, *aſſurgunt ſacerdotibus*, 20 dies relaxamus. — doceant parochianos, vt pueros ſuos ad ſtudium litterarum deputent, et praecipue *Pater noſter*, *Aue Maria*, *Articulos fidei*, *Confiteor*, *ſeptem* pſalmos et alias ſimiles orationes et eccleſiae ſuffragia addiſcere faciant. — p. 532, ne confraternitates ſeu *gildas* inſtitui permittant in eccleſiis, niſi noſtra licentia; quodque *illarum conuiuia* nullatenus in eccleſiis fieri, nec cibaria in coemeteriis praeparari permittant; poena 20 librarum, qui fecerint. Ne *indulgentiae altaribus appendantur.* Banniti, exules et alii *malefactores* ad *immunitatem* eccleſiae confugientes ſolent minus deuote ſe tenere, conuerſationes cum amicis, ſaepe cum mulieribus impudicis tenere, alta voce cantare — — vt presbyteri *concubinas* expellant — pag. 534 praecipimus, vt beneficiati, omnia bona et reditus *tam in miſſalibus*, quam in aliis libris authenticis ſcribant — ne beneficiatus ſuos prouentus vllo modo in *emphyteuſin*, nec *vltra* 9 *annos* in *arrendam*, ſeu ad *firmam* dare praeſumat. — p. 538, vt *nullus quaeſtor* admittatur, niſi prius facta quaeſta generali pro pauperibus infirmis et miſerabilibus perſonis loci, ſeu parochiae. Anno 1482. *Treuericae ſanctiones* — 4. pro *aqua Gregoriana* plus aureo pretii monetae vſitatae non ſoluatur, in minoribus aediculis, *ſex* tantum *albi*. *Synodus colonienſis* 1483, ſtatuta partim noua, partim an-

tiqua. *Engelberti* secundi; *Sifridi; Wichbaldi; Henrici; Wilhelmi; Friderici; Henrici*, praedecessoris; Concilium *Constantiense dioecesanum* 1484. Indulgentiae 40 dierum illis, qui contra haereses Ioh. *Wigklaff*, *Huss*, et *Hier.* de *Praga*, operam dederint. Hic insignis est *Harzhemii* editoris negligentia, qui a pag. 546 ad paginam 565 omnia recudi fecit, quae iam exstabant pag. 451–469. Debebat notare tria aut quatuor capitula, quae hic addita aut breuius scripta, aut omissa sunt. Synodus *Aichstadiensis* 1484. eadem turpi negligentia *Harzhemii* editio pag. 567–572 repetit omnia, quae iam p. 471–475 loco et tempore non suo, 1465, excusa erant; tempus synodi vnius et eiusdem duobus per XX annorum interuallum fere seiunctis annis, ineptissime adsignatum fuit. Phil. *Labbei* annotatio, ap. *Harduinum* p. 1518: anno 1486 celebratum in Anglia concil. *Lambethense*, praeside *Thoma*, aep. cantuar. et cardinali, aduersus errores *Reginaldi Peacok*, episc. cicestrienſis; qui proiectis in ignem libris episcopatu depositus et in coenobium detrusus fuit. Eius synodi acta nec in vltima conciliorum editione excusa sunt, nec aliunde haberi adhuc potuerunt. Sed hic *Harduinus* et *Labbeus* numeris falsis in errorem inducti sunt. Nam anno 1457 *Reginaldi Peacokii* reuocationem exhibet *Wilkins* in concil. M. *Britan.* tomo 3. pag. 576; similiter *Raynaldus* ad ad annum 1459. n. 28 *Pii* secundi epistolam adfert, ad Aep. *Cantuar.* et *Londin.* *Windsorienſemque* epp. qua narrat, *Henricum* regem, et *Margaretham* reginam, praelatosque Angliae significasse ipsi, *Reginaldum Pecock* in plerisque articulis fidei damnabiliter sensisse, et contra fidem idiomate *anglico* et *latino* opuscula scripsisse, et coram Aepiscopo aliisque epp. fassum, se per XX annos in erroribus perstitisse; abiurasse autem; eumdem vero aliquos libros in vtroque idiomate occultasse, ficte poenitentem; quaestionem igitur porro haberi iubet aduersus eum et eius socios; libros comburendos, haereticos autem puniendos. *Peacokii* sententias alio loco postea recensebimus.

38. Quoniam in benedictione aquarum S. *Blaſii* et S. *Stephani* vulgariter nuncupata, idololatriae ſiue fides peruerſa per ſimplices ſaepe committuntur, placet, quod huiusmodi benedictiones omittantur. 42. Dudum inoleuit corruptela, fortaſſis primo ex fidelium deuotione, quod nonnullis temporibus almum *corpus Chriſti* per campos et ſegetes ad diuerſa loca, etiam ad ignem, deportatur — in pluribus etiam locis leguntur 4 Euangelia ad quatuor mundi partes, cum ſuis cerimoniis, *contra fulgura et tonitrua*; alii ad cauillationes, riſus, potationes abutuntur iſta occaſione — igitur minime fiant tales deportationes, proceſſiones Euangeliorum, ſiue orationum lectiones — 45. Laici, qui ſe aſſerunt vitricos, ſeu *magiſtros Zechae.* 53. De officiis ſeu miſſis *manualibus.* 54. Ne plebanus paciſcatur de vigiliis, officio, ſepultura, ſeptimi, triceſimi, antequam funera tradantur ſepulturae. *Synodus Wratislauiae* 1473, *Harzhem.* p. 491. ordo ſedentium, in *dextro ſtallo*; in *ſiniſtro ſtallo*; — Letaniae inſertum eſt: *vt ſynodum iſtam* &c. — feſtum *praeſentationis* Mariae, d. 21. Novembris, per totam dioeceſin ſeruetur; in precibus, vbi hactenus dictum eſt: domine ſaluos fac *principes* noſtros, nunc dici et in libris ſcribi debet, domine ſaluum fac *regem* (Matthiam) et principes noſtros. — vt ſit in futurum ſingulis annis *ſynodus*, feria 2. 3. 4. poſt dominicam *Iubilate*; incipiendo ab anno 1475. Synodus ſecunda 1475; publicata eſt *conſeruatoria*, a rege *Matthia*, impetrata. Synodus *Friſingenſis* 1475. — Viſitatores monaſteriorum ordinis S. Benedicti conſtituti — in monaſteriis ordinis S. Auguſtini canon. regularium. Nomina teſtium per *decanatus* XVIII. *Sixti* 4 decretum 1476, de feſto conceptionis immaculatae, Mariae. — ipſa via miſericordiae, mater gratiae, *humani generis conſolatrix*, pro ſalute fidelium ſedula oratrix et peruigil ad regem, quem genuit, intercedit — aliud decretum, 1483: accepimus, quod diuerſorum ordinum praedicatores ad populum publice affirmare non erubeſcunt, omnes, qui tenent glorioſam dei

genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse haereticos — nec contenti his sermonibus, suos *libros ediderunt* — Concil. *Constantiense* 1476. Conqueruntur singuli rectores et clerus universus de *quaestionariis praecipuis;* siue sancti — *Valentini*, *Antonii*, *Bernhardi*; absurda et piarum aurium offensiua, in cancellis, verbum dei Euangelisando, committunt; statuimus, vt deinceps quaestores ad ambones ecclesiarum non admittantur — et omnes debent *quartam* partem rectoribus et plebanis soluere. — ne mendicantes indomitis linguis et indiscrete praedicent — de *Lolhardis* et *Begutis*, vt *in mense* semel duntaxat sacramentum eucharistiae sumant. Concil. *Toletanum* a. 1473. p. 1504 *Harduin.* vt rectores parochialium habeant in scriptis *articulos fidei*, praecepta decalogi, sacramenta eccles. species vitiorum et virtutum, et a *septuagesima* vsque ad dominicam in passione solemniter in eccles. publicent. 3. Nullus ad sacros ordines promoueatur, nisi sciat *latinaliter* loqui. — contra concubinas; et vitam inhonestam clericorum — quidam presbyteri celebrare contemnunt; *quater* in anno Missam per se dicant. 13. Plures religiosi et clerici, *praelatorum* incuria, per ecclesias discurrunt, et plebibus varia et *ridiculosa* exponunt, et gratias concedunt innumeras, pro exigua quantitate — *quaestores* sola lectione indulgentiarum per rectores ecclesiarum, contenti, nihil aliud proponere audeant — *Vesontionense* concil. 1480. de clericorum emendatione externa; nec patiantur in ecclesiis aut coemeteriis suis choreas fieri, aut negotiationes mercantium et nundinarum; seu iudiciorum laicalium strepitus et causas teneri. Ibid. a. 1481. ne *questae* fiant in ecclesiis sine litteris ordinarii; et diligenter videant, si sit pro anno, in quo veniunt, et si in eis sit aliqua *rasura* aut alia suspicio. Synodus *Frisingensis* 1480, contra luxum Clericorum et concubinatum; ne clerici ioculatoribus, *vagis scholaribus* et similibus *Goliardis* largiantur sub quacunque specie — ne fratres mendicantes admittantur,

Occami et ſequacium, ſed *Auerrois*, *Alberti*, *Thomae*, *Aegidii* — reprobatur haec comparatio: quod *futura* res propriam *veritatem* iam habeat, ſicut praeterita vel praeſentia; haec enim habent veritatem ſuam extra deum productam. Pag. 250, coram decano facult. theol. — quod orta erat nouiter diſſenſio in oppido *Rupellae*, inter nonnullas perſonas eccleſ. et ſeculares, non modicae auctoritatis, *ſuper materia ſanguinis Chriſti*, pro redemtione humani generis effuſi; dicentibus aliquibus, quod Chriſtus in reſurrectione ſua non totum *ſanguinem ſuum reſumſerit*; aliis autem oppoſitum aſſerentibus. — facultas fecit concluſionem, non repugnat pietati credere, quod aliquid de ſanguine Chriſti *remanſerit in terris*. Hoc anno 1448, vt *Trithemius* narrat, de ſcriptor. eccleſ. *Matthaeus Palmerius*, qui concilio Florentino interfuit, ſcripſit librum plenum erroris, *de angelis*; quem *pertinaciter* defendens tamquam haereticus condemnatus eſt, et apud Cornam ciuitatem exuſtus; (ſunt tamen, qui dubitent de hoc ſupplicio.) A. 1453, Guil. *Edelinus*, theol. doct. pariſiis de Magia accuſatur; narrat *Gaguinus* lib. 10. hiſt. Franc. eum adoraſſe daemonem in *arietis* ſpecie; a quo edoctus *ſcopam* ſumere et inter femora *inſtar equitis* ponere, quo volebat, breui momento ſe traducebat. Hoc impietatis genus *Waldenſium* eſſe dicitur. *Coccius* in theſauro catholico tom. 1. addit, penes *Edelinum* inſtrumentum *obligationis cum Satana contractae*, fuiſſe repertum; in eo contentum, vt publice concionaretur, *fabulam* eſſe, quicquid *de magis* praedicetur. (De *Edelino* vid. plura in libro liberali, Anpreißung der Kayſerl. Königl. Apoſtol. Majeſtät Landesverordnung von Hexenproceſſen, *Monachii* 1767, 4. p. 212 ſeq.) A. 1457, animaduerſio in ſermones cuiusdam Fr. praedic. qui Mariam in originali peccato conceptam praedicauerat in Aremorica. *Pii*, 2 litterae, apud *Raynaldum*, 1459, contra habitatores ducatus Britanniae, qui *magicis artibus* ſtudioſi eſſent. Eiusdem papae, contra nouos errores *Zanini* de Solcia, canon. bergam. I. V. D.

qui

qui ſtatuit, mundum naturaliter conſumi debere; deum quoque alium mundum ab iſto creaſſe, et in eius tempore alios viros et homines fuiſſe, *Adamum* ergo *non primum hominem* fuiſſe; Chriſtum, Moſen, Mahumedem mundum pro lubitu rexiſſe; Chriſtum in hoſtia ſecundum diuinitatem tantum exiſtere; extra matrimonium non eſſe peccatum, niſi legum poſitiuarum prohibitione; legem chriſtianam per ſucceſſionem alterius finem habituram; incluſus fuit in carcere monaſterii. A. 1462, discordia inter fratres *praedicatores* et *minores* de *ſanguine Chriſti;* an effuſus ſanguis, triduo mortis a diuinitate ſeparatus eſſet, Brixiae innouatur; papa *Pius* 2. 1464 Bullam ideo edidit. A. 1465 tribus theſibus *Nominalium* a Iohanne *Fabri* propoſitis, cenſoriam notam inurit facultas theol. pariſ. 1. Vnus homo eſt infiniti homines, et infinitorum hominum vna eſt anima- 2. Nullus homo vmquam corrumpetur, etiamſi aliquando corrumpetur homo. 3. Quaelibet pars hominis eſt homo. A. 1466 quosdam libros de *arte magica* a magiſto Arnoldo *Desmarets* compoſitos vniuerſitas pariſ. improbat. Eodem anno delegati ſint, qui collegia viſitarent, ob doctrinam *nominalium* et ſimiles opiniones, quae incipiunt in vniuerſ. pariſ. pullulare. A. 1470, quaedam dicta *Petri* de *Riuo*, de *futuris contingentibus* in louaniensi acad. magnam controuerſiam mouent; plures ſcriptiones recenſentur e bibliotheca *Colbertina*; *Henricus* quidam contra *Ariſtotelem* affirmabat, de futuris contingentibus eſſe determinatam veritatem. *Epicurus* dixit, eſſe propoſitiones nec veras nec falſas, de futuro ſcil. contingenti; *Chryſippus* negauit; longa diſputatio; —— p. 265 contra *Wiclefum*, qui dixit omnia de neceſſitate abſoluta euenire; pergit iſta tractatio ad p. 284. A. 1473 Defenſio *nominalium*, in pariſ. ſcholis degentium regi *Ludouico* XI oblata; rex enim magiſtro Ioh. *Boucard*, contra *nominales* actore, poſtulantibusque Thomiſtis, *Occami* et *Nominalium* libros e ſcholis eliminandos edixerat. A. 1476 Ioh. *Hanſelin* de *Nicolaushauſen* ruſticanus in

dioe-

hibuerunt vniuerſitati *litteram*, *per ſereniſſimos principes ſacri imperii*, inclitos electores, ipſi deſtinatam. Reprehenduntur varia; e. g. quod iuuenes introducuntur in via alterius doctrinae, S. *Thomae*, *Alberti*, aut aliorum alti ſermonis doctorum, *quae transſcendit capacitatem iuuenum;* vnde incidunt errores; exemplum adeſt de *pragenſibus*. — Dicimus, quod liberum fuit magiſtros allegare diuerſos auctores; vel *Ariſtotelem*, vel commentatorem *Auerroyum*, *Auicenam*, *Euſtathium*, *Boethium*, *Themiſtium*, S. *Thomam*, *Albertum*, *Aegidium* &c. nemini tamen praecluditur *via modernorum*. — quia generoſi et illuſtriſſimi principes in hac materia loquuntur, *prout clam ab aliis* minus iuſte *informantur*, deſiderii noſtri eſſet, quod tales ad lucem comparentur — A. 1426, determinationes pariſienſis facult. theol. ſuper *obſeruatione dierum dominicalium* et *feſtorum ſollenniuum*. — praeceptum de obſeruatione *ſabbati* in lege, non eſt de *iure poſitiuo*, ſed quodammodo morale naturae — A. 1429, decretum ſacrae facultatis *pariſ.* theol. de eccleſiaſtica poteſtate, aduerſus Io. *Sarrazin*, ordin. praed. (omnem auctoritatem reſidere in papa.) is reuocauit, et confeſſus eſt, omnem poteſtatem iurisdictionis eccleſ. eſſe a Chriſto, quantum ad inſtitutionem et collationem primam; a papa autem et eccleſia, quantum ad limitationem et dispenſationem miniſterialem. — Pag. 229. A. 1431, de rebus ad *Iohannem*, puellam *Aurelianenſem*, pertinentibus; errauerunt magiſtri pariſienſes in quaeſtione facti; ab Anglis enim falſo talia dicebantur. Vid. pluribus Hiſtoire de *Jeanne Darc*, vierge, Heroine et martyre d'etat Francoiſe; tirée des procès et autres pieces originales du temps, par Mr. L'Abbé *Lenglet* du *Fresnoy*. pariſiis 1753. 8. Quaeſtio habita d. 21 Februar. 1431. pag. 150 ſeqq. partis primae. In 2 ceteris partibus documentorum et teſtimoniorum magna copia habetur, pro defenſione puellae.) A. 1438, *Pragmatica ſanctio* ex decretis *baſil.* concilii collecta apud *Bituriges*; alia monumenta ad hanc ſanctionem pertinentia,

pag.

pag. 232. 238. A. 1442, Reuocatio, M. Nicolai *Quadrigarii*, ordin. erem. Auguſtini; me dixiſſe, quod omnia quae fiunt, quadam *neceſſitate eueniant;* pono conditionalem; vel ſuppoſitione immutabilitatis prouidentiae, aut neceſſ. conſequentiae. A. 1443, *Alphonſi Toſtati*, abul. ep. tres concluſiones, (in romana curia, d. 21 Iun.) a romanis cenſoribus et *Eugenio* 4, reprehenſae. Vid. litteras *Alphonſi* apud *Raynaldum*, hoc anno, num. 24, quibus ſe excuſat. 1. Dixi, quod peccatum, per ſe, pro nullo ſtatu, irremiſſibile eſt. 2. A poena aut a culpa deus non abſoluit, nec ſacerdos poteſt. Accepi *abſoluere* ſtrictiſſime; diſtinguendo poenam et culpam, a *reatu*, obligatione; ſic deus non poena abſoluit, ſed a reatu. *Toſtatus* etiam ſtatuerat cum graecis, Chriſtum anticipaſſe ſacram coenam, die 13. lunae primi menſis, non in azymis, ſed in fermentato. Nec 25 Martii putauit Chriſtum mortuum, ſed die 3 April. A. 1444, Copia epiſtolae a facult. theol. pariſ. ad praelatos et capitula regni Franciae transmiſſae, ad deteſtandum et abolendum ſcandaloſum ritum, *feſtum fatuorum*; cum multis concluſionibus et qualificationibus. A. 1447, *Reginaldus Pecoke*, ciceſtr. epiſc. erroribus *Wiclefi* adhaerebat; vid. Hiſtor. vniuerſit. *Oxonienſis* p. 220. *Wilkins* concil. tom. 3. p. 576 ponit annum 1457. Primus error, non eſt de neceſſitate ſalutis, credere, quod Chriſtus poſt mortem *deſcendit ad inferos*. 2. Nec — credere in Spiritum S. 3. Nec — in ſanctam eccleſ. cathol. 4. Nec, in communionem ſanctorum. Eccleſia vniuerſalis poteſt errare in iis, quae ſunt fidei. Non opus eſt, tenere, omne id, quod concilium generale vniuerſalis eccleſiae ſtatuit. Reuocauit ſaltim hoc tempore. A. 1447, decretum *Louanienſis* acad. artium contra vanas diſputationes de poſſibilitate; e. c. dari corpus informatum per animam rationalem, homine non exiſtente; abſolute loquendo *poſſibile*, vnam animam intellectiuam numero, informare omnia corpora humana — ſtatuit facultas, vt *textui Ariſtotelis* fides adhiberi debeat, *non ſecundum* expoſitionem *Wiclefi*, *Occami*

bit, quam vel in Apoſtolis, qui non habuerunt niſi corticem. 11. Quod non presbyteri ſed Chriſtus remittit peccata; quia peccator ipſe non poteſt remittere. 12. Aſſerui pluries, me habuiſſe reuelationem; me a deo fuiſſe amplexatum, illuminatum, et quod habui gaudium de ſecuritate aeterna; et quod ex tunc aliter intellexi ſcripturam ſacram. 13. Quod deus eſt vbique, *in lapide*, membris hominis, inferno, ſicut in ſacramento altaris; 14. quod non poſſit Scripturam perfecte intelligere, niſi ſit ſpiritus S. in eo. 15. Quod reſurrectio non eſſet futura; quia facta erat in Chriſto, et eius membra ſumus. 16. Quod dixi reuelationem me habuiſſe aduerſus presbyteros, et me audiſſe vocem: ego veni ad mortificandum presbyteros. 17. Quod, ſi numquam praedicaretur, non tamen ideo pauciores homines ſaluarentur. 18. Quod corrupta, ſi non haberet curam temporalem, eſſet eiusdem meriti, ſicut virgo. Pag. 205, *ſchedula*, quam ego Fr. *Wilhelmus* propria manu ſcripſi ſuper articulis mihi impoſitis; eos abiurando, ex *Baluzii* miſcell. tomo 2. Pag. 216, Haeretici *Adamitae* dicti, ſiue *Picardi*, a. 1420, ex *Aenea* Syluio: emerſit apud *Bohemos*; *Piccardus* quidam ex Gallia belgica, Rheno transmiſſo per Germaniam in Bohemiam penetrauit; breui tempore non paruam plebem ad ſe traxit, quos nudos incedere iubens *Adamitas* vocauit. Occupata inſula, quam amnis *Luſinicius* cingit — ex iis XL viri inſulam exiere et in villis vicinis ſupra ducentos agreſtes interfecere, quos filios diaboli dicebant. *Ziſcha* in eos duxit exercitum &c. P. 217 *Ioh. Nieder* ord. praedic. qui tempore concil. *conſtant.* et *baſil.* claruit apud *Germanos*, varias hiſtorias de haereticis ſuae aetatis refert in *Formicario* lib. 3. de falſis et illuſoriis reuelationibus. Fuit Fraticellus ſeu *Beghardus* ſecularis, qui in eremo auſteram vitam vixit, et duriſſimam regulam tenuit; niſi *pertinacia* acceſſiſſet, veri et boni angeli inſtinctus interceſſiſſe videri poterat. A *Conſtant.* epiſcopo captus, per inquiſitorem iudicio ſeculari traditus, et *incineratus* fuit. Alius fuit, qui velut *Beghar-*

dus

dus infra Rhenum — tandem *Viennae* in *pictauienſi* dioeceſi incineratus eſt; dicebat, *Chriſtum* in ſe et ſe in Chriſto eſſe. — Currit in partibus *Sueuiae* inter perſonas vtriusque ſexus, ſeculares et eccleſiaſticas, haereſis et hypocriſis tam enormis, vt eam ad plenum exprimere non audeam. Omnia licere, non iciunant; occulte laborant in feſtis eccleſiae; *caerimonias* omnes tamquam animalium hominum ſpernunt; virginitatem — ſuperſtitiones eſſe; pro minimo ducunt, non obedire papae aut paſtoribus aliis; — ſacerdos quidam feminis perſuaſit, verecundiam abnegandam; coram clericis talibus ſe denudarunt, ſed ſine coitu; a feminis his multóties ſumebatur euchariſtia, vt augeretur gratia ſacramentalis, eadem hora et die receperunt tres feminae nudae, vltra quinquagies; coniacebant clerici vno in lecto, nec ad lapſum carnis procedebant. (Nempe *Roberti* d'Abriſſelles exemplum imitabantur.) — de alta perfectione loquuntur; ſtilum *librorum* ſubtiliſſimorum *in noſtro vulgari* periculoſe, vt vereor, ſcriptorum, didicerunt — caeremonias, feſtiuitates, miſſas, contemnunt. Pag. 219, tempore, quo in vniuerſitate *Viennenſi* legi biblia, vel ſententias, in *Hungaria* repertus eſt quidam artium Baccalarius et presbyter, haereticus — ſyllogizando vel paralogizando potius, tacite de articulis fidei et eccleſiae ſacramentis, deliramenta iſta eſſe ſtatuit, vt nihil penitus crederet de iis, quae ſunt catholicae fidei, niſi pro quanto demonſtratione euidenter et efficaciter probare valeret. — in *baptismi* efficaciam nullam fidem habuit, dixit tamen, ſe *intendere* facere, quod credebat eccleſiam facere, et hoc ſufficere. — A. 1425, Wilh. *Ruſſel*, ord. min. erroribus *Wicleſi* fauentis, dicta *contra decimas* parochorum, reprobantur in *londin.* concilio, tum *Oxonii* et ab vniuerſitate *cantabrig.* A. 1425, *Colonienſis* vniuerſitas in crimen vocata eſt, propterea, quia *Nominalium* doctrinae, pariſiis improbatae, fauere videretur. Quare diſciplinam ſuam *apud electores principes* defendit, hoc modo. Honorabiles domini ſanctae et felicis ciuitatis *Colonienſis* exhibue-

cipalius, eſſentialius, praedicare et confeſſare, quam curatis. Illud, *agnoſce vultum pecoris tui*, non intelligitur de confeſſione. 5. Curatis habentibus ſufficienter aliunde, non licet recipere decimas ad vſum proprium. Reuocauit in die *Aulae ſuae*, ante receptionem bireti. A. 1409. *Alexander* V. in bulla, *Regnans* in *excelſis*, praeter errores Iohannis de Poliaco, a Ioh. XXII olim reprobatos, nouem alios articulos proſcribit, et priuilegia mendicantium confirmat; ſed obſtitit ei bullae vniuerſitas *pariſ.* Adiiciuntur hic pag. 181 nouem obſeruationes, pro defendendo papa. De errore *Iohannis Parui*, de *nece tyrannorum*, p. 184–191. (Liceat breuiter in memoriam reuocare, *Dan. Paraei* commentarium in Epiſt ad *Romanos*, ob explicat. Cap. 16, *Oxonii* 1622 publice per carnificem combuſtum fuiſſe, quia ſimilem ſententiam videbatur perſuadere.) Litterae Ioh. *Gerſonis*, *brugis* ſcriptae, pro *Reformatione Theologiae*, a. circiter 1412. Pag. 194 Errores *Hieron* de *Praga*. A. 1411, errores *ſectae hominum intelligentiae*, et proceſſus contra Fratrem *Wilhelmum* de *Hildesheim*, ordinis b. Mariae de monte Carmeli, et laicum, *Aegidium Cantoris*: per P. de *Alliaco*, pag. 201. 1. *Aegidius* dixit, ego ſum ſaluator hominum, per me videbunt Chriſtum, ſicut per Chriſtum patrem. 2. Diabolus et omnes homines finaliter ſaluabuntur. 3. Diabolus Ieſum *non portauit* ſuper pinnam templi. 4. Quod ſpiritus ei inſpirauerit: tu es conſtitutus in ſtatu pueri trium annorum; non ieiunabis, ſed comedes in quadrageſima; atque edunt carnes ſextis feriis et in XL. ſi ſine nota poſſunt. 5. Non curant praecepta et ſtatuta eccleſiae. 6. Nec confeſſionem; ſolum, ad praecauendum vexationes, oſtendunt ſe ſacerdoti, venialia confitendo. 7. poenitentiae rigorem non admittunt; 8. eſt quaedam inter mulieres ſectae, quae non patitur ſe ab aliis cognoſci; ab aliis ideo moleſte increpatur. 9. Aegidius habet ſpecialem modum coeundi, non tamen contra naturam, quali dicit Adam in paradiſo fuiſſe vſum Sed *Wilhelmus* non ſequitur eum modum. 10. Faciunt ſibi

idioma, vt alii non intelligant; coitum vocant delectationem paradiſi. 11. Aliquam *antiquam* (mulierem) vocauit *Seraphin;* quae dixit, quod licet extra matrimonium coitum exercere; eſt enim actus pure naturalis, ſicut edere, bibere. 12. Quaedam maritata non facit differentiam inter virum et virum. 13. Nemini ad plenum credit *Wilhelmus*, niſi qui ſine dei timore actu copulae vtuntur. 14. Conſueuit monere ſuos, quod caute ſe haberent loquendo. 16. Omnes actus ſuos, etiam nefarios, referunt ad voluntatem dei; non ſolum permiſſiuam, ſed *beneplaciti* et *efficacem.* 18. Tempus veteris legis fuiſſe tempus *patris;* nouae legis, tempus *filii;* nunc eſſe tempus *Spiritus S.;* ſeu tempus *Eliae.* Hoc tempore oppoſitum doctrinae catholicae iam eſt praedicandum. 19. Propter *inſpirationem*, quae ſit a Spiritu Sancto, iuit totus nudus per longam viam. (ſicut *Franciscus.*) 20. Mirantur, quod quidam ſignant ſe *ſigno crucis;* perſuaſerunt aliis, ne praedicarent caſtitatem, virginitatem, continentiam; vnam eſſe virginem, *ſapientiam.* 21. De purgatorio et inferno ſunt contrarii eccleſiae, et habent quemdam fictum modum loquendi. Pag. 204. ſequuntur propoſitiones falſae, et haereticae, per me, Fratrem *Wilhelmum* in forma ſequenti *reuocandae.* 1. Quod omnes chriſtiani, Iudaei, pagani et diaboli, ad deum reuertentur, et erit vna generalis ſaluatio. 2. Aliquando infernus non erit. 3. Deus totum facit; omnia ſiue bona ſiue mala fiunt voluntate dei, et conueniunt ita eſſe. 4. Quod nullus homo actibus ſuis meretur aliquid vitae aeternae, ſed Chriſtus ſolum, qui in cruce omnia meruit. 5. Quod paſſio Chriſti ſatisfecit pro omnibus, nec quod homo agit, cedat ei ad meritum et ſaluationem. 6. Quod homo exterior non maculat interiorem. 7. Quod homo interior non damnabitur. 8. Quod in ornatu veſtium nulla eſt culpa. 9. Quod ii, qui reprehendunt peccatores vel eos iudicant, plus peccant quam illi. 10. Quod praedicationes antiquorum ſanctorum et doctorum ceſſabunt, et ſuperuenient nouae; et quod ſpiritus S. clarius illuminabit,

dioeceſi *Wirceburgenſi*, ſe diuino afflatu incitatum eſſe oſtentat, et multos errores praedicat aduerſus clericos et ciuiles principes; ex *Trithemii* chronico *Hirſaug.* Tanta multitudo hominum, non ſolum ex *Francia* orientali, ſed etiam *Bauaria*, *Sueuia*, *Alſatia*, partibus Rheni, *Wetterauia*, *Haſſia*, *Buchouia*, *Thuringia*, *Saxonia*, *Misnia*, quotidie ad fatuellum hunc affluebat, vt frequenter vno die 10000, 20000, apud villam *Niclashauſen* conueniſſe, ſit proditum. A virgine *Maria* fingebat ſibi reuelata; vnusquisque voluit de eo aliquid habere, quaſi de reliquiis, vt miſer fere quotidie cogeretur noua indumenta prouidere. *Proceſſionaliter* ei obuiam facti ſunt, flexis genibus dicebant, ora pro me deum, vir ſancte. — Maria mihi dixit: dic populo fideli meo, quod filius meus auaritiam, luxuriam &c. clericorum et ſacerdotum amplius ferre non poſſit; decimas non eſſe exigendas *nec annuos cenſus*, pedagia, telonia, praeſtationes omnes deponi iuſſit *Maria.* (meminerimus ſeculo ſequenti, cum *ruſticorum ſeditio* deſcribenda eſt.) *Venationes*, *piscationes*, nemorum vſus cunctis eſſe communes — Interrogatus per *chordam*, faſſus eſt, omnia ficta eſſe — — rogo cum imponendus eſſet, ſpiculator omnes *pilos* eius abradi fecit, ne quod maleficium ſiue daemonium in eis latere poſſet — perſonabat cantilenas *theutonicas* de domina noſtra. A. 1476 regis *Angliae* edictum, contra ſectarios Wiclephi et *Pecokii.* 1477 propoſitio, quam tenuit in Sorbona Magiſter quidam damnata eſt: tribus proprietatibus, quarum nulla eſt deus, tres perſonae conſtituuntur. P. 291, paradoxa Ioh. de *Weſalia*, ſacr. litter. doctoris ac Concionatoris *Wormatienſis*, quae feruntur a quibusdam *Thomiſtis* ex illius ore fuiſſe excepta: Praelati non habent auctoritatem inſtituendi *leges;* debent docere euangelium. *Indulgentias* nihil eſſe credit; *Gloſſae* non credit; nec doctorum ſcriptis, etiam ſanctorum. Deus ab aeterno condidit librum, in quem ſcripſit omnes ſuos electos; electi *ſola dei gratia* ſaluantur; quem deus vult damnare, ſi omnes pres-

byteri et papa eum vellent ſaluare, tamen damnatur; et contra, ſi quemdam vult ſaluare &c. timet, quod noſtri doctores male, ficte et falſe exponant ſacram ſcripturam. Si *Petrus* inſtituiſſet ieiunium, forte ideo feciſſet, vt melius venderet piſces ſuos. *Sacrum oleum* eſt ſicut aliud oleum, quod comedis domi in offa. Chriſtus non mandauit feſta, horas canonicas. Si quis confiteatur, iniungitur ei ardua poenitentia, vt peregrinetur Romam &c. Hoc Chriſtus non fecit; dixit, *vade; noli amplius peccare.* Scriptura non dicit, Spiritum ſanctum *procedere a filio.* Peregrinantes Romam, fatui ſunt; hic inueniſſent, quod alibi quaerunt. In ſymbolo fidei, *ſanctam eccleſiam*, non pono *catholicam;* quia ſignificat, *vniuerſalis;* ſed *vniuerſalis* congregatio baptizatorum omnium, non eſt ſancta; ſed maior pars reprobata. Nec poſuit *Hieronymus*; ſed forte quidam appoſuit et poſtea venit in conſuetudinem. Pag. 292. Examen magiſtrale ac theologicale doctoris *Ioh.* de *Weſalia*, praeſidentibus Magiſtris noſtris, haereticae prauitatis inquiſitoribus, *Gerhardo* de *Elten* et Iacobo *Sprenger*, 1479. Miſit aep. mogunt. *Diethericus*, inſtinctu *Thomiſtarum*, veritus ne denuo eiiceretur, e ſede ſua, (ſicut antea ob leuia verba, contra pallium; vnde dicitur *Pius* 2 ad mentionem *Moguntiae* ſemper ingemuiſſe, quod ius ſuum tam inſigni damno et direptione vrbis, vindicaſſet,) ad academ. *Heidelbergenſem* et *Colonienſem*, pro theologis examinaturis. Iuramentum impoſitum *Iohanni*, vt traderet omnes ſuos tractatus et ſcripta ſua; fuit in carcere apud Minores. Interfuit examini etiam Aepiſcopus cum *Colonienſibus* et *Heidelbergenſibus;* ſedit primo loco *Inquiſitor;* ſecundo, aepiſcopus &c. Interrogatur (poſt varias caeremonias Inquiſitoris), an ſcripſerit ſuper modo obligationis legum humanarum ad quemdam *Nicolaum* de *Bohemia* aut *Polonia?* — de ieiunio, ad epiſc. *Wormatienſem.* Fatetur, ſe cum *Nicolao* fuiſſe conuerſatum de medicinis et de communione *ſub vtraque* ſpecie, in Moguntia et Weſalia, et quod iſtum viciſſet ex euangelio. —

an

an ſit fautor, vel *Epiſcopus Bohemorum?* negauit. Credit, quod in ſymbolo *Athanaſii* ille verſus, *Nam ſicut anima rationalis* &c. ſit falſus. An credat, quod differt presbyter et epiſcopus tantum nominaliter; credit, *quod nullum ſit peccatum originale in paruulis* iam conceptis in vtero — quod corpus Chriſti poſſit eſſe ſub ſpecie Panis, manente ſubſtantia panis. An praedicauerit in *Wisbaden*, quod videns venerabile ſacramentum Euchar. videat diabolum. Dixit fratribus minoribus; religio (iſta) non ſaluat vos, ſed gratia dei. — dubium eſſe, an Chriſtus fuiſſet *funibus cruci alligatus*, an clauis. De *indulgentiis* credit, ſicut ſcripſit. Non credit, quod Chriſtus reliquerit ſibi *Vicarium* in terris; *ecce ego vobiscum* ſum. P. 296, Papa et praelati non poſſunt diſtribuere theſaurum meritorum; indulgentiae ſunt *piae fraudes*, (non credit hoc contineri in ſuo tractatu.) Credit, quod conſecratio, benedictio altarium, cereorum, palmarum, aquae benedictae et aliarum rerum inanimatarum, *nihil virtutis ſpiritualis et efficaciae* habeant ad effugandum daemones et pro remiſſione venalium peccatorum. Eccleſiam Chriſti nemo ſcit niſi Chriſtus et deus, non credit credendum eſſe Auguſtino &c. nec conciliis generalibus, ſed *ſolum ſacrae ſcripturae.* Dixit: ſicut vos agitis mecum, ſi Chriſtus adeſſet, poſſet a vobis haereticus condemnari. — addit ſcriptor huius narrationis p. 298, qui examini interfuit: ſi non omnes, vno ſolo demto, fuiſſent *de via Realium*, et niſi impetus quidam irrepſiſſet in religioſos, triumphandi *de ſeculari*, qui praeſertim *illorum Thomam* peculiariter non coluerat: poterat cum eo mitius, humanius et clementius, actum fuiſſe. Deum teſtor, hunc proceſſum. vsque ad librorum exuſtionem, vehementiſſime displicuiſſe magiſtro *Engelino* de Brunswico, et Magiſtro *Ioh. Keiſersbergio* — ſi *vniuerſalia* quispiam *realia* negauerit, exiſtimatur in Spiritum S. peccaſſe — diabolus trahit ad gelidas huiusmodi ſpeculationes, quibus nec ad deum deuoti reddimur, nec ad proximi dilectionem inflammamur.

Anno 1479 *Petri* de *Osma*, seu Oxomensis, Theol. D. et Prof. in salmantina acad. errores, *Compluti*, a magistris *Salmantic.* et tum a toletano aep. et a Sixto 4. damnati. Peccata mortalia, quantum ad culpam et poenam alterius seculi, delentur per solam contritionem, sine ordine ad claves. Confessio de *peccatis in specie* est ex statuto ecclesiae, non de iure diuino. Prauas cogitationes confiteri non oportet; delentur displicentia. Confessio debet esse de peccatis secretis, non de manifestis. Ecclesia vrbis Romae errare potest. *Sacram. poenitentiae*, quantum ad collationem gratiae, sacramentum naturae est: non alicuius institutionis V. vel N. T. *Librum confessionis*, (qui publice combustus fuit,) anathematizauit auctor. Fautores *Nominalium* impetrant parisiis a rege, 1481, vt publica licentia daretur legendi, libros nominalium antea prohibitos, (in bibliothecis catenarum ferratis clausos.) A. 1482 *parisiensis* censura XIIII propositionum *Tornaci* praedicatarum, per Fr. Ioannem *Angeli*, ordin. minor. de sacramento poenitentiae et potestate Curionum; pleraque sunt contra Curatos et eorum iura; faciens celebrare missam per sacerdotem tenentem secum mulierem — peccat mortaliter. Fratres non tenentur ad solutionem *quartae* (in Clementina, *Dudum*) Papa posset *totum ius canonicum destruere* et *nouum construere*. Aliqui sancti sunt furiosi. Animae *in purgatorio*, sunt de iurisdictione papae; si vellet, posset *totum purgatorium euacuare*. Qui contradicit voluntati papae, *paganizat*. Instrumentum qualificationis cuiusdam propositionis de indulgentiis, ecclesiae Xantonensis, a. 1482. — — textus Bullae *Sixti* 1476 lectus, in papyri parua cedula: omnis anima existens in purgatorio — *immediate euolat ad coelum*, siue immediate a poena totaliter liberatur: *si quis viuorum pro ea sex albos* dederit per modum suffraganei, in reparationem ecclesiae Xantonensis (meminerimus, cum *Tezelii* rhetorica simillima describitur.) A. 1484 propositiones assertae per Mag. *Ioh. Laillier* in sua Sorbonica. Petrus non habuit a Christo

po-

poteſtatem ſuper alios apoſtolos, nec primatum. Omnes hierarchiſantes aequalem poteſtatem acceperunt a Chriſto; papa non poteſt remittere totam poenam peccatorum virtute *indulgentiarum*, etiamſi iuſte dentur. Confeſſio non eſt de iure diuino. Si vultis, quod loquar de ſummo pontifice, *ego vaſtabo totum;* ſimplices ſacerdotes ſunt inutiles. *Iohannes* 22 non potuit condemnare de *Poliaco*, nec facere decretalem, *Vas electionis.* Decretales non ſunt niſi *truphae.* Eccleſia romana non eſt caput aliarum. Quidam praedicarunt de ſancto quodam, qui ſit in loco *Luciferi*, (*Franciscus*); tales praedicatores omnia corrumpunt, nec eccleſia proſperabitur, poſtquam inſtituti ſunt; erit reuera Luciſer, ſi res recte perſpiciatur. Prima pars eſt vera (ſic facultas iudicat;) male ſic praedicauerunt. — Si papa accipit ducatorum certam ſummam, *ſanctum* facit, ſeu canonizat; non opus eſt, talem pro ſancto habere; et ſi tu, o plebs, non habes pro ſancto, non male facis. Inde a tempore *Silueſtri*, nemo iure eſt canoniſatus. Si ſacerdos clam eſſet in coniugio, et mihi confiteretur, ego ei nullam poenitentiam iniungerem. Inde a CCCC demum annis prohibitum eſt a papa quodam aut *Papillone*, presbyteris *matrimonium;* neſcio an papa id facere potuerit. Dabo duos albos, ſi quis ex ſcriptura mihi demonſtret, quadrageſimale ieiunium. A Silueſtro eccleſia non eſt amplius Chriſti, ſed Caeſaris et pecuniarum. Non magis obligamur fidem habere *Legendis ſanctorum*, quam chronicis Francorum. Dixi: a Chriſto vsque ad Gregor. VII, ad annum 1073, presbyteri matrimonio vſi ſunt; *Petrus*, *Paulus*, *Philippus*, S. *Fabianus*, papa, *Hilarius*, pictav. *Germanus*, antiſſiodor. et multi alii fuerunt in coniugio. Iuridice iſtos errores abiurauit, 1486. pag. 311. Appellatio facultatis theol. a ſententia Epiſcopi *pariſienſis*, qui abſoluit hunc Iohannem *Laillier*. *Innocentii* 8 de hac cauſſa litterae, ad *Coſſartum*, qui Vices gerit inquiſitoris; ad facultatem pariſienſem, vt in carceres coniiciatur Iohannes. Pag. 318 qualificatio errorum fratris *Iohannis Mercato-*

catoris, ordin. minor. obseruantium, quos publice praedicauit in ciuitate *Bisuntinensi* Propositio 1. Sedes Luciferi erat in decimo ordine super choros angelorum; reservata beato *Francisco* &c. qui credere nolit, vadat ad locum et videat. Est reuocanda. 2. Franciscus assimilabitur Christo in quadraginta modis seu *manieribus;* est secundus Christus, secundus *filius dei.* Est reuocanda. 3. Francisci conceptio, praenuntiata; natus est inter bouem et asinum. 4. *Stigmata* accepit succesiue, 2 horis semper interpositis. Videtur ab humano ingenio inuenta; de falsitate suspecta est. Franciscus tantos dolores sustinuit, quasi Christus in passione; cum *clauis retortis* ab intus et extra stigmata portauit per 2 annos. Christus in propria persona sua manu percutiendo stigmata haec infixit. In susceptione stigmatum *petra scissa est*, sicut in passione Christi, in huius petrae scissuram Iohannes, qui hoc praedicat, brachium suum immisit. Obtinuit a deo priuilegium, quod anno quolibet, die solemnitatis suae, descendat ad *purgatorium*, et animas *de habitu suo* extrahit, quemadmodum Christus extraxit animas patrum de inferno. Conclusio facultatis theol. super qualificatione propositionum, per episcopum *meldensem* facultati traditarum. Cognoscere *commatrem*, grauius est, quam propriam matrem et sororem. Sacerdos *fornicarius* non debet dicere *dominus* vobiscum; officium vel *sacramentum* per talem sacerdotem *datum*, non valet plus, quam latratus canum. Vnus aduocatus salvatus est, sanctus *Iuo*. Infernus est totus repletus aduocatis, et ideo nullus timeat ire. Apothecarii, armigeri, medici et huiusmodi ibunt in paradisum. si omnes diaboli vel cauda muli sui deferant eos. Tres quaestiones theologicae, determinatae in *Quodlibeto* Gymnasii *Erfordiensis*, 1486. Contra calculantes diem nouissimum; contra dicentes, quod Antichristus non sit personaliter venturus, et quod *Muhametes* is fuerit, contra librum de *cognitione vitae beatae*, Augustino adscriptum: in quo asseritur, regnum caelorum nihil aliud esse, quam visionem dei; et damnationem, nihil

nihil aliud, praeter priuationem beatificae viſionis. Ioh. *Pici*, *Mirandulae* comitis concluſiones, a romanis cenſoribus, et *Innocentio* 8, reprehenſae, a. 1487. Chriſtus non veraciter, et quantum ad realem praeſentiam, *deſcendit ad inferos*, ſed ſolum quoad effectum. Peccato mortali finiti temporis, non debetur *poena infinita*. Nec crux Chriſti nec vlla imago adoranda eſt *latria*. Non aſſentior ſententiae communi: poſſe deum quamlibet naturam ſuppoſitare; concedo de rationabili. Nulla eſt ſcientia, quae nos magis certificet *de diuinitate Chriſti*, quam Magia et Cabbala. Si tenetur communis via, de poſſibilitate ſuppoſitationis reſpectu cuiuscunque creaturae: dico, quod *ſine conuerſione* vel paneitatis annihilatione, fieri poteſt, vt adſit *corpus* Chriſti ſecundum veritatem ſacramenti. Non eſt in libera poteſtate hominis, credere articulum fidei eſſe verum quando ſibi placet; et credere non eſſe verum, quando placet. Nam nullus praeciſe ſic opinatur, quia vult ſic opinari. *Miracula Chriſti* non ratione rei factae, ſed ratione *modi faciendi*, diuinitatis ſunt certiſſimum argumentum. Anima nihil actu et diſtincte intelligit, niſi ſe ipſam. A. 1488 pariſ. acad. declaratio, *de feſto Regum:* fiat laetitia chorearum tantum in vigilia et poſt diem feſti poſt veſperas; — permittitur *vnus mimus*, ad *ſummum duo* in praedicto feſto regum. A. 1491, quidam magiſter Pariſiis presbyterum celebrantem deiecit in terram, hoſtiam et calicem iam conſecratum conculcauit, negauit ibi corpus Chriſti — combuſtus interiit. A. 1492. *Oratio contra peſtem* adhiberi ſolita, a facultate theologica *pariſ.* reiecta fuit. A. 1493 Facultas theol. ſcriptis *Simonis Pharees*, Aſtrologi, notam inurit. Fuit inter libros, qui dicebatur translatus de *perſica* lingua, Albumazar. tractatus plures numero XL. Eodem anno facultas qualificauit 2 propoſitiones, quas veras affirmabat Frater *Henr. Banqueville*, ordin. minor. *Homo factus eſt deus*, de proprietate ſermonis, eſt falſa. *Chriſtus incipit eſſe*; de rigore ſermonis, eſt falſa. A. 1494 *Trithemii* altercatio, cum *Wigando Caupone*, ordin.

praedic. de immaculata conceptione *Mariae*; e chronico *Sponheimenſi*. A. 1495 qualificauit facultas iſtas propoſitiones: *eſſentia diuina* eſt quantitas continua (a *Spinoza* forte non multum abit;) et Chriſtus eſt quantitas continua. A. 1496 ſtatutum facultatis pariſ. ſuper materia conceptionis immaculatae; — cum *proximo ſeculo* quaeſtio haec ſolito frequentius agitari *coepiſſet*, ſpiritu ſancto eius *rei veritatem aliquando propalare* volente — — vniuerſi tertio congregati, *praeſeruatam* dei matrem ab originali peccato, affirmamus — rationes ſunt, Geneſ. 3, 14. 15. Veriſſima eſt vtraque ſententia, ſiue *ipſa*, ſiue *ipſe* legatur. Exodi 3, 2. filius dei ex vtero virginis *tamquam* de *medio rubi* exiit. Pſalm. 45, 5 vterus virginis tabernaculum filii dei fuit per nouem menſes. Pſ. 44, aſtitit regina. Cantic. 1, 14. et cap. 2. ego flos campi et lilium. 4, 7. Eccleſ. 3, 12. in contumelia patris (aut matris) Sapient. 1, 4. Ieſai. 7, 14. Ierem. 1, 5. non ad ſolum Ieremiam, ſed etiam Iohannem, et maxime ad Mariam ſpectant. Matth. I, 20. Luc. I, 30. Apoc. XII, 1. ex omnibus his effatis inuicem collatis, patet, Mariam a labe originali immunem exſtitiſſe. A. 1497 reſponſio facta Regi per facultatem theol. ſuper quaeſtionibus propoſitis. An papa obligatus ſit, decimo quoque anno concilium generale conuocare, et maxime hoc tempore, conſideré le desordre qui eſt en l'Egliſe tout notoire, *tam in capite*, quam in membris. Reſponſum eſt: tenetur papa. Si papa hoc non facit, licet rogatus et monitus, an etiam principes tam eccleſiaſtici quam ſeculares, et partes eccleſiae notabiles, *poſſunt ſe congregare?* Reſponſum eſt, poſſunt. Poterunt, ſi maxime papa et alii non veniant, *concilium* generale celebrare et neceſſitati eccleſiae prouidere. Hoc monumentum inter Gallos iam ter excuſum fuerat. A. 1497 Ioh. *Veri* ordinis praedic. retractat propoſitiones contra immacul. conceptionem. Praedicauerat, Maria fuit *purgata* a peccato originali. 2. Quomodo Maria potuerit dicere, *dimitte nobis debita noſtra?* 3. Aſſerentes, Mariam conceptam eſſe in originali peccato, non

peccant

peccant mortaliter, nec ſunt haeretici. A. 1497, qualificationes Fr. Ioh. *Alutarii*. ordin. praedic. de Maria. Qualificatio propoſitionum Fr. Ioh. *Morvelle*, praedic. de Maria. A. 1498 qualific. propoſitionum Fr. Ioh. *Vitrarii*, ordin. minor. Melius eſſet, puerum occidi, quam tradi in ordinem non reformatum; eſt ſuperbiae phariſaicae — Qui miſſam audit ſacerdotis concubinarii, peccat mortaliter. Debes vi aperta e domo tui Curati abſtrahere feminam. Cantus muſicus dominae noſtrae cantari ſolitus, n'eſt que de paillardiſe. Rex non dedit les malles-toutes de vin à Tornay, pour nourrir les paillardes des Chanoines et des gens d'Egliſe. Fas non eſt eccleſiis veniae cauſſa dare pecuniam. Les pardons viennent de l'Enfer. Si leuatur ſacramentum, reſpice in terram, non ad ſacramentum. Sancti non ſunt rogandi. A. 1499 Errores *Hermanni Ruiswich*, apud Batauos; e carcere elapſus eſt. Delirationes a nouis Manichaeis aſſumtas diuulgauit. *Angelos* non a deo creatos. Animae et corporis eſſe eumdem interitum; non eſſe infernum. Materiam elementorum eſſe ab aeternitate ſicut deum. Chriſtum fuiſſe ſtultum, phantaſticum; qui vniuerſum mundum condemnauerit, neminem ſaluum fecit. Quaecunque Chriſtus geſſit, contra rectam rationem pugnare, humano generi nocere; dei filium non eſſe. Moſen a deo legem non accepiſſe adſpectabili modo. Chriſtianam fidem pro fabula ducebat, ſimiliter biblia. Deus, qui mundum creare potuit ſine incarnatione, potuit etiam ſaluare ſine ea. Tandem *Hagae* captus fuit 1512 et per ciuilem magiſtratum combuſtus; *Bernh.* a *Luzenburgo*, *Prateolus*, *Spondanus*. (Videtur potius craſſam ſuperſtitionem, et inſanam religionis imaginem reieciſſe, quae ſolebat eo tempore inuenuſtiſſime pingi.)

CAP. IV.

De scriptoribus huius seculi.

Theologici Latini; 1) melioris ingenii.

Immortalis viri, et fortissimi christianae melioris doctrinae defensoris, *Ioh. Hussi* nomen primo loco scribimus, quod sua magnitudine omnium aliorum scriptorum nomini vel solum obstat. Libri et libelli eius quidam post seculi 16 initium *Lutheri* aliorumque cura, separatim hic ibi editi fuerunt; omnes autem in vnum corpus collecti *Norimbergae* 1558 fol. ibidem recusi 1715. Vel Epistolae illae, quibus *Lutheri* praefatio addita est, 1537, 8. ex officina *Ioh. Lufft*, et singularem ingenuae mentis indolem prae se ferunt, et *Lutheri* heroicum animum ostendunt, qui ausus est istas epistolas in lucem edere, elogio addito: *piissimae et eruditissimae, quae solae satis declarant, papistarum pietates esse Satanae furias.* His scriptionibus et rebus seriis, certaminibusque ingenuis salubre ac frugiferum esset, adolescentes religioni commendandae destinatos, sensim informari et sensu ipsos infici religionis; ne religionis arcem in formulis frigidis ignauiter decernant positam esse, atque hominum inuenustorum et a Christi omni consilio alienorum, turpitudinem et prauitatem noua sedulitate imitari discant. *Caue* seculo hoc 15, quod *Synodale* dixit, *Husio* etiam tribuit commentarium in *Apocalypsin*, sine auctoris nomine editum Wittebergae 1528. 8. (Commentarius in apocalypsin ante centum annos aeditus.) Praefatus est huic commentario *Lutherus;* sed nihil quicquam de *Hussio* adiecit; *testor*, scribit, hunc codicem esse per optimos viros, ab extremis finibus *Germaniae*, nempe e *Sarmaticis Livonicisque regionibus* ad me missum; litteris et syllabis seculum suum proprie testantibus; vt ipse negare non potuerim, esse eum annis circiter LXX ante hos annos *descriptum.* (Nempe *descriptum;* non vero, scriptum.)

Au-

Auctor vixit eo tempore, quo trinus fuit papatus. (Nostro exemplari adscriptum est, 1384. De auctore vide *Ioh. Kymenium* in libello, des Pabsts Hercules wider die Deutschen. Fol. 1. 2.) Insunt autem istae scriptiones in *Hussi* corpore. Explicatio Symboli, decalogi et orat. *dominicae*. Tractatus de peccato mortali, matrimonio; cognitione dei; septem peccatis mortalibus; de sacram, corporis et sanguinis (sub *vtraque*) domini; *Constantiae* scripti. De sanguine Christi sub specie vini *laicis* sumendo; Sufficientia legis Christi ad regendam ecclesiam. Appellatio ab aep. pragensi ad papam. De ablatione bonorum temporalium a Clericis; de decimis; — — de tribus dubiis, factis in *Olmütz*. De indulgentiis, siue de cruciata Iohannis 23, contra Bullam eiusdem aduersus *Ladislaum* regem. De sex erroribus, parietibus *Bethlehemiticis* inscriptum. De ecclesia. Replicae et Responsiones aduersus quosdam aduersarios. De Antichristo et membrorum eius anatomia; de regno, populo, et moribus Antichristi. De sacerdotum et monachorum abhorrenda abominatione in ecclesia; de abolendis sectis et *traditionibus* humanis. De vnitate ecclesiae et schismate; de euangelica perfectione; fragmenta quaedam. (edidit plures libellos *Ottho Brunsfeldius*, basil. 1524. 8.) Historia Christi ex 4 Euangeliis in vnum collecta et secundum tres annos praedicationis digesta. Sermones; explicatio in 7 priora capita prioris ep. ad Corinthios. In 7 canonicas epistolas; enarratio Psalmi 109–118. Quod corpus Christi in sacramento altaris non creetur, nec incipiat esse, contra crassos papistarum errores; contra imaginum adorationem.

Paulus, anglicus, decretorum doctor, *Speculum aureum* scripsit a. 1404; (vid. pag. 33. antea; exstat etiam in *Goldasti* Monarch. tomo 2. et in *Brownii* appendice ad Fasciculum rerum expetendarum et fugiendarum;) *Richardus Vllerston*, theol. prof. oxonii, iussu *Roberti Halam*, episc. Sarisber. et cardin. scripsit de *Reformatione ecclesiae*, seu petitiones quoad reformationem ecclesiae militan-

litantis; excerpſit *Caue* quaedam e *MSto* libro. Articuli ſunt 16. Primus, de ordinata electione pontificis ſummi. 2. De ſimoniae declinatione; (— nulla gens ſub caelo eſt adeo notata de execranda auaritia, quam *curia romana; prouerbium* eſt, curia romana non quaerit ouem ſine lana.) Ioh. *Gerſonis* opera optime et copioſiſſime procurata fuerunt Antwerpiae, (*Amſtelodami*) 1706, ſtudio *du Pin*, et, quod quidam narrant, *Ianſeniſtarum* Gallorum; horum certe quidam vltra biennium *Amſtelodami* haeſiſſe dicuntur. Vtiliſſima editio, *Gerſoniana* habet libris IV, qui frugiferarum rerum multam copiam continent, et hiſtoriam eius temporis, *Gerſonii*, *Petri* de Alliaco, Nicol. *Clamengii* &c. eximie illuſtrant. Scripta ita diuiduntur; tomo 1. dogmatica de religione et fide. *Pars prima*: ſcripta, quae ad *theologiae* tractandae methodum, regulas et fundamenta pertinent; (de examinatione doctrinarum, ſpirituum; viſionum;) ad ſtudentes collegii *Nauarrae*, vt, poſthabitis recentioribus, antiquiores legant.) *Pars ſecunda*, aduerſus profanas *ſuperſtitiones*; pars *tertia*, continens tractatus ad fidei dogmata pertinentes; (contra communionem laicorum *ſub vtraque* ſpecie; de propoſitione, an angeli, Maria et ſancti ſanctaeque omnes aſſocient corpus Chriſti in ſacramento altaris.) Appendix ad primum tomum, continens tractatus dogmaticos *Petri* de *Alliaco*, et *Ioh. Breuiscoxae* tract. de eccleſia et concilio generali; et *Ioannis* de *Varennis* Reſponſiones ad capitula accuſationum, quibus impetebatur, ſcriptae in carcere 1396. *Tomo ſecundo*; quae ad eccleſiaſticam πολιτειαν et diſciplinam pertinent; *pars prima:* tractatus ad ſchisma pertinentes, *vsque ad* concil. *conſtantienſe*. *Pars ſecunda*, tractatus ad concilium Conſtant. pertinentes; *pars tertia*, tractatus, qui pertinent ad forum poenitentiae; (de excommunicatione; contra bullam a Mendicantibus extortam ab Alexandro V. de modo inquirendi peccata in confeſſione, qui dicitur, modus mollitiei; de *veniali* peccato; de *indulgentiis*; contra eos, qui dicunt, quod quis eo die,

die, quo missam audierit, non erit caecus aut subito non morietur; modus quidam, quo certis ex causis Romam ire non valentes *in anno Iubilaeo, spiritualiter* eam peregrinationem conficere possunt. *Pars quarta;* tractatus, qui spectat ad officia et munia praelatorum, clericorum aliorumque fidelium. (dialogus super coelibatu, sine castitate ecclesiasticorum; de temperantia in cibis, potu et vestitu praelatorum; de Simonia; contra *Fratricellum* quemdam, praeferentem orationes priuatorum fidelium; Epist. ad Vinc. *Ferrerium*, contra se *flagellantes;* tractatus contra sectam *flagell.*) *Pars quinta*, quae ad disciplinam monasticam pertinent. (de *consiliis euangelicis* &c.) Appendix ad tomum 2; continens, *Henrici* de *Hassia;* Vicecancell. *paris.* consilium pacis, 1381 scriptum; Ioh. de *Varennis* doctor. *paris.* epistolas quasdam ad *Benedictum* 13, de tollendo schismate, *Petri* de *Alliaco* de difficultate reformationis ecclesiae in concilio generali; epistolae eiusdem ad *Ioh.* 23. Eiusdem de necessitate reformationis in capite et membris, aliasque eius scriptiones similes. *Iacobi Almaini*, doct. *paris.* de dominio naturali, ciuili, ecclesiastico; eiusdem de auctoritate ecclesiae et concil. gener. aduersus *Caietanum;* eiusdem expositio circa decisiones M. Guil. *Occam* super potestate pontificis. *Ioh. Maior*, doct. *paris.* disputatio de statu et potestate ecclesiae; de auctoritate concilii supra pontificem, de potestate pontificis in temporalibus. *Tomus* III. pars *prima:* quae ad morum doctrinam pertinent, (*definitiones* ad theol. moralem pertinentes, — de nobilitate; *Caroli* 7 Franc. regis epistola ad papam, de nobilitate *canonicorum*, praesertim eccles. *Lugdun.* — contra nimis strictam et scrupulosam *conscientiam*; — expostulatio ad potestates publicas, aduersus *corruptionem iuuentutis* per lasciuas imagines. Contra *Romantium de Rosa;* contra *ludum stultorum.* Pars *secunda;* opera mystica, ad pietatem. De *mystica theologia* — quomodo puer Iesus in mente devota, concipitur, nascitur, balneatur, nutritur, gallice;

que-

— querela defunctorum in igne *purgatorio* ad amicos in terra; — epistola ad Carthusianos, vt *suffragia*, quae mortuo impendere debebant, sibi viuo concedant; *fundatio anniuersarii;* Appendix, tractatuum spiritualium, gallicorum; qui nunc primum eduntur. *Pars tertia;* sermones de tempore et de sanctis. Prologus *Iacobi Wimphelingii*, 1502 compositus; sermones plerique latini; alii *gallici*. *Tomus* IV. pars *prima*, *exegeticorum* in 7 Psalmos *poenitentiales;* in *cantica* canticorum, *Monotessaron;* in Euangelium *Marci;* super *Magnificat;* in hymnum, *gloria in excelsis*. Pars *secunda*; orationes sollemnes, Epistolae, carmina et alia. — de festo S. *Ioseph* celebrando; (*donatus* moralizatus, non est *Gersonii;* nec dialogus inter Francum et Anglum, de bello Galliae iniuste illato; item, 2 opuscula de puella *aurelianensi*.) Tomus V. Acta in caussa *Iohannis Parui*. Pars *prima;* narratio caedis ducis aurel. ex *Monstreleto*. Liber *Parui* seu iustificatio ducis *Burgundiae* super ea caede. Pars *secunda;* acta concilii *parisiensis* 1413. et quae caedem in Gallia insecuta sunt. Pars *tertia*; acta in concil. *constantiensi*, circa damnationem Ioh. *Parui*. *Petri* Alliacensis, opuscula recensere non opus est, cum haec *Gersonii* editio plura complectatur, lib. 2 *Gersonianorum;* videatur etiam Ioh. *Launoius* in historia Gymnasii regii *Nauarrae* pag. 467 seqq. qui pag. 476 seq. recenset scripta 1490 excusa, inter ea sunt, de concordantia *astronomicae* veritatis cum theologia. Pag. 479, manuscripta in collegii *nauarrici* bibliotheca. *Theodoricus* de *Niem*, seu *Niemus*, Germanus, litterarum apostolicarum scriptor et abbreuiator, a fine superioris seculi; scripsit historiam a morte *Gregorii* XI ad *Alexandri* V electionem: de *schismate* inter *Vrbanum* VI et *Clementem* VII, libris tribus; *Nemus Vnionis*, quartum, addit, sex tractatibus diuisum; saepius editi fuerunt isti libri, ob auctoris praeclarum studium, quod tamen ipsum etiam aliis displicuit, qui veritati minus quam hominibus operam dare solent.

Scripsit

Scripsit etiam *vitam Iohannis* XXIII, qui fide dignum scriptorem nactus est. Eius etiam sunt, iura et priuilegia imperii circa inuestituras episcoporum et abbatiarum, restituta imperatoribus, excerpta de potestate imperiali et papali, exhortatio ad *Rupertum* regem, vt excitatus a somno diuturno schisma pontificum extirpet, et imperii iura reformet. *Ioh. Breuicoxa*, (vid. *Launoi* in histor. colleg. *Nauarrae* p. 462 seqq.) qui fortissime contra paparum schisma egit; *interdictum* Benedict omnino impium et iniquum esse Gallis persuasit; plurima scripsit, sed nondum edita; catalogum dedit *Launoius* p. 465 seq. Recommendatio scripturae; collationes quatuor super commendatione scripturae; Lectiones in *Iohannem* &c. quaedam scriptiones inter Iohannis *Gersonis* opuscula habentur editae. *Theodoricus Vrie*, *Germanus*, ordin Erem. Augustini, lector Theologiae, auctor historiae concil. *constantiensis*, quam edidit *Hardtius* tomo 1. parte 1. opusculum, quod auctoris bonam mentem, atque ingenium non incultum satis probat, romanae ecclesiae profecto nihil adulatur, licet sacris superstitionibus ipse sit adhuc deditus. Distinctione XIII. pag. 127 *Hardtii*, narrat de Haereticis in *Sangerhusen* — noueris, nuperrime et in Anglia de secta *Wiclefi multos* esse *interfectos*, et in *Sangerhusen* XCI et in aliis oppidis *quam plures*, *concrematos* — confessi sunt coram honorabili viro fratre *Henr. Schoneveld*, ordin. praedic. haereticae prauitatis inquisitore, praesentibus et adsessoribus inclitis principibus *Thuringiae* et *Misniae*, eidem in adiutorium deputatis. Articuli eorum L damnati. 1. Quod secta *crucifratrum*, qui ad LX annos vel circa, se ipsos *flagellando* cum cantu per mundum transierunt, originem habuerit ex quibusdam litteris, quas Angeli *Romae* super altare b. *Petri* portauerint. 2. Quod ante LX annos, cum isti crucifratres circumierunt, deus *papam* rom. et episcopos omnes, caeterosque praelatos et sacerdotes, *licentiarit*, et omni auctoritate ligandi et soluendi aut consecrandi *eos simpliciter* priuarit. 3. Quod sicut in expulsione negotiatorum

torum e templo Christus repudiauit sacerdotium iudaicum: ita in transitu crucifratrum, *propter presbyterorum nequitiam*, deus licentiarit et *abiecerit sacerdotium* euangelicum. 4. Post transitum crucifratrum, ecclesiae et coemiteria, aqua, sal, cineres, oleum, chrisma, ac cetera *huiusmodi sacramentalia*, debeant pro non consecratis haberi; quod per nullum sacerdotem potuerint consecrari. 5. Ecclesiae materiales iam non sunt nisi congeries lapidum; publicae domus peccatorum, et speluncae latronum. 6. Sacerdotes, qui baptismum aquae et *aliorum sex* sacramentorum legem praedicant, se ipsos et alios occidunt spiritualiter. 7. Aquae bened. *adsperforium* est claua mortificationis; et asperſae guttae sunt scintillae infernales. 8. Tota *officii decantatio* in ecclesiis, non debet sanctius reputari, quam canum vlulatio. 9. Lex baptismi proprii sanguinis instituta in transitu crucifratrum. 10. Cum Christus in Cana circa finem conuiuii aquam in vinum rubrum mutauit, designauit: quod circa finem mundi baptismus aquae mutari debeat in baptismum sanguinis. — 12. Iam nemo potest saluari, aut verus christianus existere, nisi in proprio sanguine, cum flagello de suo corpore excusso, baptizaretur. 13. Sacramentum *confirmationis* pro nullo, et pro *trufa* debet reputari; *non chrismati* Iudaei tam bene barbas habent ac animas, sicut alii. 14. *Ordinum* sacramentum vna cum sacerdotibus a deo simpliciter est abiectum. 15. Quod deum et *corpus Christi* non contineat sub se realiter sacramentum altaris. 16. Si veraciter esset Christus in hoc sacramento, diu esset deuoratus, etiamsi esset mons ingens. 17. Cum Christus dixit, *noli me tangere*; significat, quia humanae manus tam sunt inflictiuae, a modo nolo in ipsas venire; igitur non est in sacramento altaris. 18. Sacerdotum auaritia totum mundum sic sibi substrauit, vt tam care vendant hominibus panem tantillum, cuiusmodi est hostia; pro qua ad minus volunt habere *denarium*. 19. Traditore Iuda peiores sunt sacerdotes hodie, si veraciter est Christus in sacram. altaris; quia Iudas Christum dedit

pro

pro XXX argenteis; moderni vero pro vno denario vendunt. 20. Sacram. altaris est *Kukuk* sacerdotum. 21. Ad remissionem peccatorum mortalium, non oportet, vt quis sacerdoti faciat confessionem. 22. Qui sacerdoti confitetur, non plus munditiae acquirit, quam qui sui lutosae se allidit. 23. Quod omnia peccata, quantumuis enormia, tollat sola flagellatio corporis spontanea. 24. *Indulgentiae* omnes penitus sunt nullae, a quocunque datae. 25. Benedictiones sacerdotum et ceterae solennitates ecclesiae, sacramentum matrimonii non extollunt, aut dignificant; sed magis deturpant. 26. Magis confert infirmantium saluti, in corpore recenter flagellato mori, quam *integra olei libra* per sacerdotem in *extrema vnctione* perfundi. 27. Vestis nuptialis (in Euangelio) est cutis recenter vulnerata cum flagello. — 29. Post inchoationem sectae flagellantium, nullus more *romanae ecclesiae* 7 sacramenta recipere potuit, quin mortaliter peccaret in eorum receptione. 30. Loco 7 sacramentorum, in vltima lege flagellatorum, omni populo instituta est proprii corporis flagellatio, in memoriam passionis Christi. — 32. sacerdos et Leuita, qui Christum inter Hierusalem et Hierichò vulneratum a Iudaeis, non compatientes transierunt, sunt *moderni* presbyteri, et credentes ipsis populi; passionibus Christi ingrati. 33. *Samaritanus* ille — est secta flagellatorum; duo denaria, sunt *oratio dominica*, et X praeceptorum obseruantia. 24. *Antichristus* iam diu regnauit; *Elias* et *Enoch* iam in mundo apparuerunt, et diu sunt mortui. 35. *Antichristus* ille sunt praelati, presbyteri. 36. *Elias* iam mortuus fuit quidam *Begardus*, qui ante 48 annos propter Haeresin in *Erfordia* combustus est. 37. *Enoch*, qui iam de seculo diu migrauit; fuit *Conradus Smet*, qui primus istas haereses in Thuringia publicauit. 38. Quod deus in principio omnium hominum animas simul creauit, et cum primo homine in paradisum collocauit. 39. Quotiescunque foetus humanus in vtero matris animatur, anima de paradiso per angelum adducitur et foetui inspiratur. 40. Angeli infu-

derunt animam *Eliae* et *Enochi* Begardo illi et Conrado. 41. In die nouissimo non vnum, per Christum, sed 7 vel 8 per diuersos iudices constituenda sunt iudicia. 42. Vltimum iudicium non Christus; sed *Conradus Smet* instituet. 43. Quamuis omnia iuramenta, qualitercunque fiant, sint peccata mortalia: eligibilius tamen sit, coram inquisitoribus iurare et multa committere periuria, quam se aut sectam prodere. 44. Non est post hanc vitam *animarum purgatorium;* quare defunctos suffragia viuorum non iuuant. Non opus iam est, vt nos verbosius designemus theologicos eos locos, quos satis ingenue aduersus publicam prauitatem vindicarunt illi, qui per *Inquisitorem* et principum adeo adscitam potestatem vel rogo impositi fuerunt; non est certe dubium, superfuisse vel *Lutheri* tempore, qui satis bene de religionis publica malignitate iudicare nuper didicerant.

Antonius Rampelogi, ordin. erem. Augustini, *Bibliae figuras* conscripsit; liber saepius editus, in indice etiam expurgatorio notatus. *Nicol.* de *Clemangiis*, aut *Clamengiis*, a pago Catalaunensi dictus, Benedicto 13 ab anno 1407 in curia *Auenionensi* a secretis, opusculis multis isto lugubri tempore bene meritus, quae *Io. Martinus Lydius* Lugduni bat. edidit 1613, quaedam et seorsim excusa; eminent ex iis, liber *de corrupto ecclesiae statu;* deploratio calamitatis ecclesiasticae, ex schismate isto, versibus scripta; de fructu eremi; de nouis festiuitatibus non instituendis; de antichristo; de studio theologiae, edidit *Dacheri* in Spicilegio; *Epistolae* multae, et minoris momenti alia; eius autem non est, de *annatis* non solvendis; de MSCtis videatur *Launoius* in historia reg. gymnas. *nauarr.* pag. 578. Guil. *Saignet*, miles, Clericorum turpitudinem publicam auersatus, scripsit, (extat in bibliotheca *basileensi*, MSta.) Lamentationem *ob coelibatum* sacerdotum, seu dialogum nicenae constitutionis et naturae; respondit *Ioh. Gerson. Antonii* de *Rosellis*, celeberrimi ICti patauini, de *potestate imperatoris et papae*, Romanis eximie displicuit; exstat in *Goldasti* Monarchia

tomo 1.

tomo 1. p. 252-556. *Laurentius Valla*, canonic. *lateran.* praeter scriptiones plures, quibus humaniores litteras ornauit, adversus *donationem Constantini* liberali stilo scripsit; in N.T. notas nondum inutiles; Apologiam pro se et contra calumniatores, (quos inter *Poggius* non obscurus fuit,) ad Eugenium IV. de libero arbitrio, haud paulo, quam alii, melius; *Alfonsi* regis tamen auctoritate vix Praedicatorum irae subductus. *Henricus Tocken*, canonicus metropolit. magdeb. *Guntheri* aep. legatus ad concil. *basil.* in *alphabetica silua locorum* communium (lexicon theologicum) non semel testimonium veritati perhibuit; (e. c. *haeretici operum* persequuntur et excommunicant haereticos *verborum* &c.) Supersunt varia MSta nomine Henrici de Magdeburg. quae inter est, de *adoratione*, aduersus hostiam *Vilsnacensem*. *Ioh. Buschii* nomen iam antea laudauimus; prudentia et probitas hominis certe satis elucet ex *Reformatione* monasteriorum Saxoniae. Nec *Felix Malleolus*, s. *Hemmerlin*, negligendus, qui non raro aduersus temporis sui malignitatem sententiam dixit fortiter; catalogum scriptionum, ipsius manuscriptum, exhibet ex Hottingero *Oudinus* pag. 2556. (vltra 500 libri vel volumina notabiliter registrata, et in studorio meo regulariter tabulata mihi sunt; quanta bibliotheca nullus clericus, dioeces. constantiensis gaudet.) Matthias *Eberler*, (Oudinus *Eberter* et *Eberler* quasi duo virorum nomina falso distinxit, p. 2615. et 2666). suis sumtibus in germanica lingua biblia transscribi curauit, 1464, (*Lambecius* in biblioth. Vindobon. libro 2. fol. 756.) *Psalteria* germanice non rara exstant hoc seculo. Excusa biblia germanica inde ab anno 1467, nisi iam antea. *Iacobi* be *Polonia*, collectaneum de 7 statibus ecclesiae in Apocalypsi mystice descriptis, de auctoritate ecclesiae et eius reformatione, (Goldasti monarch. tomo 2.) in numerum vtilium huius seculi librorum referendum, cum eius scriptionibus quibusdam aliis. *Italice* biblia integra transtulit Nicol. de *Malermi* ordin. camaldul. hoc seculo iam aliquoties excusa; (R. *Simon.*); *polonice* etiam fuerunt translata, sub vidua Ia-

gellonis *Sophiae*, regnante iam *Casimiro*, filio, 1455. *Gallice* N. T. per Guiartum des *Moulins* translatum, euulgauit recognitum *Iulianus Macho*. *Ioannes Wesselus*, groningensis, *Hermanni* fil. scholasticarum molestiarum strenuus aduersarius, melioris doctrinae tam felix vindex, vt *Lutherus*, (in Epistola praemissa *Wesseli* epistolis) fateatur, illum eodem, quo ipse, spiritu ductum, tam gnauiter erroribus romanis obstitisse, vt ex illo ipse sua desumsisse Lutherus videri posset, si ante res iam contra Papam gestas illius libellos vidisset. Antiquissima editio, sine loco et anno, horum libellorum ad manus est: de sacramento Eucharistiae et audienda missa; capitibus 29. (cap. 8, quod corpus et sanguis Christi, *corporaliter* sumta, occidunt; *spiritualiter* accepta, viuificant; etiam *fide accepta*, spiritualem vitam operantur: — 29. quod verba metaphorica eamdem vim habent ampliatiuam, quam propria; et quod *in omnibus operibus dei* philosophantes, pascamur.) adiectum est, de magnitudine passionis Christi, et de incarnatione verbi. Tractatus de oratione et modo orandi, cum luculentissima orationis dominicae explanatione. Matth. 6. orantes, nolite multum loqui &c. partibus vndecim. *Farrago* Wesseli *Lux mundi* olim dicti, rarae et reconditae doctrinae. — In hoc libello tractatur 1. de benignissima dei prouidentia. 2. De causis mysteriis et effectibus dominicae incarnat. et passionis. 3. De dignitate et potestate ecclesiastica; de vera et recta obedientia; et quantum obligent subditos mandata et statuta praelatorum. 4. De sacramento poenitentiae, et quae sint claues ecclesiae. 5. Quae sit vera communio sanctorum. de *thesauro ecclesiae*; de *fraternitatibus*. 6. De *purgatorio*. decessit ex hac luce M. Wesselus a. 1489. in die S. Francisci, sepultus *Groningae*, in monasterio Spiritualium virginum. Insunt multa notatu digna; p. 6. opinio M. *Wesseli* contra *Aristotelem*, de intellectu agente. fol. 22. n. III. 112 seq. de Christo *exemplari*; quicunque adeo ei adhaeret, vt imitetur, iam lauat vestimenta sua in sanguine agni &c. de ingenuo

amore

amore agni, f. Christi. pag. 27. b. quod fide iustificamur, tamquam argumento, non tamquam *caussa;* — propter *verbum loquentis dei.* — quicunque vel tantum credit in Christum, vt non faciat contra Christum, licet langueat, viuit; propositiones ex Epistolis Pauli, de *fide.* P. 29. subditi non obligantur credere papae, nisi recte credenti; primus papa, *Petrus*, errauit, correctus a Paulo, omnibus in exemplo, vt sciant sapientes, de sale infatuato quid faciant. — credo stultam promissionem (votorum monastic.) displicere deo, sicut impia iuramenta non obligare contra salutem. — Praelatus, nisi quantum sapientiam docet, audiendus non est; — *voluit deus*, *vt* per sapientiam praesidentis *imperitae subditorum simplicitati consulatur*, vt ita proficerent et accederent ad deum. (Arcem prudentiae ecclesiasticae *Wesselus* hic designat, quam plerique, *orthodoxorum* nomine gloriantes, parum norunt.) — Omnis *Praelatus* pusillos scandalizans, est *Antichristus*, — Iesus scandala publice exagitauit, iam paratus, crucem baiulare; cuius qui sequi nolit exemplum, sinat scandala quieta passim pullulare. — deberent *indigni praelati* deiici a dignitate; indigni autem semper, quando solum infructuose. *Sustinentur* autem, maiorum incommodorum timore, *sicut et meretrices* in ciuitatibus. — Saepe verus Papa est Pseudo-apostolus; verus praelatus, falsus pastor; oportet ergo populum saepe perferre pseudoapostolos, pseudoepiscopos, alioqui peior fieret scissura. P. 40, b. quantumcunque certent pro claue *potestatis*, verior tamen et magis clauis est *pietatis*, sine qua nihil facit clauis potestatis; et vbicunque fuerit, semper inuenit sibi coniunctam clauem potestatis. — Mandatorum non solum differentias, etiam ante Euangelium, sed et gradus, Iudaei cognouerunt; non est contradictio in lege dei; maius mandatum semper excludit minus. In hoc fundatur omnis praelatorum licentia *dispensandi;* quam non opus est petere. P. 45. *non plus potest papa* in reconciliandis deo animabus, quam possit alienandis, (excommunicatio, indulgentia.) non enim

reconciliatus deo plus ei reconciliatur arbitrio papae, vel *excommunicatione* magis alienatur a deo. Fidelis et prudens in domo dei seruus, nil facit praeter vel extra voluntatem domini sui; et quicquid sic facit, dominus ratum et firmum habet — Nec ad hoc eum ordinis dignitas authenticat, sed *caritas* per spiritum s. diffusa in corde. Iudiciorum ergo ratitudo prodit non ex auctoritate, sed ex conformitate ad rectitudinem primam, soluentem aut ligantem primo. P. 46 duplex est *sacerdotium*, vnum ordinis et sacramentale, alterum naturae rationalis et commune omnibus; *secundum sine primo*, satis est; *primum*, sine secundo, reatum habet; secundum gratiam affert; secundo *Antonius* supra multos episcopos, et coriarius supra Antonium. — in *absolutione* fori poenitentialis considerandum, quod peccator tenetur ligatus vinculo, quo sacerdos eum non ligat; peccatum enim separat a deo; cui si vnitus fuerit, mox a vinculo mortis iterum solutus, liber est, (sine sacerdote) — non tamen hic volo, quod non debeant confiteri, *vbi commode possunt*; quibusdam, qui vocalem confessionem ita sectantur, vt maiora legis, charitatem, cordis pacem interiorem &c. impediant, magis impedimenta, quam sacramenta sunt — aliter, Antonius, Macarius &c. magno spiritualium damno latuissent in solitudinibus, *vacantes ab ecclesiasticis*. P. 53. b. censura D. *Wesseli* de *studiis vniuersitatum*. Sicut ego *Coloniae* et *Parisiis* vixi, et quae vidi, odiosa deo magis sunt, *non studia sacrarum litterarum*, sed studiorum commixtae corruptiones — P. 54. reprehenduntur (*Reales*), qui *tria* ad sacramentum poenitentiae dicunt concurrere. — qui dixit, quodcunque ligaueris &c. idem dixit, non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae pater posuit in sua potestate. Pag. 48. b. contra communem opinionem, de *monarchia romani pontificis*, est, quod impossibile homini est, fines orbis terrae nosse; quomodo igitur iudicabit, quos nosse non poterit? quomodo iudicabit fidem quorum linguam ignorat? *vnitatem* ergo ecclesiae sibi spi-

ritu

ritus S. fouendam retinuit, *non Romano pontifici*, saepe non curanti, *reliquit*. P. 57. in sacram. confessionis non est sacerdos iudex aut absolutor magis, quam mundator in baptismo. — dimittit deus, non confessor s. sacerdos. — irrationabiliter loquuntur, qui adiunctam *satisfactionem* asserunt essentialem partem poenitentiae, p. 58. quales reuertenti (filio perdito) *papales indulgentiae* necessariae? sola conuersio satisfactio est. — male papa *purgatorii* poenas relaxat; — p. 59. — si dicunt aeternam poenam dimissam non *temporalem*: hoc non aliud est, quam non totaliter esse remissam poenam. — P. 60. Longe mitius agebat cum poenitentibus *Iohannis* seueritas, quam *canonum* iuris auctoritas; mitius Christi benignitas, quam Iohannis iusta sed moderata seueritas. P. 62. *Indulgentiarum* materia, est abusus quaestorum, et saepe illorum falsum crimen; nonnumquam impura et corrupta intentio Papae. — quis post remissam impietatem iniunxit *Manasse* tot septennia et Dauidi pro tribus mortalibus, XXI annos? Si papa, arbitrarius arbiter, non iam ipse Christi, sed Christus papae esset vicarius; nam ex voluntate eius penderet iudicium Christi. P. 68. Populares aliter de *indulgentiis*, et aliter romani Pontifices; papa plenariam indulgentiam ab iiuncta poenitentia; populus inoffensum transitum ad beatitudinem (sibi promittit.) — nihil in foro diuino scit papa, nisi per poenitentis confessionem. P. 67. Vera essentiali *vnitate* communicant sancti omnes, quotquot vna fide, vna spe, vna caritate cohaerent, sub quibuscunque praelatis, quantumlibet ambitiose contendentibus — constat, quod valde possibile est, *Graecum* vera pietate affectum omnia credere in Constantinopoli, sub suo patriarcha schismatico, quae *Latinus* Romae credit; vnitas ergo ecclesiae sub vno papa, tantum *accidentalis* est. P. 66. S. *Petrus*, primus papa, per spiritum S. cassauit omnes vias et aditus regni, praeter viam scalae denariae; et hoc non auctoritate s. pontificis, errare potentis, sed auctoritate dei. Videtur igitur expresse *spiritus sanctus prophetice* per Petrum

trum damnaſſe *formam indulgentiarum.* Dicit enim expreſſe: cui non aſſunt haec decem, fuga corruptionis, concupiſcentiae mundanae, ſollicita cura miniſtrata, fides, virtus &c. caecus eſt. *Haec Bulla*, non S. Petri, ſed ſpiritus S. per Petrum publicata, ſola vnica indubitata indulgentialis eſt. P. 69. Ab eſſentiali filiorum dei communione et germana fraternitate nulla eccleſiaſtica poteſtas exſcindere, nec ad eam introducere poteſt; particeps ergo vigiliarum, orationum eſt, omnium religioſorum, quisquis illa illorum bona valde deſiderat; etiam ſi non *Prior* aut *Capitulum litteras dederint* ad hoc. — non eſt veroſimile, etiamſi doctor ſanctus (*Thomas*) et communis religioſorum practica hoc habet, vt ceteros benefactores, operum ſuorum conſtituant participes — — quaſi de ſuo, pro poſſeſſo, alterum inſtituere poſſeſſorem — vnicuique a deo erit laus et menſura, non temporalium praelatorum arbitrio. P. 71. De *miſſarum* fundationibus quid ſentiendum: quaeritur, vtrum recta ſit intentio? Non videtur; quia fructus ſacramenti non ex ſola intentione miniſtrantis aut ſuſcipientis proueniat, niſi adſit diſpoſitio requiſita; fames aut ſitis huius viuifici cibi et *potus*. — poſſent ergo fideles, ſicut ſacerdotes, eadem pro defunctis intentione communicare. — non in alieno opere eſt noſtra ſalus conſtituta, ſed in nobis tantum eſt regnum — error eorum, qui *pro ſe* ſolum, excluſis aliis, volunt celebrari; quaſi detrimentum ſentiret conceſſi luminis, vbi alius de eodem ſole ſuum vſum faceret. Pag. 73. Stultum eſt dicere, corporalem euchariſtiae manducationem habere vim ſatisfactionis (pro eo) *pro quo* manducatur, ad aliquotam diminutionem poenae eius. Stultum eſt dicere, *numerum* conſecrationum hoc facere; quia ſic in vna miſſa 30, vel 300 hoſtias conſecrare deberet. De *virginitate*, propter verbum *Magiſtri* ſententiarum, — — videmus Petrum in coniugio vocatum ad apoſtolatum, Timotheum in virginitate, longe Petro inferiorem in fructu verbi dei — quomodo virginum accipiunt mercedem, etiam non virgines — fol. 76. de purgatorio

torio — omnis papae, et omnis iurisdictionalis potestas, debet esse secundum arbitrium viri sapientis. *Iurisdictionis* potestas est earum rerum, in quibus homo ab homine regendus. Fol. 77. omne peccatum, etiam *veniale*, suo naturaliter supplicio aeternis legibus colligatum, propter innexam imperfectionem — F. 79. 1 Cor. 3 ignis, *purgatorius*, qui interioris hominis sordes, etiam carne soluti, purgat potius, quam torquet. — apostolus ibi fere omnia verba *tropica* ponit, et parabolica. F. 80. non credo *Magdalenam* amantem dominum Iesum, si accepisset ab eo mandatum, de non gustando lignum scientiae boni et mali, sicut Eua et Adam a Deo, quod vlla serpentis astutia seduxisset eam contra mandatum. — Fortior infusa iustitia in Magdalena, quam originalis in Adam. — — purgatorium intellectuale, spirituale potius, (alibi, ignis ille terribilis *rationalis*,) quam suppliciale. F. 84. de felici statu animarum in purgatorio. F. 87. quod existentes in purgatorio proficiant post hanc vitam, ex verbis Petri 1 Ep. 3, *graecus textus* clarius, quia *graece* ponuntur duo participia, θανατωθεις, ζωοποιηθεις, *latinus* textus habet, vt nos autem offerret deo, mortificat*os* quidem carne, viuificat*os* autem spiritu; graece illa participia in nominatiuo singulari. Conclusiones ex Petri textu, de Euangelisatione et pulsatione Christi, apud incarceratos. F. 90. de *Euangelio aeterno*, quando et quomodo et a quo Euangelisandum. N. 14, commodissime illud Euangelium euangelisabitur, quando viribus organicis omnibus homo destitutus *solas intellectiones* et nostra desideria in deum, non per phantasmata, intelligimus. F. 93. Epistola M. Wesseli ad fr. *Bernardum* Meppensem, canon. regul. de profectu et statu animarum post hanc vitam, quid et quomodo pro eis orandum. Alius libellus continet, Epistolas *Wesseli*, aduersus M. *Engelbertum*, Leydensem. M. *Iacobi Hoec*, decani naldic. ad Wesselum; huius epistolam apologeticam aduersus Iacobum Hoeck. vid. *Goldastimon.* t. 1. *Wesseli* ep. quid de spirituum et mortuorum apparitionibus sit tenendum. Ex Epistola *Ioan-*

nis Aemstelredamensis, de suffragiis et celebrationibus, secundum Wesselum. Epistola Wesseli ad decanum traiectensem, de *Ioanne Wesaliae* et suo periculo. Impugnatorium M. Antonii de *Castro*, ordin. praedic. contra Wesselum. In prima Epistola fortiter scribit contra *indulgentias*, et *Thomam*, qui scripserat, papam non posse errare. De indulgentiis *Romae* et *Parisiis* disputauit; *Romani* liberius locuti sunt, contra indulgentias, quam Wesselus. *Antonius* florent. maxime errauit de indulgentiis. *In iure* multa de indulgentiis scripta sunt, sed non ideo vera; de *Augustini* dicto: Euangelio non crederem. Ordo praedicatorum XIIII annis ab vniuersitate *paris.* abscissus, zelo doctrinae S. Thomae; *Gerson*, quare discrepantia in hac materia scripsit. Decem vrgent auctorem, cur non concedat, *papam plenarias* aut aliquas, posse *indulgentias* dare. Sequitur *Lutheri* praefatio his epistolis praemissa; subiicitur statim vaticinium M. Wesseli. Io. *Ostendorpius*, canonicus D. *Lebuini* dauentrienſis, adolescens admodum *Wesselum* senem adiit, et inter cetera ab eo audiuit, studiose adolescens, ad illum viues diem, quo doctrina recentiorum et *contentiosorum istorum theologorum, Thomae, Bonauenturae*, et aliorum eiusdem farinae ab omnibus *vere christianis theologis explodetur.* Id ego a iam canescente Ostendorpio in templo Lebuini audiui. A. 1520. X. cal. Mart. Haec Nouiomagus. Impugnatorio Antonii in margine glossae non rarae additae sunt, haud dubie a *Luthero*. Facile credimus, operae nos pretium feciſſe, quod istas sententias excerpsimus; quia ad ingenuam historiam emendatorum tandem sacrorum eximie faciunt. Perspicimus certe, *Lutherum* non tam primum veniſſe in eam sententiam vindicandae religionis christianae publicae, quam vestigiis satis luculentis inhaesiſſe; nec rem et rei indolem intelligunt, qui *politicis* tantum consiliis praecipue susceptam publicae religionis emendationem tribuere sustinent, hac sententia, quasi eximiae sapientiae, qua alios vincant, praestantia gloriabundi. Ausim dicere, *Lutherum* vix

quic-

quicquam in doctrina ipsum reperisse noui, de quo hoc seculo 15, nondum hic ibi inauditum fuerit; ex. c. hic *Wesselus*, Ioh. de *Wesalia*, et alii, iisdem doctrinae correctionibus studuerunt. Profecit *Lutherus* ex his aliisque non parum; et cum paucis istis ingenii et pectoris virtute sic conuenit, vt mirum non sit, vario locorum et temporum interuallo seiunctos, ingenii tamen fortitudine et mentis castitate, eadem et simillima consilia et istos suscepisse hoc seculo, et *Lutherum* sequenti. *Erfordiae* (*Flacius* scribit, qui in catalogo testium veritatis Iohannem de *Wesalia* laudat), eius scripta adhuc inueniri potuisse. Est ad manum collectio opusculorum historicorum, post Initium seculi 16 edita, in folio, (Commentar. *Aeneae Syluii*, Piccolomini, Senensis, de concilio basileensi, *libro duo*, *nunc primum impressi;* cum multis aliis numquam antehac impressis &c.) cui adhaerent folio 335: paradoxa D. Ioh. de *Wesalia*, sacr. litterarum doctoris ac concionatoris *Wormatiensis*, quae feruntur a quibusdam *Thomistis* ex illius concionantis ore fuisse excepta; fol. 337, Examen magistrale ac theologicale Ioannis de Wesalia, (vid. antea p. 000.) Allegatur eius *tractatus de indulgentiis*, quas omnino abiecit; inquisitoribus tamen istis, ex composito, vt videtur, obsecutus esse et reuocasse errores dicitur.

Supersunt autem et aliae *anonymorum* scriptiones, quibus et publica clericorum impietas, et doctrinarum malignitas fortiter atque sobrie reprehendebatur; e. c. *Lauacrum conscientiae* omnium sacerdotum; impressum *Lyptzck* 1497. in 4. capitulis 19; cap. 4. historiola, quarum non paruus inest numerus, narratur, de clerico, qui post mortem, ex condicto, alii apparuit, et epistolam legendam dedit, quam scripsit *Beelzebub.* Belzebub, princeps daemoniorum et dux tenebrarum, cum satellitibus suis omnesque tartareae potestates, Archiepiscopis, Abbatibus, Praepositis, Decanis, Presbyteris, ceterisque ecclesiarum rectoribus, suis carissimis amicis, nunc et in aeternum tartareas salutes &c. — vix deposita casula, (post missam),

sacer-

ſacerdotes ſcurrilitates ſuas exercent — quaerentes, vbi propinatur hodie melius vinum — fol. 16. cum adulteraſſet quidam caupo cum ſua ancilla, plebanus voluit ipſum publice punire, vt *portaret crucem nudus per eccleſiam*, die dominica. Recuſauit autem, et ad Abbatem ductus, dixit plebano: feci, quod feciſtis; nonne ex concubina quaſi omni anno generaſtis pueros publice? Auctor ſcribit, non eſt fabula; omnes ego noui et vidi et ſcio. — pluralis in beneficiis, pluralis erit in poenis. F. 34, duae ſunt abuſiones in clero magnae — noſtris temporibus, f. 37, incipiunt ſacerdotes *hoſſare*, in alea ludere &c. — ſi contingit vnum litteratum eligi, fit ideo, quia talis non ſecundum ſuam ſcientiam viuit — qui numquam legerunt *Donatum*, propter conſanguinitatem aut affinitatem eis conferuntur iam beneficia curata — ſtudens quidam *pariſiis*, qui vnice logicam amabat, poſt mortem apparuit in cappa, cui omni inſcriptum erat, *ergo*, *ergo*, f. 43. b. vtrum conueniens ſit talis increpatio ſacerdotum? — ſacerdos, ſi aliorum diligentem curam non habuerit, cum pernitioſis *gehenniſabit* — f. 48. an publicis criminoſis ſacerdotibus ſit reuerentia exhibenda? propter Chriſtum, et propter bonos ſacerdotes; officium mali a vita eius diſtinguendum. — Cap. 20 deuota inſtructio, de habenda memoria paſſionis Chriſti, per ſingulas ferias. Sub finem fere huius ſeculi exenſum fuit *Directorium ſtatuum*, ſeu verius *tribulatio ſeculi*; adſcripſit antiquior lector, vulgo das Lichtſchiff und Schelmenzunft. Iac. *Wimphelingii* epiſtola praefixa ad bibliopolam argentinenſem, Attendorn, 1488 Spirae. Inſunt in opuſculo, oratio per dom. d. Ioh. *Geyler* de *Keiſersperg*, in praeſentia epiſcopi et cleri, in Synodo *Argentinenſi* facta, (de officio epiſcopi, vt vitia cleri et plebis reſecet;) *Iodoci*, Rubiacenſis, oratio in Synodo *Spirenſi* habita, praeſente domino *Ludewico* eccleſiae eiusdem inclito ep. *dialogus* eiusdem lepidiſſimus, quo mores et vitia cleri, et vitam ruralium ſacerdotum pulcherrime deſcripſit; Epiſtola de *miſeriis* curatorum aut plebanorum

norum (quomodo Christus crucifixus est a Iudaeis, ita quotidie tribulatur plebanus a parochianis. Monopolium philosophorum, vulgo der Schelmenzunft. *Metrificatura*, de errore illustrium doctorum, de fine huius mundi diffinientium. *Geileri* oratio satis mordax est; nec *Iodoci* dialogus sale caret. Libellus de miseria curatorum, *nouem diabolis* dicit sine intermissione lacerari eum, qui curam pastoralem portat; collator, custos ecclesiae, coca tua; vitricus; rusticus; officialis; capellanus; praedicator. Nec *germanica in lingua* defuerunt vtiles et ascetici libri; cuius generis fuit vel eximius ille, e quo *Spenerus* quaedam descripsit, in der Evangelischen Kirchenrettung wider Joh. Ernst Graben; pag. 309. de matre familias, cuius ingenuum religionis vsum venerabundus admirabatur monachus quidam, qui L annos in monasterii falsis exercitiis exegerat. Auctor librorum *de imitatione Christi* cum aliis mysticis seu spiritualibus, vitae propriae emendationem persuadet, de aliorum siue erroribus siue moribus minus est sollicitus; iam ad nostram aetatem, quae longe benigniori luce vti potest, parum interest, lectores ad istum librum, monachico ingenio hic ibi corruptum, ablegare; sicut et ad *theologiam germanicam*, *Taulerum* et similes scriptores, qui *Lutheri* tempore fere soli erant, quas laudare et commendare licebat.

2. Scriptores theologici minoris ad sanam mentem iuuandam vtilitatis.

Thomas Netter, *Walden*, a vico in agro Essex dictus, prouincial. ordinis carmelitar. professor theol. praeter alias scriptiones, eminet *doctrinale* antiquitatum fidei catholicae aduersus Wiclefitas et Hussitas, opus tribus tomis constans, *Martino* quinto inscriptum. Libet ex secundo tomo, qui librum operis *quintum* de sacramentis, capitibus 144 continet, quaedam excerpere, vt de operis ingenio lectoribus satis constare possit. *Prima* doctrina *haereticorum*

rium est, scripturas sacras transformare ad detestabiles sensus suos; contra quam est doctrina *ecclesiae* Christi, nullo mentis ausu, peregrino colore doctrinas caelicas variare. *Secunda:* contra catholicas auctoritates Augustini, &c. canonum et conciliorum, vociferans et strepens. *Tertia:* extollunt magistrum suum, et sapientissimum iactitant et prudentem; et dicunt, orthodoxos non posse intelligere, quae *Wicleff* dictauit. *Quarta:* nituntur magistri sui purgare infamiam; et dicunt, quod non ea docere studuit, in quibus eum maculauit ecclesia. *Quinta:* quod magister non omnia asserit, sed inquisitiue, arguitiue multa dicit, quae asserere non proponit. *Sexta:* affirmant, quam sit laudata sua doctrina in remotis partibus, *Parisiis*, *Oxonii*, *Bononiae*, per fines Hispaniae &c. *Septima:* quod non sit attendendum monitis Papae. *Octauo:* quod *Wicleff* numquam fuerit iudicialiter ab episcopis, pro haeresibus, condemnatus. (Concilio *Alexandrino*, post nicaenum, durante, mortuus est Constantinus, et legauit *Constantio* fratri suo terminationem eius, qui *Probum*, secularem, designauit iudicem pro eodem conflictu &c.) *Nona:* quod non obseruato iuris ordine magister ipsorum sit damnatus diu post obitum. *Decima:* mentiuntur colorem persecutionis, aut odii. *Vndecima:* a deo esse doctrinam suam quia stat. *Duodecima:* protestantur, se habere mentem catholicam; si per scripturas vel rationem viuacem doceantur, paratos se esse ad credendum. Sic *Wicleff* saepe in trialogo. Cap. 1. quod ex fide deus concurrit cum ministro (etiam malo et improbae vitae) ad sacramenta celebranda. Cap. 2. vnde sumatur necessitas huius concursus Illa vox, quae semel dixit crescite, omni tempore praesta effectum; sic vox, *hoc facite.* C. 3. non semper propter mortale peccatum potestas consecrationis suspenditur in praelato; infidelis sacerdos non derogat sacramento. C. 8. deus conficit cum malo ministro, ne ecclesia seducatur. C. 14 quod praelati, quamuis *praesciti* (Wiclefi phrasis, reprobati,) possint conficere. C. 17. ad tractatum euchariſtiae

tam

tamquam ad montem domini, adscendendum, vitando *lites dialecticas.* Wiclefus dixerat: non ante obsequendum esse clericis caesareis, quam docuerint, quid sit *sacramentum* in genere, in specie, et *accidens* sine subiecto. Hanc quaestionem *regna* deberent *mittere ad papam*, quid credere debeamus &c. *Wicleff* nihil opponit, praeter quasdam sphaerulas logicales, (quas in pugna mittat contra Ionathanem) sed docuerunt sancti patres, *ab auctoritate* probatissimum modum esse ad disceptandum de fide; sanctorum patrum documenta autem non simpliciter afferenda sunt, sed bona indagine perlustrata, vt Augustinus dicit: nunc *sententiis episcoporum*, qui SS. tractauerunt, tua *Iuliane* machinamenta subuertam. Sed dicent Wiclefistae, me imperitum esse logicae et humanae philosophiae, *quam Apostolus* damnauit; vt *Lanfrancus* contra Berengarium dicit: de *mysterio fidei* (si placet,) mallem audire sacras auctoritates, quam dialecticas rationes. C. 18. quomodo *Wiclef* praecessit Satanae mille annos solutionis suae. (*Wiclef haeresin Hostiae* a secundo millenario designabat.) C. 21. venerandum Eucharistiae sacramentum est corpus Christi *naturaliter* et sanguis, non corpus *tropicum.* C. 25. hostia consecrata est *identice* corpus Christi et deus secundum essentiam; iure societatis suppositi. Wiclef autem dicit: hostia panis est de facto, in natura; corpus autem Christi in figura; non vero naturaliter et identice corpus Christi et sic deus. C. 31. sacrificium altaris, est vnum; non sicut *Wiclef* dicit, aliud sacrificium, aliud sacramentum. C. 35. non remanet panis materialis post consecrationem. (semper nominat *Witclef*, Witclefitas.) C. 41. quomodo *cantus* et orationes ecclesiae commemorant panem. C. 43. respondet ad id, quod Wiclefus dixit, modernam romanam ecclesiam priori sub *Nicolao* esse contrariam. C. 46. ad argumentum *a brutis et muribus*, qui non cognoscunt hostiam consecratam, respondetur. C. 47. ex auctore erroneo *de diuinis officiis.* Haereticus appellat haereticum. C. 48. *iste panis* est corpus Christi, sophisma Wiclefi.

Cap

Cap. 52. ad quaeſtionem intricatoriam: vtrum illud album et rotundum ſit verum corpus Chriſti? C. 53. quod corpus chriſti corporaliter videtur in ſacramento, ſed ſacramentaliter non naturaliter. C. 56. neceſſarium eſt illam partem tenere, de *viſibilitate* corporis Chriſti, *vt ſimus conformes canonibus*, contra haereſes. C. 58. Caro Chriſti eſt ſpiritualis et tamen *carnaliter*, modo carnis et *corporaliter* comeditur in ſacramento. C. 60. non mures et bruta, ſed peccatores et praeſciti vere *corporaliter* manducant corpus domini in ſacramento. C. 61. contra blasphemiam Wicleſi, qua concedit cum *Rabano*, mogunt. et *Heribaldo*, altiſſiodor. corpus domini in ſacramento eſſe cibum, digerendum in humanam carnem. C. 64. de *conuerſione* panis, et quibusnam opinio *impanantium* foret grata.. C. 95. contra *impanantes* corpus Chriſti. Ea opinio poſt *Berengarium*, placuit *Waleranno*, Medburg. epiſcopo, (authori de divinis officiis,) alius poſt iſtum *pariſienſis* ſurrexit. *Impanator* dicit, hoc eſſe corpus Chriſti et panem; addit ad verbum Chriſti, quod ipſe non dixit. C. 66. via impanantium eſt pluribus difficultatibus intricata, quam via eccleſiae. C. 69. materia prima panis in conuerſione non deſtruitur, ſed transit in melius. C. 74. qualiter improperat Wicleſ, quod olim non erat de fide. C. 76. determinatio *Innocentii* et eccleſiae; de accidente ſine ſubiecto, non eſt contra omnes philoſophos. *Ariſtoteles Anaxagorae* opponit, ergo accidentia (colores) poterunt a ſubiecto ſegregari; intellexit Anaxagoram hoc conceſſurum. *Plato* poſuit *formas* naturales abſtractas a materia, &c. C. 77. determinatio accidentis ſine ſubiecto eſt conſona ſanctis de millenario Chriſti. C. 78. de quidditate accidentis; Wicleſ renouat errorem *Parmenidis* et *Anaxagorae*. C. 82. contra gloſſas Wicleſi, quod *Anſelmus* et *Hugo* non conceſſerunt accidens ſine ſubiecto; C. 83. nec *Lincolnienſis*, (ſuper c. 3. Eccleſiaſt. Hierarchiae.) C. 87. de inſtantia *wicleſiſtarum pragenſium*, pro communione plebis in *vtraque* ſpecie. C. 58. quod modus eccleſiae, eſt

magis

magis conueniens scripturis sanctis. C. 90. ad auctoritatem euangelii: *bibite* ex hoc *omnes;* quod haec obseruantia non fuit tam vniuersalis antiquitus, sicut sonat. C. 92. de modo *bibendi* Christi sanguinem *re*, non visibili specie; et sic ad auctoritates *Gregorii*, *Augustini*, *Hieron. Gelasii*, *Zosimi*. C. 93. ad auctoritates *Ambrosii* de sacram. *Waleranni*, de officiis, et *Paschasii*. C. 94. ad S. *Thomam*, *Albertum*, *Innocentium*, *Lyram*, de *Halis*, *Bonauenturam*, *Fiscatre*, in 4 sentent. distinct. XI. *Notyngham*, in 1 Corinth. XI. C. 97. quod baptismus flaminis absolute non sufficit, excluso bapt. fluminis, ad salutem. C. 99. quod paruuli ad baptizandum delati, si praeueniantur morte, peribunt. C. 108. baptismus aquae tollit omne delictum mortale et veniale, et omissionis quodcunque. C. 109. quod est aliquis *character* baptismatis, confirmationis, et ordinis. C. 112. sacramento confirmationis regulariter confertur spiritus S. C. 114. solis episcopis licet chrismate vngere; contra *Armachanum*. C. 116. de sacram. ordinis quinquepartiti. C. 120. ad calumnias *Wiclef*, in praelatos *caesareos* (a Constantino, caesare, sic vocat,) C. 121. contra Wiclef, qui dicit, quod multitudo clericorum est onerosa et minuenda. C. 123. idem dicit, quod interna spiratione dei clerici insensibiliter ordinentur. C. 127. de litteris testimonialibus episcoporum, pro clericis ordinandis. C. 128. *Wiclefo* displicet continentia, (hic significat, publicam priuatamque lasciuiam et castitatis contrarium) clericorum. C. 129. vbi fundatur necessitas continentiae clericalis, expressae in SS. C. 130. quod coniugium non includat de necessitate sacramenti, copulam carnalem ad propagationem prolis. C. 131. inter steriles vel sancte continentes est verum coniugium. C. 135. de poenitentia et *confessione*, qualiter fit in antiqua lege fundata. C. 136. ex facto *Danielis* et sociorum eius, et sic vsque ad baptizatos a *Ioanne*. C. 138. qualiter in noua lege fundatur. C. 140. Christus non minus praecipit confitendum, quamuis apostolis non expressit. C. 141. qualiter in antiqua ad confitendum

vocaliter ſacerdoti, aſtricti erant fideles, non tantum Latini ſed et Graeci. C. 144. abſolutio ſacramentalis praecedit abſolutionem coeli. C. 145. *Claues eccleſiae* ſunt ſcientia et poteſtas, habens auctoritatem dimittendi peccata. C. 148. de conſtitutione *Innocentii*, de confitendo ſemel in anno cuncta peccata. C. 152. reſpondetur, ad accuſationes Wiclef contra catholicos confeſſores, de *leuitate* nimia et *ſeveritate*. C. 154. de peccato mortali et veniali. C. 158. contra Wiclefum qui aſſerit, ſolum peccatum finalis impoenitentiae eſſe mortale. C. 163. ſacram. *vnctionis extremae* a Chriſto et apoſtolis inſtitutum. Epilogus. (Impreſſum opera Iod. B. *Aſcenſii*, iuxta exemplaria illi oſtenſa et ſuppeditata in Carmelo pariſino. 1521. fol. Ex iſto ſpecimine facile omnes huius auctoris *ſextum volumen* noſcent, quod *Sacramentalia* inſcribitur, facultas *pariſienſis* aduerſus *Lutherum* vtiliter adhibendum, diligenter examinatum, approbavit et in lucem exire permiſit, 1523. Doctrina *prima* contra docentes, *Witcleuiſtas*, ſolas in ſcripturis expreſſas praeceptiones a fidelibus adimplendas; (in margine, idem *Lutherus* facit). Eſſe omnino *conſilia* in lege euangelica, quae *ſuper ordinantiam* Chriſti poſſunt praeſtari. Doctrina *ſecunda*, de vitandis *Lollardis*, qui dicunt, *praeter ſcripturam* nihil accipimus. (Haec ſequitur Lutherus.) Doctrina *tertia* dicunt; de ſenſu verborum ſcripturae non eſſe credendum *modernis*, nec ſanctis prioribus. (Arrogantia Wiclef et Lutheri.) in margine, ecce Paulo, *fine eccleſia*, non credendum; niſi ſenſus tunc ſuos patrum ſenſibus conformaſſet. Doctrina *quarta*, falſo ſe fidei orthodoxae iactant defenſores. Doctrina *quinta*, ſtulte confidunt in artibus, quas ſibi arrogauit Wiclef. Paraclitus non docuit mathematica. Ab hac (Manichaeorum) ſeductione, quantum putas, abeſt Wiclef, quum in fine tertii trialogorum dicit: *omnino expediens ad intelligentiam ſcripturarum*, quod viator in recta *logica* et phyſica ſit inſtructus &c. (Intelligamus vim ingenuae mentis et rationis, aduerſus papiſticos et omnes eccleſiaſticos errores, ſemper

per maxime liberalibus artibus iuuari; nec eripi nobis sinamus verae religionis vnica aduersus omnem sanctam malignitatem praesidia.) In margine: doctrina humana parum ad diuinam facit. Doctrina *sexta*, non credendum Wiclefo, omnes ecclesiae doctores a tempore *donationis constantinianae*, excaecatos fuisse. In margine f. 7. Philosophi non sunt citandi *catholico*, sed sancti patres. Doctrina *septima*, non esse vocandos clericos *Caesareos*, etsi id nominis pudendum non est. *Iuliano* caesari in clericorum *expropriatione* (deiectione a possessionibus) conueniunt omnes Wiclefistae. Doctrina *octaua*, ornatus et ritus sollennes ecclesiae, rite esse institutos. Doctrina *nona*, signa exteriora et caerimonialia non esse tollenda ideo, quod signata sint potiora. Doctrina *decima*, non solum praelatos in prima ecclesia, sed etiam in omni tempore audiendos esse. Sequuntur capita totius operis, per titulos XXIIII. Titulus I. de orando deum in communi; de haeresibus Wiclefistarum contra orationes sacras; de *orationibus altis et canticis*. Tit. 2. cap. 16—19. Tit. 3. de orando deum *canonicis horis*. Cap. 20—27. Tit. 4. de sacramentalibus et ritibus principalibus missae; de vasis, vestibus, introitu missae — collecta secreti; de *canone*, per quatuor partes; memento pro defunctis. — C. 28—44. Tit. 5. de sacramentalibus precibus, baptismo cap. 45—54. Illi ritus ecclesiae docentur *sine scripto*, propter haereticos et exsecratos; de exorcismo salis, exsufflatione, apertione oris, iiunctione symboli; abrenutiatio; vnctio in pectore et scapulis; consecratione fontis; caput primo ad orientem; vertex post baptismum chrismate; vestis candida, cum lampade ardente in manu; contra nouellos haereticos, quod parvuli *de necessitate salutis* baptizantur. Tit. 6. de ritibus sacramenti confirmationis, si adsit episcopus; communicat corpus Christi, et audit Euangelium, in complementum *mysteriorum*; de consecratione chrismatis; hi ritus sacram. non parui pendantur *vt noui*, sed honorantur vt apostolici, quamuis *ad punctum non sint* in eorum lit-

teris expreſſi; cap. 55–57. Tit. 7. de ſacram. *ordinis* cap. 58–67. contra argumenta *Armachani* et *Wiclef*, pro defectu epiſcopi. Tit. 7, de ſacram. *poenitentiae*, cap. 68–80. Prius abſoluit ſacerdos, vt abſoluatur in dubie in caelis. *Confeſſio auricularis* plus et prius laudata, quam communis. — de obſeruantiis in ſolenni inſtitutione *religioſorum* et euangelice perfectorum. *Profeſſio* meretur *aureolam* et primam innocentiam poſt baptismum. Tit. 8. quando comparantur *paſtores ſecundi ordinis* ad *religioſos*, cap. 81. 82. Tit. 9. ad blasphemias contra ſacras. religiones, cap. 83–92. Ordines illi non ſunt *factitii* a puro homine; a conuerſatione beatae virginis et apoſtolorum *in caenaculo* introducta eſt ſchola religionis *perfectorum* in clauſtro. *Wiclef* ſine verecundia religionem ſoluendam dicit, apoſtaſiam (monachis) conſulit. Non licet religioſo dimittere propoſitum; aliter ſaluus eſſe non poteſt. Ad argutias Witclefi, quod religio perfecta (monaſtica) ſit contra honorem parentum; non ſit perfectior religione vulgi; imperfectior ſit, auctoritate, leuitate, facilitate et neceſſitate. De libertate, quam Chriſtus dedit. Tit. 10. de ſuffragiis eccleſiarum, clericorum, monachorum participandis, cap. 93–104. Tit. 11. de orationibus generalibus et ſpecialibus; ſpecialis oratio ei, pro quo fit, amplius prodeſt, quam generalis; etiam *pro defuncto*; quamuis orans ignoret ſtatum eius. Tit. 12. de orando *ſanctos*, cap. 108–116. quamuis Chriſtus ſit potiſſimus et optimus mediator; etiam ſancti angeli et beati ſunt orandi, vt in *letaniis*. Sancti ſunt amici dei et domeſtici. Tit. 13. qualiter *adorentur* (notemus grande verbum, quod alii negarunt,) ſancti et *reliquiae* eorum, cap. 117–121. creaturae *in deo adorantur*, humanitas Chriſti, crux, imago eius, et reliquiae; pro ſanctitate contracta. Tit. 14. de *canonizando ſanctos*. Miraculis probatis etiam canonizantur; *miracula vltra modum displicent Wiclefitis*, ſicut Saracenis, Arianis, Paganis. Neceſſe eſt ſanctos *adhuc continue canonizari* per eccleſiam; ornare vel condere ſepulcra pretioſa ſanctis,

eſt

est a lege dei approbata pietas, cap. 122–131. Tit. 15. de *peregrinando* ad SS. tumulos; sancti dei magnum ferunt praesidium, (si deus forte negligat curam et prouidentiam) ciuitatibus et territoriis, in quibus habent memorias; et eos honorantibus sunt validi patroni. Tit. 16. de *festiuitatibus* SS, et Christi celebrandis. cap. 138–142. Tit. 17. de *fabricis* ecclesiarum, cap. 143–147, Tit. 18. de apparatu ecclesiae, c. 148. Tit. 19. de religiosorum domibus; de ornatu sacrarum imaginum in ecclesiis; superstitione carent et sunt litterae laicorum. *Imago trinitatis* in ecclesiis poni solita, aduersatur Iudaeis; cap. 140–157. Tit. 20. de adoratione S. crucis. Tit. 21. de *peregrinando ad SS. imagines.* cap. 161. Tit. 22. de dedicatione ecclesiarum; de ritibus; cereis, alphabeti inscriptione — Tit. 23. de *reliquiis SS.* cap. 164. Tit. 24. de benedictione *cerei paschalis*; luminum, candelabri; panis, aquae, primitiuorum fructuum, ciborum, mensae; exorcismis salis, et aquae. *Sanctificatione armorum* cap. 169. Epilogus. Verbosius descripsimus ista, non sine dedito consilio. Etsi enim tractationis indoles sit inuenusta et tantum non ridicula, patrum perpetuis locis et testimoniis, satis tortis, referta, sedula etiam religionis specie auctor imperitis lectoribus fucum facere audeat: tamen eximii erit vsus ista recensio, ad seculi XVI. iustam informationem. Dixi, *Lutherum* nihil noui reperisse; fortitudine pectoris et, quae dei erat prouidentia, temporis opportunitate, alios anteiuit; comparet lector vel ista capita, cum *Augustana confessione, apologia* &c. vt reperiat, ecquid dictum fuerit et intactum *Wiclefo*, *Wesselo* aliisque, quos *flagellantium* ridiculo nomine callidissime inuoluere solebant defensores pristinae malignitatis. Insunt autem etiam hic ibi *historica* quaedam, quae *Angliam* attingunt.

Waldensis ille iam tandem in memoriam mihi reuocat alium, quem suo loco, inter *Hussitarum* res gestas recensere oportuerat, longe meliorem *Waldensem*, *Iohannem Luckawiz*, qui *Taboritarum* confessionem conscripsit,

contra *Rockenzanam* et papistas pragenses, (ante 2 ferme secula, vt additur in Balthasar *Lydii*, *Waldensibus*;) eam *Lydius* excudi fecit, tomo primo Waldensium, Roterodami 1616, pag. 1 seq. Incipit: quia a d. 1431. in conuocatione generali regni *Bohemiae*, electi erant personae XII, ex statu Baronum militum, clientum, ciuitatum et communitatum, legi dei adhaerentium, quae — nobis, sacerdotibus *taborien sibus* ex vna, et magistris et sacerdotibus *pragensibus*, ex altera parte terminum statuerunt, in vigiliis SS. Philippi et Iacobi, *ad collegium Caroli* vtrique sumus conducti — ibi primum M. Io. *Rockenzana* quasdam culpas nobis obiecit, nos autem antequam illis respondimus, coram dictis auditoribus et multitudine cleri et secularium, causam nostram *via et modo conscripto*, quem ex mandato dominorum auditorum *in ipsorum manus reposuimus* — continet autem scriptum nostrum *duas partes;* in quarum *prima*, describemus causam nostram; in *secunda* aggrediemur scripta M. Io. *Rockenzanae* et sibi adhaerentium. Cap. 2. *protestatio* super dictis et dicendis a nobis. C. 3. suppositiones, pro omnibus per nos infra dicendis. 1. Christus est primum et maxime attendendus, vt legislator vnus optimus 2. Lex Christi, Euangelium, se sola est sufficientissima et regimen ecclesiae militantis. 3. Nomine fidei sunt intelligendae veritates credendae a fidelibus, primario designatae per ea, quae scripta sunt in canone Bibliae. 4. Dicta SS. doctorum, post apostolos, *non ad auctoritatem* ecclesiasticorum dogmatum sunt acceptanda, sententiae tamen eorum sunt acceptandae, *de quanto* in ipsis Christus loquitur, et de quanto vere et directe fundari poterunt in lege expressa domini nostri. 5. Licitum est vti aliquibus caerimoniis, quam diu religio viatorum est imperfecta; cum moderamine tamen; modo caueatur nimia appreciatio, ad eas infundabilis obligatio, et ecclesiae oneratio, cum Christus ecclesiam, tempore gratiae, liberam esse ordinauit — 6. Aliqua humanitus adinuenta sunt. 7. Sacerdotes omittentes ritus humanitus legi Christi postea adiectos, restrin-

gen-

gentes, diminuentes, in hoc ceteris paribus non peccant. 8. In Euangelio, plenius, autoritatius, *omnis veritas a fidelibus* credenda et practicanda, est decisa, quam in moderna romana curia. Cap. 4. Circa sacramenta in generali; duo aduertimus, primum, institutionem Christi, in sua puritate; secundum, sensus ipsis extraneos ac ritus circa illa humanitus adinuentos, ad venandum pecuniam applicatos; ratione quorum Christi plebecula priuatur libertate legis Christi, et totaliter subiicitur arbitrio Antichristi. — non tamen sic sunt necessaria, quin aliquando sine susceptione talium in signo sensibili, fiat salus. C. 5. Quid in speciali de quolibet diuinorum sacram. sentiamus. *Baptismus*, est ablutio per aquam, *significans efficaciter* ablutionem animae a peccato. — cetera omnia, quae in ritu baptizandi moderna obseruat ecclesia, sunt praeter necessaria, a quibus multi capiunt occasionem erroris et superstitionis — omissis pluribus ritibus consuetis sacram. baptismi exercemus in aqua simplici — *sine exorcismis*, patrinis, chrismate, oleo, ab episcopis prius consecratis, in aqua a sacerdote, modo consueto, *non benedicta* — C. 6. De sacram. *manus impositionis*; quod est signum spiritualis roboris — apostoli eam a Christi exemplatione didicerunt. C. 7. De *chrismate*, s. sacram. *confirmationis* — non videtur nobis, quod sit instituta a Christo, nec ab eius Apostolis. C. 8. De *coena Dominica;* — est signum ex diuina institutione ad *significandum efficaciter* spiritualem nutritionem hominis in deo. — in hac *propositione sacramentali*, hoc est corpus meum, est verus panis, qui per *hoc* demonstratur; cum hoc Christi corpus *non identice*, sed sacramentaliter, realiter et vere — non autem ponenda *desitio substantiae* panis — C. 9. De sacram. *poenitentiae* — ea praecipue est in mente et anima, sine qua aliae nihil valent. alia est *confessio* facta deo vel indifferenter fideli; tertia est aggregata ex 2 prioribus, priuato facta presbytero; ad istam magis attenditur propter lucrum. C. 10. Confessio *auricularis* priuata non est simpliciter necessaria ad salu-

tem — romanus pontifex est saepe deo contrarius et maximus Antichristus — *papa latinus* deberet erubescere de ista poenitentia sine fundatione, cum non liceat, etiam Apostolis, difficultare legem domini, vltra, quam ipse limitauit. C. 11. De sacramento *ordinis;* quia ecclesiam oportet habere duas *maneras*, i. duo genera hominum, generantium spiritualiter et corporaliter, ideo sunt 2 sacramenta — *ordo* ad presbyteros procreandum — non ex fide scripturae, sed Lex consuetudine habetur ecclesiae, circa eius celebrationem, alia sunt vtilia, (oratio, examinatio) alia autem praeter expressam fidem scripturae communiter obseruantur. C. 12. De sacramento *matrimonii.* — alia non sunt de substantia seu necessitate, (manuum circumplicatio, et earum *stola* circumpositio) alia vtilia, oratio, *instructio* amborum, proclamatio — C. 13. De infirmorum *vnctione*; in apostolis est exemplata; infirmi poscentes, *possunt* licite oleo *competenti*, quod valeret *ad corporis sanitatem*, inungi; *extrema vnctio* videtur carere scripturae fundamento. *Iustum* de omnibus sacramentis petitur inter nos et partem aduersam *fieri iudicium.* C. 14. De officio *missae;* quid proprie? qualis fuit primis temporibus? et quae de eius necessitate, quae vero non. Duo sunt de substantia: debita materia panis et vini, certa forma verborum, ordo sacerdotalis, intentio consecrandi; et fides debita; alia sunt accidentalia, et sine peccato omitti possunt quae sacerdos dicit aut clerus chori canit. Praesupponimus secundum illud *Bernhardi* (Bernholdi) in rationali, *Guilielmi*, wilmadensis (mimiatensis) in rationali &c. quod in primis temporibus, missa in vestibus communibus solum celebrata fuit; deinde varia *addita* fuerunt. — ritum missandi romanum, licite ac rationabiliter omisimus; 1. quia ille ritus est restrictiuus legis Christi liberae. 2. Sunt ibi mendaces prosae, et tumultuosus cantus; leguntur in *lingua peregrina.* 3. Impossibile est sic quotidie missand passim legere legem, secundum populi et temporis indigentiam. 4. Datur occasio pseudoprophetis et idiotis pro vo

lu

luntate occupare statum sanctorum, qui ex pluralitate missarum nutriuntur. 5. Induxit abusum *sub vna specie*. 6. Ille ritus tenet multitudinem signorum, (miraculorum) quae sunt multis occasio perfidiae et superstitionum, et sunt laquei simplicibus sacerdotibus, qui virtutem dei, more gentilium, reponunt in characteribus et signis, quod videtur occultus contractus cum daemoniis, et crimen nigromanticae artis. 7. Includit ad lucrum auarorum sacerdotum de inordinato cultu sanctorum; missae *de sanctis*, ex quo simplices sacerdotes non alium habent sensum, nisi quod illae missae celebrentur sanctis. 8. Includit incerta suffragia animarum et memoriam defunctorum, post 568 annos ab incarnatione domini insertam; quae non prodest, sed obest multis. C. 15. Quibus ex causis *ornatus depositimus*; vsitatos ad sacrificandum, *vt libertatem*, sine talibus missandi, omnibus et singulis Christi fidelibus declaremus. Verosimilius ab *imperatoribus* et pontificibus romanis sumserunt initium; hinc *Wiclef* saepe vocat vestes *Caesareas* — nec valet consequentia ex veteri testamento sub lege gratiae. C. 16. De somniato *purgatorio* post hanc vitam et mendaciis sacerdotum super illo seminatis — non est credendum illud pro fide — Augustini *hypognostic*. C. 17. Doctores in materia purgatorii non concordant. C. 18. Alia pars Doctorum: quod tantum praesens vita poenitentiae et satisfactioni sit destinata. C. 19. Tertia pars doctorum, de purgatorio animarum post h. vitam. C. 20. De *inuocatione* sanctorum in caelo, et quae mala, occasione promotionis illius, in populo oriuntur. C. 21. Sancti corpore defuncti non sunt veri aduocati aut sanctificatores nostri. C. 22. Circa inuocationem SS. finalis nostra intentio. Invocatio est cultus soli deo exhibendus — dicimus autem honorandos esse et imitandos. C. 23. Examinatio scriptorum, M. Io. *Rokenzanae*, quae contra nos comportavit, et ad ipsa nostra responsio. Hic incipit secunda pars. C. 24. Nititur traditionibus; 4 doctores; Hier. Aug. Gregor. Ambros. dicit melius exponere, quam mille modernos

expositores. C. 25. Nos autem fundamentum ponimus *verbum dei.* Iam respondetur ordine ad ea, quae *Rokenzana* pro defensione romanae doctrinae de sacramentis attulerat. C. 35. Lepidae fabulae de purgatorio recensentur. C. 37. Nulla scriptura, quam magistri allegare consueuerunt, pro existentia somniati purgatorii, eorum seruit proposito. C. 38. Oratio pro defunctis caret fundamento scripturae. C. 55. Iniuriarum nobis iniuste adscripturum notificatio. *Thomas* aquin. scitur, quod in 47 punctis sibi inuenitur contrarius — simonias papae videtur excusare, ad sensum curiae romanae respondet; — ideo nos *non sumus obligati* omnes eius tenere sententias. Non truncamus *Thomam* — qui saepe melius opponit, quam soluit — *Rokenzana* se conformat in isto, magistro suo *Iacobello*, ob eius reuerentiam non audebit eum ab hoc (quod olim in vestibus communibus sacrificarint) haereticum vocare — Finis confessionis: protestamur, et coram deo et ex deo eloquimur, quod solum — elaborauimus, vt saltem in modico fraudem Antichristi et eius; fucatas seductiones morderemus — rogantes omnes et singulos, quatenus defectus nostros pie supportent propter amorem domini nostri Iesu Christi; si lapsi sumus, in verbo, in grammatica, in allegationibus, in audacia loquendi, siue quod in aliquibus materiis descendimus forte nimis reprehensiue ad personas, siue de aliquibus verbis satyricis — de omnibus, in quantum talibus, petimus iterum atque iterum et semper veniam et compassionem &c.

Franciscus Ximenius, sub initia seculi floruit; exstant varii tractatus: de natura angelica; de scala coeli; pastorale; de vita christiana libri 4. *Hieronymus* a *S. fide*, e Iudaeo christianus, *Benedicti* 13 medicus, scripsit de refellendis *Iudaeorum erroribus* et contra *Thalmuth Iudaicum*, (exstant in bibliothecis patrum). *Iacobus Magnus*, ordin. eremit. Augustini, Carolo 7 a confessionibus, de inquisitione diuinae sapientiae, seu *Sophologium*, libris X, excusum isto hoc adhuc seculo parisiis. *Petrus* de *Rosenheim*,

heim, monachus mellicensis, scripsit ad cardinalem Brandam, *Roseum* memoriale diuinorum, seu *elegiaca* carmina in capita vtriusque testamenti, excusum Argentorati, 1544. *Pauli Veneti*, qui plura scripsit philosophica, *sacra philosophia naturalis* edita Venetiis et Parisiis seculo 16. *Petri Soberti*, (Soibert) episc. S. Papoli, liber *de cultu vineae domini*, praecipue ad episcopales visitationes, *parisiis* aliquoties excusus est. *Alexandri*, carpentarii filii, *destructorium* vitiorum, minus recte inter scripta Alexandri *Alensis* exstat. *Raymundi Sebundi* Theologia naturalis, Venetiis et Parisiis prodiit. Nicolai *Plocii*, poloni, cuius varia habentur scripta in tractatu tractatuum; *sermones* de tempore et de Sanctis, Argentorati 1495 excusi sunt. *Michael Lochmaier*, canon. patav. auctor libri, *parochiale* curatorum; Lipsiae, Parisiis et Hagenoae impressum; eius et *sermones* de *sanctis* habentur. *Barthol. Sibyllae*, ordin. praedic. *Speculum* peregrinarum quaestionum, ad Alfonsum, regem Arragon. saepius excusum fuit. *Anton. Raudensis*, ordin. minor. primus *Lactantii* collationem ad codices instituit. *Ioh. Nider*, ord. praedic. *praeceptorium*, seu de X praeceptis; *myrmecium* bonorum, seu Formicarium; saepius excusa; auctor etiam est *Alphabeti* amoris diuini, et *consolatorii* timoratae conscientiae; librorum 3, de reformatione religiosorum; tractatus de lepra morali; de contractibus mercatorum; *sermonum* de tempore, de sanctis, et quadragesimalis; libri, de *visionibus et reuelationibus;* plura alia adhuc inedita, quae inter, contra thesin *Hussitarum*. *Petrus* de Monte, brix. episcop. qui *basil.* concilio interfuit, scripsit repertorium theologicum magnum; *de monarchia*, (exstat in tractatu tractatuum). *Henricus* de *Gorkum*, s. *Gorichem*, et philosophica scripsit, et *conclusiones* et concordantias bibliorum et canonum in libros Magistri Sentent. saepius editas, cum articulis Magistri, qui Parisiis et in Anglia condemnati fuerunt; tractatum de superstitiosis quibusdam casibus; et varias quaestiones theologicas, praecipue

cipue contra *Huſſitas*. Io. Franc. *Poggius*, ex Aretino agro, pluribus pontificibus romanis a ſcriniis, praeter multa hiſtorica atque humaniores literas, de auctoritate et poteſtate pontificis et concilii ſcripſit; inuectiuam in *Felicem*, antipapam; *orationes* aliquot; epiſtolas, e quibus illam nominauimus, de morte *Hieronymi*, pragenſis, dialogum aduerſus Hypocritas. Ad eccleſiaſticos ſcriptores minori adhuc iure pertinet *Leonardus Brunus*, *Aretinus*; *Matthaeus Palmerius*, florentinus, et *Matthias Palmerius*, piſanus; iſtum ob librum *de angelis*, quod abiicere ſententiam nollet, quidam combuſtum ſcripſerunt, quod fatum liber tantum ſubiit. Anonymus S. *Dionyſianus*, quo ſerioris temporis hiſtorici francici meliores vtuntur, latine ſcripſit hiſtoriam *Caroli* ſexti, regis galliarum; quam gallice edidit cum hiſtoria *Ioh. Fabri*, le *Laboureur*; latine edidiſſet vtiliorem. *Hermannus Cornerus*, ordin. praedic. cuius non inutile eſt Chronicon. *Bernardinus*, Senenſis, ex nobili familia, ordin. minor. inter ſanctos relatus, quo honore nec legendarum, quae de eo feruntur auctoritas, nec *ſermonum* illa fere publica inſcitia, illum dignum facere potuit. S. *Catharinae*, bononienſis, *reuelationes* anno 1438 a domino ipſi factae, ſaepius excuſae ſunt, non ſine turpitudine Chriſtianorum. *Francisci de Platea*, itali, ordin. minorit. *ſumma* myſteriorum chriſtianae fidei, (ad ius eccleſiaſticum pertinens) aliquoties excuſa; merito indignatur *Oudinus*, quod Franciscanus monachus deſcripſit, quando coitus coniugalis poſſit fieri ſine peccato, et quando non. *Iohannes* Segouienſis, hiſpan. ſalmantic. profeſſor theol. auctor concordantiarum biblicarum, *vocum indeclinabilium*; et plurium ſcriptionum, ad concilium *baſileenſe* pertinentium. *Ambroſius*, florentin. abbas Camaldulenſ. ordin. cuius ſuperſunt libri 14 epiſtolarum, ſatis venuſtarum et vtilium; transtulit *Dionyſii* areopag. 4 libros; *Palladii* vitam *Chryſoſtomi*, quaedam ipſius *Chryſoſtomi*, *Baſilii*, et aliorum vetuſtiorum; etiam *Manuelis Calecae*, lib. 4. contra errores Graecorum.

Leo

Leonardi de *Vtino*, ordin. praedic. *sermones*, aliquoties excusi sunt; *Matthias Doringus*, e marchia prignitia; ordin. minorum, *Lyranum* defendit contra *Pauli*, burgens. additiones; auctor est etiam continuationis, quae Epitomae ex Speculo historiali Vincentii adiecta est, licet *Hermanno Schedelio* soleat tribui, qui tantum sua addit. *Ioannes Capistranus*, italus, ordin. minor. magnus per prouincias plures Sophista, *cruciatorum* exercitus etiam strenuus ductor, plures scriptiones reliquit, ad ius eius temporis ecclesiasticum pertinentes; multae in magno tractatu iuris habentur. *Ioannes Soreth*, correxit ordinem Carmelitarum; in regulam ordinis scripsit commentarium. *Maphaeus Vegius*, italus, Martini V. datarius, plurium scriptionum etiam ῥητόρων et theolog. auctor; de perseuerantia in religione; veritas inuisa et exulans; paraphrasin in 7 psalmos *poenit.* de vita S. Antonii, versibus &c. tomo 26 bibliothecae patrum maximae; officium S. *Monicae;* alia nondum edita, sed similiter parum salubria. *Alphonsus*, de *Spina*, orinopolitanus episc. ex Iudaeo, ordin. minor. auctor creditus *Fortalitii fidei.* *Aegidius Carlerius*, e *nauarr.* collegio, cameracensis decan. in concilio *basileensi* non ignotus, scripsit *sportam fragmentorum*, (insunt plura; de conseruatione bonorum ecclesiae; defensorium ecclesiae; de virginitate Mariae perpetua; contra *Iconomachos*, pro *caelibatu* ecclesiasticorum, &c.) *Sportulam* fragmentorum, (de electione Iudae proditoris; Hierarchia ecclesiastica; decimis; imaginibus; integritate confessionis; nonesu carnium, apud Carthusianos &c.) alia plura MSta, in collegio *nauarrico.* *Thomas Dorniberg*, *spirensis* aduoc. qui interfuit condemnationi *Iohannis* de *Wesalia*, collegit *Areolam*, ex suauissimis floribus B. Hieronymi. Guil. *Vorillon*, ordin. minor. commentar. seu collectaneum quaestionum in 4 libros sententiarum, aliquoties excusum. *Marchesinus*, e regio lepidi, ordin. praedic. auctor *mammothrepti*, (mammotrecti olim) seu dictionarii vocabulorum difficiliorum in bibliis, cum accentu &c. de mensi-

bus

bus Hebraeorum, vestibus, nominibus dei hebr. interpretibus SS. et eius diuisione; similem operam in *antiphonas* et *responsoria* &c. impendit; saepius excusum pudendum corpusculum, de temporis illius venustate testimonium perhibet. *Alanus de Rupe*, ordin. praedic. quem quidam *Rosarii* b. virginis, quod recitari precando solet, auctorem fecerunt; (hanc vero *fraternitatem* 1474 a magistro *Iacobo Sprenger*, priore *colon.* ordin. praedic. renouatam narrat chronicon ducum *Brabantiae*,) plura scripsit parum liberalis religionis adiumenta; de dignitate Psalterii Iesu et Mariae, editus est liber. *Ioh.* de *Beez*, ordin. carmelit. *praeceptorium* diuinae legis, seu commentar. in X praecepta reliquit, et alia nondum edita. *Dominicus* de dominicis, episcop. torcellanus, postea brixiensis, multa scripsit, quibus facile caremus, vt perspicimus ex *tractatu* de sanguine Christi, et filiatione Iohannis Euangelistae, ad beatissimam virginem. *Ioh. Hugo*, Scelstad. ord. praedic. contra *Anton* de *Rosellis* scripsit de papae auctoritate; et quadruuium ecclesiae, s. de officio 4 praelatorum, quibus omnis anima subiicitur. *Stephanus Brulifer*, ordin. minor. doctor *parisiensis*, scripsit *reportata* in 4 libros sententiar. S. Bonauenturae; de formalitatibus, identitatibus, distinctionibus, ad mentem *Scoti*, et plura eius generis saepius excusa. *Godeschalc. Hollen*, ordin. August. scripsit *praeceptorium*, seu sermonibus *decalogum* explicauit; quod opus aliquoties excusum (sermones 7, *Bonauenturae* opusculis falso additi olim fuerunt;). *Martinus des Maistres*, in collegio *nauarrensi* docuit; multa scripsit philosophica, et theologica; de consequentiis *in vera* diuinaque *nominalium* via; quaestiones morales; expositiones in orationem dominicam, aue Maria, salue regina &c. (*Anselmo*, lucensi, olim falso adscripta;) *Aeneae Syluii*, seu *Pii* 2, dialogi; Epistolae; Historia *bohem. Friderici* 3, concilii *basileensis* (quae libro vno carere videtur,) &c. lectu pleraque omnia semper digna. *Petri* de *Natalibus*, catalogus martyrum et sanctorum, olim non paruo

in

in pretio habitus, etsi satis ineptus. *Iohannis Rokyſana*, (qui 1436 aepisc. pragensis electus fuit) tractatus de 7 sacramentis et caerimoniis ecclesiae, seu traditionibus non scriptis, cum *Cochlei* historia Hussitica; videat. et *Lukawizii* scriptio (pag. 229.) et disputatio decani et capituli *pragensis* cum *Rockyzana* de *Hussiticis* controuersiis, habita per 5 dies, coram *Gyrzicone* seu *Georgio*, rege. Ioh. *Heroldi*, (*Discipuli* nomine plerumque insignitus;) de Eruditione Christi fidelium tractatus, seu *loci communes* (explic. decalogi, orationis domin. aue Maria, symboli &c.) *sermones;* speculum exemplorum. *Augustinus Patritius*, piccolomineus, (sub *Pio* 2 praecipue floruit,) editionem curauit *Pontificalis romani*, 1479 Romae; confecit summam concilii *basilecnsis*, *florentini lateranensis*, lausannensis; scripsit et *caerimoniale romanum*, 1488, quod Christoph. *Marcellus*, aep. Corcyrae, suo nomine edidit; (libr. 3, 13 insignis descriptio, fastus et arrogantiae Cardinalium, quorum quidam vel genubus flexis Episcopos ipsis loqui sinant, in mensa lauantibus mantile ministrare &c.) *Bonimus Mombritius*, mediol. magna fide collegit *vitas* et acta SS. 2 vol. fol. sub finem seculi excusa. *Christophorus Porsena*, romanus, *translationibus* e graeca lingua satis clarus; *Barthol.* (alii minus vere Baptistam) *Platina*, de vitis summorum pontificum opus conscripsit, vsque ad *Paulum* 2, (a quo male habitus fuit;) dedicatum *Sixto* quarto. *Bonifacius Simonetta*, histor. persecutionum christianarum et pontificum romanorum, vsque ad Innoc. 8. opus in sex epistolarum libros diuisum. *Petrus* a *Riuo*, louan. doctor, reliquit, praeter alia MSta, tres libros, *de anno, die et feria* dominicae passionis et resurrectionis, aduersus *Pauli* Middelburg. apologiam. *Hilarion*, natione graecus, ad *Latinos* transiit, *Veronae*, monachus S. *Nazarii* et *Celsi*, congregationis S. Iustinae, nunc cassinensis; e graeco *Damasceni* et *Dorothei*, Archimandritae, quaedam transtulit. *Matth. Bossius*, veron. ordin. Augustini, abbas Fesularum; eius *opera moralia* excusa sunt, et

Recu-

Recuperationes Fesulanae, seu variarum scriptionum collectio. *Werneri Rolfinck*, ordinis carthus. cuius fasciculus temporum olim eximie placebat, *paradisus conscientiae* et quaestiones XII pro theologiae studiosis; de sacramento Eucharistiae, et fructu missarum; tandem *Petri Numegen*, treuir. narratio hic non est omittenda, de gestis Archiepiscopi et Cardinalis, *Andreae*, Craynensis, in facto indictionis concilii, apud *Hottingerum* in histor. eccles. seculi 15. sect. 1. *append.* p. 355–604. Viderat ille *Andreas* publicam priuatamque illam malignitatem, quae religionem conscelerabat; *Bernenses* et *Basileenses* non obscuri erant fautores, vt *Andream*, ad concilium contra Papae tyrannidem prouocantem, lubenter passi fuerint. *Petrus* ille ipse se excusat, ob operam Cardinali antea fideliter praestitam; cum vero res aliter euenirent, non veretur eum publice contemnere, quasi parum sano cerebro vsum. p. 360. *Craynensis* instituti sui rationem reddit, miserum ecclesiae statum et papae apostasiam describit, tractandamque in *concilio* materiam, quatuor Conclusionibus proponit &c. *Andreas* hic igitur iis adhuc addendus, quos emendandis sacris publicis operam dedisse hoc seculo scimus. Ceterum iam discedimus a *latinis* scriptoribus, ad graecos; omisimus, dedito consilio, monachorum, licet non semper inutilia, multa commentaria historica, chronica, genealogica; vitas SS. philosophica scripta &c. quae commemorare aut recensere singula consilio nostro minus conueniebat, quam Indicum et catalogorum scriptoribus. Iam vero sententiam ferre licet, ex argumento et dote istorum librorum, de temporis illius malignitate, quae liberalem intelligendi, sciendi et docendi modum minime patiebatur, vt religio, si placet, vetustate et rituum duritie potius, quam emendatione mentis constare crederetur; quasi mentis liberalis indoles ad religionem admitti sine piaculo non posset.

Graeci scriptores.

Etsi *Graecorum* res hoc omni seculo vehementer conturbatae et deiectae fuerunt, deleto tandem isto imperio constantinopolitano: eruditissimorum tamen hominum et studia et decora non fuerunt obscura; eorum certe beneficio, qui in *Italiam* et alias sub occidentem solem prouincias e patria exules concesserunt, humaniorum literarum inter nos succreuit amor, quas ante istud *Graeciae* fatum plerique omnes, monachali foeditate impediti, ignorabant. Publico gentis huic infortunio etiam priuatae dissensiones, de rebus sacris si placet, accesserunt, ex *Florentino* illo concilio ortae, quo cum *graecis sacrum* quasi *foedus* initum fuerat. Auctoritate et claris auspiciis res omnis adeo caruit, vt iam reducibus ex Italia Graecis pax domestica turbata fuerit; propugnantibus aliis initam cum *Latinis* societatem sacram, aliis eam vehementissime auersantibus. Itaque nec commode a nobis coniungi hic possunt scriptores, qui in diuersas partes ipsi abeunt; *Graeci*, quos Latini solent, etsi minus recte, *schismaticos* appellare, et alii, qui *vnitorum* et *Latinizantium* nomine distinguuntur. Hunc igitur ordinem hic etiam sequatur recensio ista graecorum scriptorum, vt seiungamus *Latinizantes* a graecis, qui auitam sententiam tenere, quam Latinorum gratiam et fortunam aucupari maluerunt.

Graeci orthodoxi.

Per seculi fere tria decennia floruit *Symeon* (thessalonic. aepisc.) eruditione inter suos maxime clarus; quem *Possevinus* ingenti errore sexcentis annis ante vixisse putabat. Eius libros solebant antea e manuscriptis tantum excitare, *Morinus* (e. c. de VII sacramentis citat exemplar *Vaticanum*, ex quo partem de sacramento poenitentiae edidit;) *Turrianus*, *Goar*, *Ieremias*, patriarcha Constantinopolit. (ad Tubingenses responso,) &c. multa recenset *Lambecius* libro 5 comment. *Vindobon.* cod. 270 seq. alia habentur

bentur in bibliothecis Angliae, Galliae; pluribus de *Simone* egit *Leo Allatius* de Simeonum scriptis, qui et in isto opere, *de vtriusque ecclesiae perpetua consensione* eum non raro excitauit. Primus omnium R. *Simon* editionem operum huius scriptoris descripsit, in commentario longe vtilissimo, *critique* de la bibliotheque des auteurs eccles. *du Pinii*, (*Iassii*, in *Moldauia*, 1683 fol. minori inter nos rarissimam) tom. 1 pag. 401 seqq. additis frugiferis excerptis. Libro primo, qui dialogum aduersus omnes haereses continet, inter episcopum et clericum, cap. 19 seqq. etiam contra *Latinos* vehementer scribit c. 33 septem sacramenta nominat *septem dona* spiritus s. non male, dona scil. ecclesiastica ex auctoritate, quae inde a primis seculis non raro solet *spiritus sancti* nomine comprehendi, etc. Copiosius excerpsit vniuersum opus *Fabricius* in bibliotheca graeca, volum. 14 pag. 49. 105. Libri contra Haereses capita 32; inde de *sacramentis* 33–70. de sacro ritu S. vnguenti, 71–78. de sacra liturgia, 79–100. de templo et eius inauguratione, 101–155. de sacris ordinationibus, (omnibus officiis) 156–250. de poenitentia, 251–275. de honesto coniugio, 276–282. de sacro ritu sancti olei, *ευχελαιῳ*, 283–293. de sacra precatione (Psalmis, cantibus,) 244–359. de ordine sepulturae et pro memoria defunctorum, 360–373. Eiusdem expositio de templo, sacerdotibus, diaconis, episcopis, sacris stolis, et diuina Missa, ad pios *Cretenses*, qui hoc rogauerant, cap. 1–103. Eiusdem expositio *symboli* (contra Atheos, Iudaeos, Graecos, Arium, Manichaeos, etc.) c. 1–21. *Articuli* XII fidei, et de virtutum commendatione; eiusdem *responsiones* ad nonnulla quaesita Episcopi alicuius: (de angelorum apparitione; animae e corpore egressae an ab vno angelo aut pluribus aut nullis excipiantur; an aquae superiores sint; cur *Mahomedani* pueros rapiant; de indigni sacerdotis ministerio; de casibus ecclesiasticis variis; cur *mitram* gestet Romanus et Alexandrinus episcopus, etc. quaestiones 83. Eiusdem

de

de *sacerdotio*; *Marci*, *Eugenici*, Ephes. metropol. expositio officii ecclesiastici.

Matthaeus, patriarcha constantinopolit. sub initium seculi adhuc vixit; testamentum eius Mstum (1408) in bibliotheca *Vindobon.* *Lambecius* recensuit lib. 8. pag. 523 seqq. eiusdem etiam *hypotyposin* εις τε ἑαυτον και εις τους ὑπ' αὐτον ἐπισκοπους, και εις τον κληρον eccles. constantinopol. *Macarii*, metropolitae ancyrani, opus contra pravas latinorum opiniones, et contra Barlaamum, Acyndinum et eius sectatores, *Lambecius* idem recenset lib. 5; e quo *Mathusala*, monachus, Eclogas confecit, de quibus idem lib. 7. pag. 112; *Macarium* hunc, quod non miramur, *Allatius* parum laudat lib. 2. de ecclesiae occidentalis et orientalis perpetua consensione c. 18. *Iosephus*, Bryennius, monachus, anno 1420 adhuc vixit; habuit adversus Latinos de processione Spiritus S. orationes 18, seu de trinitate sanctissima; habentur Mstae in bibliotheca *Vaticana*; eas *Allatius* recensuit in allegato commentario, lib. 2. c. 18, et ex eo *Oudinus* tomo 3 pag. 2252 seqq. oratio *quinta*: fidem *per syllogismos* non demonstrari. Alibi habentur scriptiones eius aliae, de diuina energia et *de lumine Thabor*; etiam aliquot *orationes*. *Macarius* Macres, montis Atho monachus, tandem protosyncellus magnus, a *Ioanne* imperatore cum aliis legatis ad *Martinum* quintum missus, Latinorum hostis acerrimus; scripsit de Spiritu sancto, contra Latinos, capitibus decem, exstat in *Bodleiana* bibliotheca; recenset *Allatius* l. c. *Demetrius*, *Chrysoloras*, philosophus et astrologus, quem ex astris *Emmanueli* imperatori infaustam vnionem portendisse refert *Syropulus*, quam septimus Palaeologus, (Emmanuelis *filius Iohannes*) initurus esset. Eius λογον συνοπτικον contra *Latinos*, ex *Nilo* thessal. aepiscopo excerptum, recenset *Allatius*; supersunt etiam, licet nondum excusae, aliae scriptiones; dialogus contra *Demetrium*, *Cydonium*, qui scripserat aduersus *Nilum* Cabasilam, thessalon. Epistolae 100 ad imperatorem *Ma-*

nuelem; refutatio Epiſtolae ad ipſum miſſae per Papae legatos; Homiliae aliquot.

Marcus Eugenicus, Epheſi Aepiſc. homo eruditiſſimus, et ſtrenuus auitorum ſacrorum aduerſus *Latinos* defenſor; cuius ſcripta in bibliotheca *Vaticana*, *vindobonenſi*, *Pariſina* regia, et anglicanis, multa habentur; recenſuit quaedam *Allatius*; pleraque *Oudinus* tomo 3. p. 2343. ſeqq. *Fabricius* in bibliotheca graeca libro X. pag. 530 et Rich. *Simon* in critica du *Pinii* tom. 1. pag. 48. ſeqq. Orationes 2 de purgatorio, in concilio *Ferrariae* habitae (breuiores tamen, quam in aliis Mſtis) excuſae ſunt inter *orthodoxographa* 1551. et Lugduni batauor. anno 1595 per *Vulcanium*. In ſecunda autem *orthodoxographorum* editione omiſſa eſt illa ſcriptio, qua a Romanorum doctrina (*ſi ignem* exceperis) non ſecedit. Ex his ſcriptionibus haud dubie multam lucem illa cauſſa graecolatina accipere poſſet. Nec eius frater, *Iohannes Eugenicus*, diacon. eccleſiae patriarchal. et nomophylax, nominaretur; quem cum fratre et aliis e fuga reduxit *Syropulus* p. 151. 152. ſcripſit *Antirrheticum* aduerſus ſynodum *florentinam*, et aliquot orationes encomiaſticas in quosdam ſanctos. *Georgius*, *Gemiſtus*, qui ſe *Plethonem* etiam dixit, magnae eccleſiae *Rhetor*, philoſophicis et hiſtoricis ſcriptis clarus, aduerſus Latinos, in concilio *florentino* conſiliis non ſolum apud imperatorem, ſed et ſcriptis cauſſam graecorum adiuuit. Eum eximie laudat *Syropulus*; ſcripta recenſet *Oudinus* tomo 3. pag. 2351. *Fabricius* volum. X. p. 741 et *Allatius* de *Georgiis*. *Iohannes Caloides*, auctor canonis paſchalis ab anno 1430 – 1492 qui mſtus exſtat in bibliotheca *Vindobon* ap. *Neſſelium* tomo 2. pag. 178. *Gregorius*, metropolita theſſalonicae Symeonis 1429 ſucceſſor; eius libri 2 excuſi ſunt (cum *Orthodoxi refugio Londini*, in 8. ſine temporis nota) de *proceſſione Spiritus Sancti* aduerſus Latinos; dedicauit hos libros 4 patriarchis orientalibus, *Cyrillo*, Cpolitano *Geraſimo*, Alexandr. *Athanaſio* Antioch. et *Theophan*

Hiero

Hierosolym. manuscripti etiam supersunt *sermones* graeci. *Iohannis*, Hierosolym. patriarchae liber contra *Latinos* de *Spiritu Sancto*, quem *Allatius* etiam vidit; et de *Azymis*, disputatio cum latino philosopho; in bibliotheca vindobonensi et in Anglia, msta exstat. *Manuel Malaxus*, magnae eccles. rhetor, ex aduersariis *Gemisti*, distinguendus a juniore eius nominis scriptore (cuius est historia patriarchica in *Crusii* Turcograecia lib. 2. forte et *historia politica*, anonymi, quae libro 1. Turcogr. exstat;) scripsit refutationem X capitum fratris *Francisci*, ordin. praedic. (de processione Spir. S. azymis, purgatorio, primatu papae etc.) quae tantum non integra exstat in le *Moyne* variis sacris; contra *Plethonem* (qui ex gentilium sententiis scripserat) et Latinos de processione Spir. S. et quaedam alia minoris momenti, quae in bibliothecis *Angliae* etc. habentur. *Oudin.* tomo 3. p. 2408.

Syluester Syropulus, (Sguropulum scripsit *Creygthon*) magnus ecclesiarcha, vt ipse subscripsit concilio *florentino* post magnum ecclesiae Constantinopolit. chartophylacem et archidiaconum, auctor historiae synodi *florentinae*, hic ibi forte plus iusto vehemens, sed fide profecto satis dignus; licet *Allatius* exercitationibus aduersus Creigthonum Romae 1674. 4. multa in contrarium, mediocria pleraque, collegerit, eam historiam *Lambecius* libro 8 biblioth. vindob. codice histor. graec. 64. *Gennadii Scholarii*, monachi, nomine, recensuit, refutatus ab *Eusebio Renaudot.* Idem *Gennadii* aduersus *Latinos* de processione spiritus sancti tomum 2 descripsit ad *Ioh. Comnenum* trapezunti dominum, qui in bibliotheca regia parisina habetur, (falso *Oudinus* refert ad Sguropulum, qui haec tantum descripsit;) Ineptam telam exorsi fuerunt *Matthaeus*, Caryophilus et *Leo Allatius*, vt *Georgios Scholarios* eodem nomine et tempore duos persuaderent, aut tres, si duo fabulae omni non sufficiant; qua ratione euitarent molestiam, quae Latinis et Latinizantibus creatur *Georgii* et *Gennadii* vnius, qui *Gennadii* nomen in ministerio po-

ſtea, et patriarchali ſtatu geſſit, inſigni auctoritate. *Allatii* mira ſedulitas *du Pinium* et alios in eandem erroneam ſententiam induxit; errorem primus omnium *Rich. Simonius* refutare auſus eſt, in *reponſe aux objections* de M. *Smith*, quae reſponſio addita eſt libro, de la croyance de l'Egliſe orientale ſur *la tranſubſtantation*, pariſiis 1687. *Simonio* acceſſit *Euſebius Renaudotius*, e cuius diſſertatione et *Oudinus* multa exſcripſit et *Fabricius* in bibliotheca graeca volum. X. p. 343. Addendus adhuc ipſe *Rich. Simon* in critique de la bibliotheque de M. *du Piu* tom. 1. p. 439–450. Fuit in *Iohannis* imper. comitatu *Ferrariae* et *Florentiae*, licet *Laicus* adhuc, iudex imperialis; nec videtur, (licet non clare conſtet de hac re,) quia imperator rem volebat, abhorruiſſe ab vnione cum *Latinis*, vt auxilium ſuppeteret contra Turcas. Poſtea *Marcum Eugenium* (cuius epiſtolam μετανοιας teſtem primus edidit *du Cange* in gloſſario inſimae graecitatis,) ſecutus eſt, et multa ſcripſit aduerſus Latinos, eruditiſſime; allegat ipſe *Thomam*, *Auguſtinum* et alios patres. Niſi orationes, quae in concilii *Florentini* actis leguntur, *Georgii, Scholarii* nomen falſo prae ſe ferunt; quae ſententia *Friderico Spanhemio* placuit, in exercitatione hiſtorico theologica, *de perpetua in hunc diem diſſenſione eccleſiae graecae et orientalis a romana et papali*. *Gennadius* anno 1453 *Muhammedis* iuſſu patriarcha factus fuit; orationem ſeu diſputationem celeberrimam habuit cum Sultano, quae graece, latine et *turcice*, (interpres fuit Achmet, Cadi Berrhoeae,) graecis tamen characteribus, edita eſt. Tandem, venia a Sultano impetrata, abiit a patriarchatu, quod narrat *epiſtola*, quam τοις πανταχοῦ πιστοις ἐν Χριστῷ inſcripſit; vitam vltra annum 1460 videtur protraxiſſe. Ex libro ορθοδοξου καταφυγιον, dedit *Simonius* excerpta, in *critica* du Pinii, ex quibus conſtat, Gennadium eruditum et in *Auguſtini* lectione ſatis verſatum fuiſſe. Hic liber 2 tomis in 8 in Anglia per graecos aliquot editus fuit; ſed, quod monuit, R. *Simon*, ſatis mendoſe, vt ipſe Mſti.

in

in regis Gall. bibliotheca, collatione reperit. Multa ex eo refert *Simonius*; cap. 7, illustrat *Gennadius Cyrilli* docendi modum, qui ad *Latinorum* docendi modum videtur accedere, et defendit *Theodoretum* &c. Eius adhuc *Laici epistolae* Mstae habentur 16 in bibliotheca regis Gall. cod. 2955. sed sine notis temporis. *Orationes*, quas *Florentiae* scripsisse creditur, suspicione non carent; incerta est etiam *apologia* pro quinque capitibus *Florentini* concilii, quae graece, etiam *latine* aliquoties edita, in graecobarbaram etiam linguam traducta fuit a Ioh. Matth. *Caryophilo*; varias *orationes* et Homilias scripsit; de Eucharistia Homilias edidit *Renaudot* paris. 1709. in 4. (quibus istas de *vnico Scholario* &c. obseruationes adiunxit;) *Expositio fidei* coram Muhamede imperatore, et copiosior et breuior habetur; aliquoties edita est. Contra Iudaeos *dialogum*; collectionem luculentiorum de Christo prophetiarum; contra *automatistas* et Helleniſtas; disputatio de diuinitate Iesu Christi, cum 2 Turcis primariis; lex euangelica in compendio, capitibus 40. de prouidentia et praedestinatione, (hanc graeci non agnoscunt;) ad *Iohannem* aep. Thessalon. *quartum* de hoc argumento scripsit ad magnum oeconomum, Theodorum; porro, quod non sit *precum* nulla vtilitas, licet sit προορισμος. de dominico et diuino sanguine; de angelis, contra Argyropulum; solutio diuersarum euangelicarum ἀποριων. de tempore et modo animarum; de statu animarum post corporum solutionem, ad confirmationem scripti cuiusdam, *Simeonis* thessalonic. de libro *Gemisti*, et contra graecam πολυθειαν. Orationes quaedam funebres; contra καινοτομιαν της πιστεως. de igne purgatorio, λογοι 2. summaria responsio ad latinas obiectiones de πυργατοριω, tomi 2 de processione Spiritus S. contra Latinos; secundum descripsit Syropulus, viuo Gennadio. Porro Dialogus copiosior aduersus Latinos (*Thomistas* et *Scotistas*) de processione Spir. S. (processionem seu χρονικην προοδον spiritus sancti ad filium referri ab ecclesia catholica, docet;) Epistola argumenti ecclesi-

aſtici ad *Maximum* monachum, qui *Sophianus* antea dicebatur; iſta potiora tantum notauimus, omnia recenſuit *Fabricius*. Ceterum paulo ante, in *Syropulo* iam obſeruabamus, falſo *Lambecium Gennadio* tribuere hiſtoriam concilii *Florentini*, quae eſt Syropuli, vt *Renaudotius* iam vidit. *Camariota*, rhetorices magiſter conſtantinopoli, captae vrbi 1453 interfuit; de iſta clade ſcripſit *epiſtolam*; auctor etiam commentariorum in *Syneſii* epiſtolas; Epitomae hetorices ex Hermogene; (differt ab illa, quam *Hoeſchelius* edidit Auguſtae vindel. 1595. 4. cui ex coniectura *Matthaei* huius nomen inſcriptum fuit;) aliquot hymni etiam ſeu ſacri carmina iambica. Nicolaus ὁ Σκλεγγιας, ſcripſit circa a. 1430 aduerſus *Latinos* librum de *proceſſione* Spiritus Sancti, e quo *Allatius* quaedam protulit; eum *Eſaias*, *Cyprius*, in epiſtola oppugnauit, ap. *Leon. Allatium* de perpetuo conſenſu lib. 2. cap. 18; qui et ex *Sclengiae* reſponſo aduerſus *Eſaiam* quaedam produxit.

Hiſtorici graeci.

Michael Glycas, quem *Voſſius* et alii ſeculo 12 adſcripſerant, per *Allatium*, *Oudinum* &c. huic 15 ſeculo recte redditus fuit; auctor *annalium* quadripartito sum; argumenti theologici et phyſici non minus, quam hiſtorici; excuſi ſunt iſti annales in corpore *byzantino* Superſunt in bibliothecis *Italiae*, Angliae, *Germaniae* multae epiſtolae (quae male *Zonarae* nonnumquam tribuuntur,) theologici argumenti, et variae ſcriptiones εἰς τὰ ἄπορα τῆς γραφῆς, de proceſſione Spiritus S. &c. qua an differant ſemper ab epiſtolis, nondum omnino conſtat Epiſtolas 50 et alibi 64 recenſet *Lambecius* lib. 4. biblioth *Vindobon.* Io. *Lami in deliciis eruditorum* plurecarum edidit. *Georgius Phranzes*, protoueſtiarius, legationem obiit ad *Amuratem* 1450; chronicon ſcripſit quod *latine* tantum, nec id integrum, ſed multis reſectis edidit *Iacobus Pontanus* Ingolſtadii 1604. 4; nec graecu

textu

textus in corpore *byzantino* accessit, licet in bibliothecis aliquot exstet. Cum res sui temporis praecipue describat, operae pretium erat, nos de bona operis fide non dubitare posse. Habuit *Allatius* aliud chronicon breuius, ab a 1402 ad annum 1477, sed ignoratur, vtrum a *Phranza* an ab alio in compendium hoc redactum sit. Vid. *Allatius* de *Georgiis* et eorum scriptis diatriba paris. 1651, auctius recusa in *Fabricii* bibliotheca graeca tomo X. p. 553. seqq. *Georgius Codinus*, curopalata, patria constantinopolitanus, hoc seculo, quod iam certius scimus, floruit; meminit enim excidii vrbis; scripsit de *officiis aulae*, *seu palatii et ecclesiae constantinopolitanae*, editio, quae *Franc. Iunii* nomen prae se fert, satis inuenusta; melius excusus est cum *Gretseri* notis, in corpore *byzantino*, quod etiam Codini excerpta de antiquitatibus *constantinopolitanis*, cum P. *Lambecii* notis, complectitur, cum aliis eiusdem argumenti partibus, quae iam antea lucem viderant, cum *Ioh. Meursii* notis. *Iohannes ex Ducarum* insigni familia, auctor historiae *byzantinae*, a Ioh. Palaeologo (1431) ad *Mahmetum* 2, (1462); a mundo etiam condito res breuissime designauit; excusa est cum *Ismael Bulialdi* translatione eiusque notis, in corpore byzantino. *Laonicus chalcondylas*, seu chalcocondylas athenienſis, scripsit *de origine et rebus gestis Turcarum*, ab a. 1300 ad a. 1463. post alias editiones in corpore *byzantino* cura *Caroli Annib.* Fabroti, Icti, edita est.

Graeci uniti, seu Latinizantes.

Andreas de *Petra*, Rhodi seu Colossensium aepiscopus; ex ordine dominicanorum; *Eugenii* legatus ad concilium basilienſe; in *Florentino* concilio vnionis maxime studiosus, XXII collationibus graecorum cum Latinis fere cunctis interfuit; exstat etiam dialogus inter *Andream* et *Marcum Ephesium*, in vaticana bibliotheca. *Gregorius*, melissenus, protosyncellus, et post *Iosephum* mortuum, (remoto *Metrophane*, vt *Phranza* narrat,

lib. 3.) patriarcha conſtantinopolit. vnionis praecipuus promotor; contra quem multa narrat Syropulus. Scripſit aduerſus *Marci Epheſini* Epiſtolam, quam omnibus Chriſtianis inſcripſerat, *apologiam* pro ſynodo florentina, (in actis concilii exſtat;) alteram apologiam; epiſtolam ad *Alexium Comnenum*, trapezunti imperatorem, de proceſſione Spiritus ſancti, pro latinis. (exſtat in *Allatii* graecia orthodoxa tomo 1.) Huius etiam *Gregorii*, non *Georgii Scholarii*, eſſe videntur *orationes* 3. ad concil. florentinum, et *epiſtola* ſeu oratio (4ta) ad epp. orientales, pro vnione ineunda; eius certe *Georgii Scholarii* eſſe vix poſſunt, ob turpem adulationem, cuius tantam conſuetudinem iam contraxiſſe ille *Georgius* vix poterat; vid. *Wharton* ad Caueum, et *Creyghtonum* in praefatione ad *Syropulum*. Quaedam Mſta nomen *protoſyncelli* addunt *Georgio*; vnde facilius patet, errorem admitti, cum *Scholarius* ea dignitate non functus ſit. *Gregorium* hunc tandem graeci eiecerunt; itaque *Nicolaus* 5. epiſtola ad *Conſtantinum* palaealog. 1451, poſtulabat, vt eum loco ſuo reſtitueret. *Georgius*, *Trapezuntius*, cui *Beſſarion*, *Nicol. Perottus* et alii, hoſtes infenſi exſtiterunt, nonagenarius 1486 mortuus, translationibus e graeca in latinam linguam praecipue de ſua aetate bene meruit; tranſtulit *Cyrilli* in Ioannem commentarios; eiusdem *Theſaurum*, ſeu de trinitate libros 14, ſed ordinem operis multum immutauit; (hic breuiter admonemus, in pluribus Mſtis hunc theſaurum *Athanaſii* nomen gerere; eius tamen profecto non eſt; licet ea fere omnia, quae in *Athanaſii* orationibus contra *Arianos* exſtant, in hoc theſauro, ſed varie, et meliora, legantur. De ea re vid. partem 2 libelli hiſtor. Sammlungen von den Beweisſtellen A. T.; erſter Abſchnitt p. 222. ſeq.) multas *Chryſoſtomi* homilias; *Gregor.* nyſſeni de viſu Moſis; *Baſilii* libros contra Eunomium; *Euſebii* de praeparatione Euangelica libros 14, *Nicolao* 5 dicatos; ſed parum ingenue egit; detraxit enim multa, capita etiam, et librum poſtremum; (ſentibus, tuo iuſſu, *Nicolaum*

laum alloquitur, amputatis;) alia ex Aristotele, Ptolemaeo, omittimus; translatio historiae Barlaam et Iosaphat, eo est antiquior. *Latine* scripsit multa, quae fere ad humaniora pertinent; in illud Iohannis XXI, sic eum volo manere, ad *Sixtum* 4, (Iohannem Euang. adhuc viuere); ei respondit *Bessarion*, qui et aduersus calumniatorem *Platonis* (hunc Georgium) scripsit. Epistola graeca ad *Iohannem*, palaeologum; qua eum ad synodum *florentinam* pellicere tentauit, neglecta *Basilien-sium* auctoritate; contra graecos, de processione Spiritus S. ad Iohannem Cubuclisium, apud *Allatium* tomo 1. graeciae orthodoxae; *Epistolam* eiusdem ad monachos *Cretenses*, de eodem argumento, idem *Allatius* edidit; de aliis vid. *Allatium* de *Georgiis* et ex eo *Oudinum* tomo 3. pag. 2401 seqq. *Bessarion*, (in cuius laudem B. *Platinae* oratio legitur apud *Bzouium* ad annum 1472), monachus S. *Basilii*, aepisc. nicaenus, graecae ecclesiae antea strenuus defensor, inde Latinorum a partibus, primus e graecis latinam Cardinalis dignitatem ab *Eugenio* 4. 1439 meruit, et patriarchae constantinopolit. titulum a *Pio* 2; *Sixti* 4 legatus in *Galliam*. Scripsit graece, orationem de *vnione* ineunda, et aliam dogmaticam, exstant in Actis concil. Florentini; contra *Marcum Ephesium*; Epistolam ad *Alexium* Lascarin, de successu florentinae Synodi, quam et latine interpretatus est; aliam versionem *Petrus Arcudius* dedit, in *opusculis* theologicis Romae 1630 et 1671; idem *Bessarionis* Apologiam pro *Vecco*, aduersus graecorum responsiones de processione Spir. S. et eius epistolam encyclicam ad graecos ecclesiae Cpolitanae subiectos; eius etiam responsionem edidit ad 4 argumenta *Maximi Planudis*, de processione Spiritus S. *Plura* adhuc Msta habentur, *epistolae* plures; de primatu papae; explicatio de trinitate; professio fidei contra omnes haereses, capitibus 21. de Eucharistia, quod per verba Christi fiat consecratio, aduersus *Marcum Ephesinum*, cuius scriptum exstat in *Liturgiis* paris. 1560 fol. *Latine* habetur

tur in biblioth. patrum maxima tomo 26. *Latine* ſcripſit libros 4, contra calumniatorem *Platonis*, (venetiis 1503. 1516 fol.) adhaeret, de natura et arte, et correctio in translationem librorum *Platonis* de legibus, quam dederat *Georg.* Trapezunt. orationes 4 ad principes Italiae, de periculis Italiae poſt Hydruntum expugnatum (in *Reusneri* orat. turcicis volumine 2.) declaratio eorum, quae in oratione dogmatica Latinis minus nota ſunt, quam graecis; (apud *Harduin* tomo 9. pag. 374.) de proceſſione Spiritus Sancti, ad Paulum 2; de errore paſchatis, ad eumdem; epiſtola ad *Chriſtoph Morum*, principem venetorum, 1469, qua bibliothecam ſuam legat templo S. Marci, habentur iſta Mſta in biblioth. S. Marci. E graeco vertit, libros IV *Xenophontis* de dictis et factis *Socratis;* libros 14 metaphyſicos Ariſtotelis; *Theophraſti* metaphyſica &c. *Ioſephus*, Latinorum in vrbe *Methone* episcopus; ſcripſit contra *Marcum Epheſium*, ad defenſionem dogmatis, de proceſſione Spir. Sancti; (Habetur in *concilio*; in Mſto *Ambroſiano*, *Iohannis Pluſiadeni* nomen ſcribi narrat *Allatius;*) nempe idem eſt homo, qui aepiscopus *Ioſephi* nomen adſumſit. Auctor etiam eſſe videtur (*Oudino* tom. 3. pag. 2424.) *Apologiae*, pro quinque capitibus Synodi florent. (de proceſſione Spir. S. de ſacrificio in Azymo; de purgatorio; de fruitione ſanctorum et primatu papae) quem librum olim *Gennadio* perperam tribuere ſolebant; editus fuit latine, Dilingae 1581. 8. Graece, Romae 1577. et lingua graeca barbara cum latina translatione. *Ioſephi* dialogum de differentiis inter Graecos et Latinos, edidit *Allatius* tomo 1. graeciae orthodoxae p. 583 ſeqq. idem ſermones *quadrageſimales* eius excitat, vulgari lingua graeca ſcriptos; eius *antirrheticum* ſecundum, contra *Marcum* Epheſinum, allegat *Nic. Comnenus*, in praenot. myſtagogic. *Theodorum Gazam*, patria Theſſalon. inter Graecos vnitos referre licet, cum *Nicolai* 5 epiſtolam ad imperat. *Conſtantinum*, palaeologum vltimum, transtulerit in graecam linguam; exſtat

inter

inter *Petri* Corcyraei, aurea opuscula, Rom. 1630. 4. In *Italiam* traiecerat ob *Turcarum* infesta arma; *Bessarion* ei prospexit de sacerdotio in magna Graecia; ducis Ferrariensis in eum exstitit maior beneficentia, quam *Sixti* 4. Scripsit multa, licet praecipue humaniores litteras adiuuerit; libros 4 grammaticae graecae; de mensibus atticis; ad *Franciscum Philelphum* epistolam, de origine Turcarum; exstat et latine in *Allatii* Συμμικτοις. e latino graece vertit *Ciceronis* librum de senectute, et somnium *Scipionis*. e graeco autem *Aristotelis* histor. animal. de partibus animalium; problemata; *Theophrasti* histor. plantarum; *Aeliani* de instruendis aciebus; Homilias 5 *Chrysostomi*, de incomprehensibili dei natura; &c. *Georgius Hermonymus*, s. *Charitonymus*, Spartiata, a *Sixto* 4 in Britanniam magnam missus fuit ad liberationem *Vrouici* (Ιοφκης) episcopi. Hic et e graecis quaedam vertit, et decem capita scripsit de diuinitate Christi; edidit Ioh. *Voegelinus* Augustae vindel. 1608 in 8 cum quibusdam aliis *Cyrilli*, *Damasceni* et *Pselli*; vid. *Allatium* de *Georgiis*; ex eo sua habet *Oudinus* tomo 3. p. 2608. Hic *Georgius Parisiis* graecae linguae docendae facultatem petiit, qua cum stipendio vtebatur ante ipsum *Gregorius Typhernas*; *Reuchlinus* in *rudiment. hebraicorum* praefatione fatetur, huic se *Hermonymo* graecae linguae debere notitiam, (quam *Parisiis* sibi acquisiuit). In eadem vrbe e graecis exulibus, *Tranquillus Andronicus*, dalmata, et *Ioh. Lascaris* idem docendi munus postularunt. *Gregorius* protosyncellus, et patriarcha constantinop. 1445 — 1453, scripsit aduersus epistolam *Marci Ephesini*, pro latinis; et quinque capita in defensionem concilii florentini, quae *Petrus Arcudius* edidit (in concordia vtriusque ecclesiae de sacramentis, lib. 2. c. 15.)

Tabula

Tabula chronologica copiosior.

Christi.

1401. *Rupertus*, palat. dux Bauariae, Wenceslao opponitur rex Rom. Emmanuel 2 imperatoris Constantinop. annus 18. Tamerlan, s. Temir Can, in Syriam mouet. Bellum *abbatiscellanum* incipit, quod per annos 7 durat. Praelati quidam et Barones Hungariae *Sigismundum*, qui aliquot capita suppliciis subiecerat, custodiae tradunt. *Dalmati* ad neapolit. *Ladistaum*; alii ad *polonum*, alii ad *Albertum*, austriacum, regnum deferunt. (*Pray* annales regum Hungar. parte 2. lib. 4.) Commissio *Thomae* aep. cantuarienſ. super *Lollardia*. Presbyter Wiclefita apud *Smithfield* combustus. *Bonifacius* IX et *Benedictus* XIII variis artibus parti suae augendae student. Academia Cracouiensis conditur, magistri *Parisiis* arcessuntur. *Maria* Iuliacensi mortua, ducatus ad fil. *Wilhelmum*, ducem Geldriae, deuoluitur.

1402. *Walsinghamus* hoc anno *Lollardorum* doctrinas recenset satis luculenter; quaestio contra aliquot ciues Londinenses haereticos; non pauci ob metum *Anglia* exeunt. Synodus *Londinensis* ob collationem publicae pecuniae. *Baiazethes* a *Tamerlane* victus et captus. *Rupertus* rex rom. aduersus Ioh. *Galeatium*, quem *Wenceslaus* nuper ducatus honore auxerat, minus faustum consilium capit. *Wilhelmo*, Geldriae et Iul. duci succedit frater *Reinaldus*. Tolosana academia scribit ad *Carolum 6*, ne audeat sententiam ferre de Benedicto, (qui ex arce *auenionensi* aufugit;) in causa scil. ecclesiastica; respondet academia *parisina*, vid. *Bulaeum* tomo 5. p. 4. seq. Haeresis *Wiclefi* etiam per *Vandaliam* dispersa; *Kranzius*. Huius anni cum Augusto incipit *Hegirae* annus 805.

1403. *Wenceslaus* Wiennam abductus e carcere paulo post elabitur; *Dubrau*. *Sigismundus* fit gubernator *Bohemiae*. *Bonifacius* fauet *Ladislai* neapolit. caussae, in Hungaria, per legatum; cum *Florentinis* foedus init aduersus Mediolanensem, qui *Bononiam* etiam acceperat. *Parisiis* longa contro-

Christi. 1403. trouersia de *subtractione* et *restitutione* obedientiae; tandem restituitur Benedicto, *Bulaeus* p. 56. seqq. Bella inter *Solimannum* et fratres, Baiazethi filios. *Hussius*, qui reginae *Sophiae* a sacris fuit, et alii, non obscure aduersus cleri pontificii malignitatem loquuntur. *Antwerpia* ad Brabantiae duces titulo marchionatus accedit. *Mulier aquatica* ab Emdensibus capta et *Harlemi* aliquamdiu educata. *S. Oriens* cultus in dioeceſi *Genuenſi*; in *Lauſanenſi* ruſtici ſolem adorabant. De *Apulia* bis per annum *Waldenſes* ſacri miniſtri ſolebant varia loca viſitare, triginta iam annis nemo alius praedicauerat religionem; *Vincentius Ferrar.* narrat apud *Raynaldum*.

1404. Bonifacio ſuccedit *Innocentius* 7, cardinalium romanorum diuitias recenſet *Langius* in chronico cizenſi, ex *Engelberti Wuſtewiz*, brandeburg. clerici, chronica marchica. Aep. *Eboracenſis* decimam concedit regi angliae. Cantuar. aep. iis ſe opponit, qui aerarii regii inopiam ex eccleſiaſticorum opibus ſubleuare ſuadebant. *Philippo*, burgundo, *audaci*, ſuccedit fil. *Iohannes*; *Alberto*, bauar. duci et comiti Hollandiae, ſuccedit filius *Wilhelmus*, qui *Margaretham*, burgundam, duxit. *Ladislaus* neap. relicta Hungaria, licet iam coronatus, *Romae* inhiat, parum gratus in Innocentium. *Iacobus*, mag. et *Conradus*, ex Anglia Pragam profecti, ibi profeſſores fiunt; *Huſſi* quidam diſcipuli Heidelbergam, Coloniam, Pariſios, in academiam miſſi, poſtquam de *Wiclefo* teſtimonium academiae *oxon.* lucentum allatum fuerat. Capitulum prouinciale *Wismariae*, praeſente *Alberto*, Suecorum, Gothorum Obotritorumque rege. Non deſunt vel mulieres, quae purgatorio et indulgentiis non crederent, *Roſtochii* &c. pactum *Alberti* et reginae *Margarethae* renouatum, *Pontan.* Vniuerſitas *pariſina*, cum cauſam contra Carolum Sauoiſy ageret, allegorizat thronum Salomonis; 6 gradus, virtutes; 12 leones, 12 pares Franciae &c. *Bulaeus* pag. 97. Tamerlan vrbem *Genuenſium* Caffam, occupat; e qua *miſſionarii* ſacri ſolebant ad *Scythicas* gentes commeare.

Ioh.

Christi. 1405. Ioh. Edward de *Brygton*, *Lincoln.* capell. abiicit haeresin Wiclefi. Epistolae *Innocentii* et cardinalium ad acad. parisiensen *de cessione* &c. Bulaeus p. 114. seqq. *Innocentius* ad imperatorem constantinopolit. scribit, de praedicanda cruce contra Tattaros; *Benedictus* 13. Genuam venit; adjutus a rege Galliae, ibi suscipitur vt pontifex; huic et *Wenceslaus* adhaesit. *Pisanus* principatus Florentinis venditur. *Carolus* 6 miseram vitam trahit; dissensio inter *Iohannem*, Burgundiae, et *Ludowicum*, Aureliae, duces, ob procurationem regni. Atroces turbae in Anglia; inter conjuratos aduersus regem aep. Eborac. per carnificem occiditur. *Veneti* Vincentiam, *Veronam* &c. occupant. *Simeon Osterholdt*, litaniam SS. correxit, sed male ei cessit temeritas, annal. *corbej. Thimo*, episc. *Misnens. Ruperti* regis antea legatus, primus misnensium epp. addit titulo, *dei* et apostol. sedis gratia. *Fabric. Adolphus*, dux montensis, qui patrem et matrem eiecerat, proscribitur. *Iohannes* de *Arkel*, eiicitur a *Wilhelmo*, Hollandiae comite, terris suis.

1406. Pacatis turbis *Innoc.* Romam redit, *Academiam* ibi instaurat, omnium facultatum, etiam graecae linguae, doctoribus promissis; in fratres *columnenses*, qui Antipapae fauebant, fert sententiam, et *crucem* edicit. Epistola acad. *Tolosanae* pro Benedicto publice conburitur; *Bulaeus*; *Ladislaus* vrbem inuadit; pacem cum Papa init; *vexillifer* romanae ecclesiae. Rex *Castellae Henricus*, moritur; succedit *Iohannes*, *Ferdinandi* benuolentia. Annatae et primitiae in Gallia tolluntur, contemta omni, quae forte opponatur, excommunicatione; *Bulaeus* pag. 127. seqq. *Parisiis* concil. prouinciale; in quo *neutralitas* proponitur et prouocatio ad concil. generale; Christum esse caput ecclesiae. Subtractio obedientiae publice prodita; hoc et seq. anno. *Gregorius* XII. succedit *Innocentio*; papae duo litteris se ipsi lacerant. *Otto*, ep. mind. regalia a *Ruperto* accipit: ingentes turbae ob nouum episcopum; chronic. *mindense*. *Fridericus*, burg-

Christi. 1406. burggrav. norimberg. socius episc. Wurzburgensis, obsidet *Rotenburgum.*

1407. Hegirae 810 d. 7. Iunii. *Carolus*, Rex Galliae, *Ludouicus*, Siciliae, atque alii duces multi &c. consulunt publico scripto, vt vterque papa loco cedat; leges colloquii, de quibus conuenerat, recenset Theod. *Niem*; studiosissime tricantur ambo papae. *Ladislaus* vexilla ecclesiae contra ecclesiam vertit; *Gregorius* admit ei beneficia. *Leodienses*, electo *Ioanne* designato, *Theodoricum*, qui *Benedicto* fauet, intrudunt; inde cruentae turbae. Dux *Aurelianensis* ab 18 sicariis occisus per Burgundum; quod conjugem de stupro appellasset; hunc *Ioh. Paruus* defendit. *Nicol.* de *Clemangis* se defendit super bulla excommunicationis, *Bulaeus* pag. 154. Ibid. pag. 158. seq. processus contra Bullam *Benedicti*. *Gregorii* litterae ad expeditionem in Turcos, *Arianos*, Manichaeos per Sigismundum. *Wilhemus*, marchio misniae, Landgr. Thuring. palatinus Saxon. moritur.

1408. Hegirae 811 d. 27. Maii. Papa alter alterum accusat; *Ladislaus* Romam occupat, Benedicti et genuensium consilia antevertens. *Neutralitas* in Gallia promulgata, et cardinales rogati per regem et academiam, vt schismati finem imponant, Portitores bullae benedicti signis papae gentilibus, *mitris papyreis*, appictis, in pompa ducuntur. *Bulaeus* pag. 162. seq. Aduisamenta *parisina* super prouisione beneficiorum, *Bulaeus* p. 175--184. Cardinales a *Gregorio* deficiunt; hic nouos creat; illi litteras edunt publice, quibus *Gregorio* multa obiiciunt; ad *concilium oecumenicum* publice prouocant; in ciuitatem *Pisanam* in annuntiat. *Mariae* ecclesiam ad *concilium* conuocant. *Pasquinus* litteras *Satanae* ad papam prodit, quibus iuramentum eius soluitur. *Leodienses* magna clade affecti. *Sbinco* aep. pragensis, synodum contra *Hussum* coegit, 45 articulis *Wiclefii* et hic damnatis. *Sigismundus* ducit *Barbaram*, comitis Cillejae fil.

1409. Hegirae 812. d. 10 Maii. Initium *concilii pisani*, d. 25. Martii; in eo foedus *Ludouici*, andegau. cum Florentinis, Pisanis, Bonon. contra Ladislaum. *Gregorius* frustra *Flo-*

Chriſti. 1409.

ventinis ſcribit, legatos mittit per *Hungariam*, *Poloniam*, *Angliam*, *Germaniam* &c. *Ruperti* oratores cauſam *Gregorii Piſis* agunt. Hoc generale concilium iudex cauſarum omnium, quae ad pontifices pertinent; plura accuſationum capita aduerſus vtrumque pontificem, articulis 37. *Alexander* 5 nouus papa, iſtis oppoſitus; (eius Bulla pro *mendicantibus* turbas excitat in Gallia, *Bulaeus*, p. 196. ſeqq. reuocatur p. 204.) diſputationes variae apud Theodor. *Niem* extant; (eas inter pro Benedicto adfertur locus falſus ex *Cyrilli* theſauro; de iſta fraude vide *Launoii* Epiſtolas.) Fundatur collegium *Remenſe*; Gregorianae *ſynodi* vanum inſtar in ciuitate Auſtriae; Benedictus *Perpignani* habet; ſtudium generale *Lipſiae* conditur per nationes pontifici *romano* addictas, (quae *Praga* eiiciuntur,) liberalitate *Friderici*, miſnens. *Alexander* 5. priuilegia dedit. Praga exierunt plures 2400 ſcholares. Ioh. *Huſs* prouocat ad *Alexandrum* 5, melius informatum. *Per* epiſc. *Conſtantienſem Burghinus*, fraticellus, ſeu Begardus, qui nouum ſtrictiſſimum viuendi genus inſtituit, ſed inobediens fuit, combuſtus eſt. *Ladislaus* laderam et ius in *Dalmatiam* vendit *Venetis*. Bellum *baſilienſium* contra Catharinam, burgundam, *Leop.* Auſtrii coniugem.

1410. Hegirae 813 d. 6. Maii.

Ruperto mortuo (in obedientia Gregorii) electorum maior pars *Sigismundum* ſufficiunt; Mogunt. et Colonienſis *Iodocum* Morauiae March; poſt eius mortem hoc adhuc anno ab omnibus iſte agnitus. *Martino* Arragoniae ſucceſſit nepos ex ſorore *Ferdinandus*, regum iſto ſeculo celeberrimus. Bellum inter cruciferos *Pruſſiae* et Polonos crudele. *Alexandro* ſuccedit *Iohannes* 23; cui *Sigismundus* adhaeret. Comitia *pariſiis* omnium ordinum; ad quae legati pontificis acceſſerunt, de decimis, vacantiis &c. ſed fortiter obſtitit vniuerſitas; ei igitur varia priuilegia indulſit papa. *Iacobus* (per contemtum *Iacobellus*) de Misna, Myſa, a Petro Dresdenſi monitus, *vtramque* ſpeciem in caena porrigit; *Petrus* in Misniam rediit, aliquot locorum ludimoderator;

Christi. tor; auctor hymnorum (*introitus* vocabant,)
1410. latinogermanicorum.
1411. *Gregor.* dat iis indulgentias, qui cum *Carolo* Mala-
Hegiræ testa contra Iohannem 23 crucem assumant; in di-
814. d. oeceſi *Colonienſi* et *Venetis*, qui velint, dat li-
25 Apr. centiam, eligendi *confeſſorem*, etiam in casibus episcopalibus; omnes a principum, qui ipsi non parerent, obsequio liberat. Oriuntur monachi *montoliuienſes*; seu *albati*, qui vitia eccleſiasticorum non tacent. *Iohannes* 23 aduersus Ladislaum, *Ludouicum* andegav. et alios concitat, decimis largiter conceſſis, et vexillis conſecratis, et bello sacro edicto per omnem christianum orbem; quod in *Bohemia* et apud bonos inuidia non caruit. *Ludouicus* in Galliam redit; abiecto consilio de regno neapol. Tres Pragae occisi, qui indulgentiarum praeconibus se oppoſuerant; hi *martyrum* loco habiti. Romae *Iohannes* 23 concilium indicit; et expeditionem sacram contra *Granatenſes*, *Mauros*; sed a *Benedicto* Ferdinandus maluit Siciliae et Sardiniae regnum accipere. Belli inter Aurelianenſes et Burgundum ducem initium. *Francisca*, vidua *romana*, et puer filius, caeleſtibus raptibus inclaruerunt. *Aegidius* Cantor, jeiunia et vanas caeremonias abiicit; *Guilhelmus* de Hildesheim, merita sanctorum, prae Christo, cuncta spernit; *hominum intelligentiae* secta dicebatur; ab eo tempore ad seculum 16 similes sententias transiiſſe recte annotauit *Raynaldus*. *Friſii* in libertatem vindicantur. *Iudaei* per Misniam, ob impoſturas, ingenti pecunia mulctantur. *Philippus* de Caſſela, chronici *pyrmontani* auctor detulit illud mindensi episcopo. Deputantur a consilio regio Francico *Laici*, qui inquirant in vitam inhoneſtam monachorum Benedicti in patria *occitana*; aepiscopi narbon. et toloſ. fruſtra synodum conuocant, excommunicaturi commiſſarios. (Hiſtoire de Languedoc. tom. 5.)
1412. Hegiræ 815. d. 14 Apr. *Ladislaus* ad Iohannis 23 partes accedit, (centum mille florenos acceperat, Theod. Niem,) *Gregorius* vix *Ariminum* euaſit. Concil. *romanum*

Christi. 1412. sub *Ioh.* 23, aduersus *Hussitas* sed parui numeri; *Hussi* protestationem *Cochlaeus* exhibet; atque eiusdem *tres quaestiones:* vtrum *in papam* credendum sit; vtrum saluari possit quis, sine *confessione* ista orali; vtrum quidam e Pharaonis populo et Sodomitis saluati fuerint? Bellum *Sigismundi* cum *Venetis.* Patri successit *Henricus* 5 angliae rex; *Margaretha*, Daniae &c. regina, moritur; etiam *Albertus*, qui rex fuerat *Sueciae*, terrae *Meklenburgicae* cedunt filio *Alberto*; qui se etiam *haeredem Sueciae* scripsit. Benedicti medicus, e Iudaeo christianus, nomine *Hieronymi* a *S. Fide*, edidit librum aduersus Iudaeos, capitibus 12. quo 5 millia Iudaeorum conuersi dicuntur. *Sigismundus* cum Polonis foedus init, praemisso *Branda*, cardinali. *Iohannes* 23 rogatu *Ladislai* poloni Episcopatum in *Lemberg*, seu Leopoli, instituit.

1413. Hegirae 816 d. 3. April. Parisiis seditio *Lanionum*, s. *Cabochiorum*, a Burgundo excitata. *Ioh. Gersonis* oratio deprecatoria, inuenustissimae eloquentiae documentum ap. *Bulaeum* p. 236. In concilio h. a. *romano Wiclefi* libri damnantur; administrator ecclesiae pragensis, ep. *Olomuc. parisinam* academiam consulit, de reprimenda haereseos infamia. *Huss* et socii *solam scripturam* volunt controuersiarum iudicem (Raynald;) In *Anglia* Ioh. *Oldcastle* mittit praedicatores, contra inertes clericos. ad synodum vocatur; *sub vero pane* dicit esse corpus Christi inuisibile; ad salutem non esse necessariam confessionem, liberam tamen; determinationem ecclesiasticam contrariam, esse contra SS, postquam ecclesia dotata fuit. *Walsingham. Parisiis* actio aduersus *Ioh. Paruum*; *Iohannes* 23 litteras mittit per Europam, concilii noui caussa; cuius locum post trimestre designaturus sit. *Ladislaus* romam occupat et patrimonii sacri partem maximam. *Sigismundus* inuitat reges et papas ad concilium. *Iohannes* 23 bullam *ad Pacem* &c. qua concilium *constantiense* indicitur, edit. *Samogitia Ladislai* poloni opera fidem et baptismum admittit; rex cathedralem, ecclesiae in *Miedniki* fundauit. *Anselmus* de Isalguerio

Christi. 1413. guerio, tolosanus miles, qui per 12 annos Europam et Africam peragrauerat, Tolosam redit; composuit *glossarium* de idiomate arabico, turcico, africano; *itinerarium* scripsit. *Iohannes Hoffmann*, lipsiensis theol. professor, canon. misnensis, (vltimus e Germanis Rector pragensis,) post multas lites collegii, ob superiorum Episcoporum e nobilibus prauitatem, fit episc. *Misnensis*. *Eius* varia scripta recenset *Fabricius* in annal. *misn.*

1414. Hegirae 817 d. 23. Martii. Controuersia *colonien sis*, post mortem *Friderici* aep. *Dietericum* confirmauit Iohannes, rogatu Sigismundi; *Wilhelmus* autem dux montensis, *Gregorium* fautorem secutus, postea cessit. *Gregorii* insignia *Constantiae* deiiciuntur. *Iohannes* 23 ab *Anglis* petit auxilium aduersus Ladislaum; cum hoc Mediolanensis dux foedus init, et cum Venetis; moritur Ladislaus; *Iohannes* mittit in Prussiam, vt bellum impediat; ipse venit d. 28. Oct. Constantiam; hortatus antea *Wenzeslaum*, (quem regem romanorum adhuc nominat,) vt haeresin exstinguat. *Sigismundus* post coronationem *Aquisgr.* Constantiae in diaconi habitu legit Euangelium, *Exiit edictum ab Augusto*. *Concilium* constant. per quinque nationes diuisum, *Italorum*, *Gallorum*, *Anglorum*, *Hispanorum*, *Germanorum*. *Sangerhusae* fratres flagellatores, seu *cruci fratres*, purgatorium, imaginum cultum, et oblationes pro defunctis &c. abiicientes, combusti. In *Anglia* Wiclefitae vt regis proditores et rebelles publice debellati. *Rudolphus Greenhorst*, regis Angliae apud Sigismundum nuntius, omnem cibum corporalem euomens, spiritalem, eucharistiam, retinuit; inde transsubstantiatio confirmatur, *Thoma*, Waldensi, iudice, et *Raynaldo*. In Castellae regno, in villa quadam, crucem niueam in caelo conspiciunt Christiani et Iudaei; horum igitur 122 baptizati. *Vincentius Ferrerius* respondet Ferdinando regi, et allegorizat mirifice eam crucem, per omnes minutas partes, ap. *Raynaldum*. Bellum in gallia instauratum. *Muhammed* I. in Hungariam.

Christi. 1415. Hegirae 818 d. 12. Martii. Hoc anno *aera hispanica* in Lusitania etiam antiquata; iam annis Christi omnes Hispani vtuntur, qui antea annis 1441 istam aeram sequuti erant. Cedit *Iohannes* papatu in concilio atque inde aufugit; cedit et *Gregorius*; per Carolum *Malatestam*; non vult autem *Benedictus*. *Sigismundus Adolphum*, cluensem, *Amadeum*, Sabaudiae et *Galeatium*, insignibus ducalibus auget. Post *Hussum* d. 6. Iulii combustum, solemnes preces pro itinere *Sigismundi* in Aragoniam fusae d. 15. Iulii. sessione 29 sanctio edita: nullum impunitatis chirographum (saluum conductum) ab imperatore aut regibus concessum, valere. *Benedictus* fugit *Panisscolam*, et concilium in annum 1417 indicit. *Hispania* accedit *constantiensi* concilio. *Iohannes*, Lusitaniae rex, *Septam* vrbem occupat. Moritur *Henricus* regis *Haquini* et Margarethae fil. in ordine *Franciscano Tertiarius*.

1416. Hegirae 819 d. 1. Martii. *Poloniae* oratores apud concilium in ius vocant Magistrum ordin. *Teutonicorum*. Citantur litteris concilii *Bohemi* fautores *Hussi* Burggrauius pragensis &c. etiam *Sigismundus* se excusatum it apud *Bohemos*. *Hieronymus* pragensis combustus d. 30. Maii. De tribus Sanctis *Sueciae* litterae concilii ad episcopos *Sueciae*. *Sigismundus* e Gallia in Angliam proficiscitur: foedus eius cum rege Angliae contra Gallum, (*Rymer.* tom. IX.) *Ferdinando* succedit fil. *Alfonsus*. In concilio numerus coenobiorum Benedicti per Europam initus, 15107.

1417. Hegirae 821 Febr. 18. Concil. in *Frieder.* austriacum fert sententiam, quod Tridentinae ecclesiae infensus fuerit per annos nouem; *Angli* in concilio aduersus lites ab Hispanis motas se *Ioseph* ab *Arimathia* honore defendunt &c. *Pragensis* academia decretum *pro vtraque specie* edit; d. 10. Martii; multa millia Hussitarum coeunt armati; inde bellum per annos 19. *Sigismundus* Friderico, Burggrauio norimberg. Marchiam brandenburgicam vendit 400000 aureis. Post *sedis romanae* vacantiam fere 3 annorum, *Martinus* V papa fit.

1418. *Ioh. Leod.* episcopus abit a dignitate et vxorem ducit. *Martini* constitutio *inter cunctas pastoralis curae solli-*

Christi. 1418. Hegirae 821. d. 7, Februar.

sollicitudines &c. instaurata *Bonifacii* 8 sanctio: *vt inquisitionis negotium* &c. Sigismundus sacrum bellum in *Bohemos* adhuc auertit. Papa d. 16. Maii. Constantia excedit, inuito Sigismundo; Legatum mittit in *Bohemiam* et Hungariam. Eiusdem Bulla contra *Fratres de opinione*, seu Fraticellos in Italia. Inter *Hispanos* et *Scotos* nondum desunt Benedicti amici. Papae litterae ad principes Constantinopolitanos, de ducendis *Latinis* vxoribus. Rex Poloniae Ladislaus creatur vicarius pontificis in *Russia*, praestito iuramento fidelitatis in ecclesiam romanam; etiam *Vitoldus*, seu Alexander, per Lituaniam fit vicarius papae. Idem *Martinus* indulgentias concedit iis, qui crucem accipiant in Africanum bellum, pro rege Lusitaniae. *Iohanna* neap. regina, *Iacobum* maritum in carcere tenet; rex duris legibus liberatur, tandem in Gallia *Franciscanum* in ordinem se confert. *Hussitae* 7 consules et praetorem per fenestras Pragae deiiciunt; *Wenceslaus* tot turbis attonitus paralysi moritur. *Veneti* Lampsacum occupant; *Muhammed*, pacem init cum illis.

1419. Hegirae 822 d. 28, Ian.

Martinus, vt superiori anno *Iudaeorum Auenionensium* magicam nequitiam repressit, ita hoc anno Iudaeos defendit, ne per vim baptizentur, Iohannes 23 numeratis a Martino 30000 aureis e custodia *Ludouici*, bauar. ducis, liberatur, ad Martinum adducendus; sed fuga elabitur, fit primus Cardinalis, et fine anni moritur. *Vincentius Ferrerius*, ordin. praedic. mortuus. *Bernardinus*, Senensis floret insignis orator sacer. eius aemulus *Manfredus*, ordin. praedic. de *Antichristi* propinquo aduentu ex Apocalypsi publice docet; ab eo multi habitum receperunt *tertii ordinis*, de poenitentia S. Dominici. *Martinus* non potuit istas congregationes dissoluere. In *Anglia* Synodus per *Henricum* aep. cantuar. contra clericum Richardum, qui *magiae* accusatus fuit; eius libri figuris impiis referti publice combusti. *Henricus*, Anglus, *Cadomum*, et *Rothomagum* expugnat; *Rudolphus*, elector Saxoniae, legatione in *Bohemiam* frustra fungitur; ei per

Christi. 1419. venenum extincto, successit frater *Albertus*. *Zisca* post Wenceslai mortem *Bohemorum* Hussitarum dux. Bellum atrox inter *brunsuicenses* duces et Episcopum *Hildesheimensem*. *Rostochienſis* academia per duces megapolit. et senatum fundatur; sed sine facultate theologica; priuilegium dedit papa.

1420. Hegirae 823. d. 16. Ianuar. *Martinus crucem* aduersus *Petrum* de Luna praedicari iubet; gallia *Henrico* anglico subiecta; *Ludouicus*, 3 andegauensis, apud Neapolin castra ponit, cui papa fauet, licet antea Iohannae coronam per aliquot epp. miserit; *Ioanna*, regina, *Iacobo* expulso, auxilia requirit *Alfonsi*, aragogonii, qui Ludouicum repellit; ab ea filii in locum adoptatus. *Martinus Florentiae* metropolitanum honorem confert; sacrum bellum in *Bohemos* edicit, indulgentiis promissis. *Sigismundo* corona Bohemiae ab aep. pragensi imposita fuit; idem abstulit sacram gazam cum S. *Wenceslai* aureo feretro, vt militibus inde stipendia solueret, sed infelici omine. *Amadeus*, Sabaudiae, instituit ordinem *Annuntiationis*. *Salisburgensis* synodus; bulla Martini aduersus Nicolaum *Seruarium*, ordin. augustini, de cuius nouis sententiis iam in concilio constantiensi actum fuerat, (*Raynald.*) Wiclefitae in *Scotia* deprehensi, qui aduersus baptisma infantum, sacramentum matrimonii &c, docebant; hos errores iam inde a *ducentis annis* in occulto repentes tandem publice erupisse scribit *Thomas Waldensis*, tomo 3. (et apud Raynaldum.) *Parisiis* vniuersitas de instauratione et reformatione *collegiorum* tractat. *Bernardinus* Senensis, minorita, in magna tabula pictum vel sculptum *nomen Iesu* (in circulo formauit solem, et in eo nomen Iesu, Raynald. 1424.) *populo ostensum*, facit adorare (*Antoninus*), papa tandem prohibet superstitionem. *Martinus* crucem in *Turcos* iubet praedicari; ab aep. *Coloniensi*, sex aureorum millia, et totidem a *Moguntino*, *Treuirensi*, aliisque flagitat, in impensas. *Legati* in Galliam missi, *pro vnione graecorum* et subsidiis contra Turcas. *Lusitani* denuo *fortunatas* insulas adeunt, *Maderam* &c.

Colle-

Collegium Bartholomaei *Salamanticae* hoc anno exſtructum.

Chriſti. 1421. Hegirae 824. d. 6. Ianuar. Hegirae 825 d. 26. Dec. In Bohemia ſectae *Thaboritarum*, *Orebitarum*, *Adamitarum* diſtinguuntur a ſcriptoribus pontificiis. Cardin. *Branda* legatus papae mittitur aduerſus Haereſin in Bohemia, Morauia, *Miſnia*, cum auctoritate *crucis* praedicandae. Is in conuentu *Norimbergae Sigismundo* dat vexillum viuificae crucis; hic Marchioni *brandeburgi Friderico*, faciens eum capitaneum, ſed quamuis ingens cruciferorum numerus nihil efficere potuit. *Synodus* Calixtinorum, quos inter er *Conradus*, aepiſcopus pragenſis; tam ſub forma panis quam vini totum dominum I. C. deum et hominem nobiscum eſſe, cum ſuo proprio corpore et ſanguine, *praeſentia reali*. Papa ſcribit ad patriarcham Cpolitanum, *de reductione graecorum*; ſubſidia confert in bellum contra Mauros Granatenſes; lites inter fratres Teutonicos et Polonos ſtudet componere, etiam regem Angliae ad pacem flectere. In *Hollandia* mare aggeres rupit, ad montem *Gertrudis* pagi 72 abſorpti. *Bohemi* poſt victoriam ad *Ladislaum* polon. mittunt regni cauſſa; *Sigismundi* litteris fortiter reſpondent, quod contra ſaluum conductum, lingua duplici ſcriptum, *Huſſium* et *Hieronymum* comburi fecit, (*Pray* annales lib. 5. pag. 278.) *Friderici* 2 et *Caroli* 4 conſtitutiones renouatae, pro bonis eccleſiaſticis; *Iudaei*, per dominium *Alberti* auſtr. comburuntur, ob irreuerentiam in corpus domini. *Iohannes*, Emman. fil. ſolus imperator conſtantin.

1422. Hegirae 826 15 decembr. *Amurathes* vincit Muſtapham in Aſia; cui graecus imperator (contra foedera) fauerat; hinc in Conſtantinopolin arma vertit; *Ioh. Adurnius*, genuenſis, auri magna copia inductus, excercitum Turcorum in *Europam* traiecit. Papa graecum imperatorem epiſtolis ſuis confirmat; *Antonium Maſſanum* mittit, pro vnione religionis antea perficienda; qui nihil promouit. Papa ducem Lituaniae dehortatur, ne cum Bohemis faciat, qui coronae ſpem facerent vanam. Epiſtolas plures mittit ad episcopos Poloniae, vt

Christi. 1422. videant, ne haeretica prauitas in eo regno crescat. *Sigismundus* rex filiam *Elisabetham Alberto* austr. dat, cum spe succeſſ. in Hungar. Bohemia *Morauia.* Fuerunt, qui suaderent, vt eam filio Turcorum imperatoris daret. Nouus ordo canonic. regularium in Hetruria, in agro Lucensi; in monasterio Frisolariae. In Hungaria *Deistam* diris suppliciis ad pietatem traxerunt; (Raynaldus ex *Nidero*: fideles *animae chirurgi* ad cippum loris strinxerunt; acriora fomenta addiderunt de aegyptiorum thesauro philosophico &c.) Mortuo (penultima Augusti,) Henrico 5, anglico, succedit *Henr. 6*, ex Catharina francica; nondum bimulus; vt *Carolo* (d. 22. Octobr. mortuo) galliae, succeſſit fil. *Carolus 7.* Itaque iam duo reges *Franciae.* Catholici turpissime fugiunt ex obsidione *Saz.* Papa priuilegium dat *Iudaeis. Albertus* Saxon. dux, elector. sine haerede moritur.

1423. Hegirae 827 d. 5. Dec. Synodus *ticinensis* s. *papiensis* d. 22. Iunii ex decreto *Constant.* concilii, pro reformatione continuanda; Papae epistolae ad aepp. germaniae; ideo *prouinciales synodi* plures habitae. *Synodus* ob luem transfertur *Senas*; hic Alfonsus per oratores turbas creat. Synodus in Polonia *Lancitiae*, contra haereticos. Pax inter cruciferos et Polonos, itaque reuocatus e Bohemia *Sigism. Coributt.* Martinus reuocat ep. *Augustanum*, Sigismundi precibus, et alium instituit; *decimas* imperat et partem vectigalium impendit aduersus Bohemos. *Friderico*, March. Misniae et Landgrav. Thuringae, Sigismundus confert ducatum Saxoniae, pro opera in Hussitas. *Ericus* dux Saxon. Angr. Westphal. legitimum se haeredem frustra ingerit. In Anglia aep. *cantuariensis* se pro papa gerit. *Venetis* traditur *Thessalonica*, a despota Peloponensi, quia defendere contra Turcos non potuit. *Caloioannes*, seu Ioh. 7, palaeologus, *Venetias* venit, auxilia rogaturus. *Iohanna* regina, aliena iam ab Alfonso, publicis litteris Ludouicum a se adoptatum significat. Martinus reuocat priuilegium *Bonifac.* 9, quo ecclesia *rigensis* subiiciebatur ordini teutonicorum.

Mortuo

Christi. 1424. Hegirae 828 d. 23. Nov. Mortuo *Benedicto* 13, *Alfonsus* oppositus *Clementem* 8, quia *Martinus* fauebat Andegauensi. Dux *Bedford*, Regens Henrici 6 nomine, vt Papam in partes trahat, *Martino* non parum concedit de libertatibus gallic. annatis &c. *Bulaeus*, pag. 366. seqq. *Senense* concilium soluitur, mense februario ob varias turbas, quae *reformationem* impediuerunt; indictum concilium *basileense*; visus est et *Martinus* reformationem promouere, designato collegio aliquorum. *Sigismundum* ad nouam expeditionem in Hussitas excitat; (Germanos aut non posse *aut non velle* Haereticos subigere.) *Sigismundus* Lithuanus Bohemos tuetur; ideo excommunicatur; sicut et omnes alii, qui mercimonia inferrent; missa sunt ista diplomata ad episcopos Germaniae. *Iacobus*, Rex Scotiae ex custodia anglicana, in regnum redit. *Philippus* burgund. dux, aduersarius ducis *Gloceftriae* administratoris anglici; qui *Iacobam*, Bauaricam, Brabantiae duci antea nuptam, duxerat; ignominiam hanc propulsabat Burgundus. inde crescere res *Caroli* 7 coeperunt. Synodus *Lugdunensis*; imposturae mulieris, quae compassiue animas ex inferno liberabat, tres quotidie &c. *Ziskae* rex Sigismundus, (qui reliquias et insignia sacra in Hungar. auexerat,) ingentes conditiones offert, (quod consilium vehementer exagitat *Aeneas Syluius*), si a bello desistat et ipsius partes sequatur; paulo post moritur *Ziska*, eius monumentum *Czuslauiae* diu superstes fuit. Ordo monachorum *Hieronymi* instauratur a *Lupo* Hispal. confirmauit Martinus. *Ericus* rex daniae in Syriam proficiscitur.

1425. Hegirae 829 d. 12. Nov. Alfonso in Hispaniam superiori anno profecto, Andegauensis *Neapolin* et *Apuliae* magnam partem feliciter occupat. *Alfonsus* legato papae aditum in Aragoniam negat. *Carolo* regi Vasconum, seu Nauarrae, succedit frater Alfonsi, *Iohannes*, vxoris iure. *Martinus* dissidia inter *Ericum*, regem Daniae, Sueciae, Norwegiae, et duces *Slesuicenses* per episcopum *Lubecensem*, et aep. bremensem studet componere. Anathema in *Koributum*, Vladislai poloni nepotem, qui coro-

nam

Chriſti. 1425. nam Bohemicam accipere auſus erat. Turci *Cyprum* et *Seruiam* vaſtant; *Venetorum* claſſis non ſine laude Turcis obuiam iuit. Imperator *Iohannes* ex Hungaria, in quam auxilii petendi cauſſa profectus fuerat, in vrbem reuerſus. *Ieſuati* fratres, ſeu clerici apoſtolici, ex Italia *Toloſae* recepti. *Bardini* chronic. tomo 5 hiſtoire de Languedoc p. 34.

1426. Hegirae 830. d. 7. Nouembr. *Alfonſum Martinus* citat peremtorie ad comparendum perſonaliter. Papae bulla aduerſus aepiſcopum pragenſem publicata; mittit etiam papa *Iordanum* legatum aduerſus Bohemos, ſed hi ingenti clade iſtos crucigeros afficiunt prope *Auſſig*; e nobilibus multi hic occubuerunt. Vnus ex iis poſt mortem ſuae vxori apparuit, narrans, *ſe ſaluatum* ob pugnam contra haereticos; *Raynaldus* ex Cochlaeo. *Henricus* aep. rigenſis, praeſtito iuramento a *Sigismundo* rege infeudatur. *Fraticellis* papa opponit *Iohannem Capiſtranum*; in Anglia eccleſiaſtica vetus auctoritas non obſcure collabitur; capite puniebatur, qui cenſuram apoſtolicam in regnum inferret; (Papae bulla ad Henricum epiſc. *Winton.*) Bellum in Italia aduerſus Phil. Mariam, mediol. ducem; *Veneti* Brixiam occupant, Papa mittit *Andream*, ordin. praedic. ſocietatis fratrum propter Chriſtum peregrinantium et *vnitorum* vicarium generalem, in *Graeciam*, ad *Iohannem* 7 palaeol. ad vnionem promouendam; prohibet *peregrinationem* ad S. ſepulcrum, quia Turci magnum vectigal impoſuerant. *Ianus* rex Cypri, (cuius quaedam epiſtola ad ducem Bauariae Ludouicum Ratisbonam allata,) auxilium per papam rogat; ſed ob bella alia nihil impetrauit a regibus et principibus; ipſe a Turcis captus, et *Cairum* abductus. *Fridericus* Elector Saxoniae *Budae* inſignia nouae dignitatis accipit; *Ericus* fruſtra ad papam ſe conuertit. *Ioh.* dux Brabantiae inſtituit *acad. louanienſem*; theologica tamen facultas ab *Eugenio* demum addita.

1427. Hegiræ 831 d. 22. Oct. Papa Henricum, ep. Winton. cardinalem, legatum creat per Bohemiam, Hungar. Germaniam contra haereticos; qui hanc ſacram militiam admittit;

Christi. 1427. Hegirae 831. 22 Oct.

tit; sed tres licet exercitus tandem, (*tertia* expeditio) ingrederentur Bohemiam, prius tamen ex ea fugerunt, quam sanctus legatus intrasset. *Heroldi* antea per *Franconiam* inuitarant pugiles ad tabulam honoris. Vexillum imaginis Christi crucifixi erectum fuerat. Papa *Pikinenses* auocat a disputatione cum haereticis; superfluum est disputare, salutare autem sequi; doctores *Viennenses* tamen commendat, si disputatio caueri nequeat. Ingens terrae motus in Catalonia, qui 20 ciuitates euertit. *Tertona* in lacu absorpta, cuius profunditas explorari non potuit. Sigismundus *Coributi* apud papam de audienda Bohemorum causa agit; qua ex re *Sigismundus* tantum non offenditur. Papa *Wicleffi* ossa comburi iubet; *Henricum* aep. cantuar. grauiter obiurgat, qui sedem apostolicam auaritiae nomine perstrinxerat. In *Polonia* etiam honor papae periclitatur, cum papa episcopatum *posnanienſem* cuidam contulisset, sine regis assensu. *Iohannes* Lusitaniae (portugall. et Algarbii) rex, ponit falcem suam in ecclesiae messem; clericos etiam trahens ad iudices seculares. Redemtus rex Cypri. Cum *Alfonso* agit legatus Papae non sine successu. Societates eorum, qui deferunt *vnicornem*, et qui *Grifonem*.

1428. Hegirae 832 d. 11. Oct.

Pax in Italia restituta. Papa *Ludouicum*, ducem Bauariae, hortatur ad bellum contra Haereticos cum aliis principibus, qui nuper *Francofurdiae* de ea re egerant. *Anconitanum* verboso mandato instruit aduersus *Fraticellos*, quos etiam torquere licet &c. *Iohanna* puella ad regem Carolum venit, contra Anglos ipsa pugnatura; Christi imaginem in vexillo pingi voluit, et in scuto duo lilia. *Bauariae* ducatus in 4 partes diuisus. Elector Saxon. *Fridericus* I moritur.

1429. Hegirae 833 d. 30. Sept.

Altera legatio cardin. Fuxensis ad *Alfonsum*; nomen papae exuit *Clemens*, baleari episcopatu donatus. Synodus *Tertussae* a legato habetur; canone sexto iubetur per viros literatos scribi aliquod breue *compendium*, vt per sex vel septem lectiones valeat declarari apud populum: quid *credere* debeat; (articulos fidei;) quid *petere*, (orat domi-

Christi. 1429. Hegirae 833 d. 30. Sept.

dominicam) quae *seruare* (decem praecepta ;) quid *vitare*, (septem peccata mortalia ;) quid *sperare* (gloriam paradisi ;) quid *timere*, (poenas inferni.) *Iohannes*, comes *Armaniacus*, qui antea schisma fouerat, a papa in gratiam receptus. Rex *Poloniae* pergit ius conferendi episcopatus et abbatias sibi vindicare. Papa scribit ad hunc regem, et ad *Florentinos*, qui vectigal 100000 aureorum clero imposuerant. *Sigismundus* offert *Alexandro* Lithuaniae, regiam dignitatem. *Henricus*, cardinal. legatus ex Anglia cruciferos non in *Bohemos* sed in Gallos traduxit ; de quo consilio papa regem *Carolum* facit certiorem. *Philippus*, dux Burgund. in nuptiis cum *Elisabetha* Iusitanica instituit *ordinem velleris* aurei equestrem ; (Gideonis ad vellus respici volunt, atque ad virginitatem Mariae.) Papa instaurat solemnem pompam Eucharistiae, seu corporis Christi, post Vrbanum 4, nouo diplomate. *Georgius*, Serviae despota, cum Turcis foedus init. *Indulgentiae* dantur iis, qui contribuerint ad redimendos captiuos a Turcis ; Papa litteras scribit ad *Soldanum* babyloniae de ea re. *Conradinus*, ordin. praedic. moritur, cuius renes petulcos S. Maria ipsa suaueolenti cereomate inungere visa fuit. Moritur *Ioh. Gerson*, cui quidam libros de imitatione Christi olim tribuebant, ante *Thomam* Kempensem. Reformatur monasterium *corona coeli* in Hochheim.

1430. Hegirae 834 m. Sept.

Hussitae in *Misnia* et *Lusatia*, *Franconia* &c. magnas clades intulerunt *Iohanna*, aurelianensis, ex vrbe *Compendio* saepe excurrens die 24. Maii a Burgundis capitur et *Anglis* traditur. Synodus *Tarraconensis*, ad tuendam ecclesiasticam potestatem. Moritur *Alexander Witoldus*, dux Lithuaniae. *Mustapha* Thessalonicam occupat. *Graeci* Latinis eripiunt *Patras* ; graecus imperator legatum misit *Venetias*.

1431. Hegirae 835 d. 9. Septemb.

Conuentus *Norimbergensis* d. 23. April, de instaurando in Hussitas bello ; *Iulianus*, cardinal. legatus papae in hac caussa. *Martinus* moritur d. 20. *Februar.* ei succedit *Eugenius* IV, post inita pacta ; *columnenses Martini* nepotes, sacrum thesaurum ex-

Christi. 1431. pilant, et aduersus *Eugenium* insumunt. Bellum *Senensium* et foederatorum cum *Florentinis*. Papa rescindit omnes pactiones, quae forte cum *Bohemis* fuerint initae, vt eo atrocius bellum iis inferatur; sed ingens exercitus turpissimam fugam iniit, cardinalis amisit *bullam* cruciatae, *Galerum* suum, apparatum sacrificii, nolam, crucem &c. *Magdeburg* et alii vrbes munitionibus ob metum auctae. *Procopius Rasus*, s. Magnus, in *Silesiam* excurrit. Die 19. Iulii Romani legati *Basileam* veniunt *concilii* habendi caussa; Papa dat potestatem *dissoluendi concilii*, quia *Graecis* Bononia videretur aptior; sed non annuunt patres basilenses, parum moti ista cantilena de *Graecis*, quae iam trecentis annis durauit, et omni anno renouabatur, (litterae *Iuliani* Caesarini ad Papam;) scribit etiam; nisi clerus se corrigat, exitatum iri haeresin aliam etiam si *Bohemica* exstinguatur. *Eugenius Bononiensem* indicit, Basileensem synodum soluit; dissuadente *Sigismundo*, *Iuliano* &c. *Sigismundus* in Italiam profectus; cum duce *mediolanensi* foedus init; ab eius vero consilio papa multum metuit. Moritur *Ianus*, rex Cypri, nondum exsoluto, quod studiose conquirebat, pretio libertatis; succesit fil. *Ioannes*. In concilio *basileensi reformatio Bursfeldensis* approbata fuit, vt *Langius* ex prologo diurnorum recitat, qui et contra *Maculistas* scribit, (in chronico *Cizensi.*) Idem auctoritatem concilii ab optimis hagiographis historicisque confirmari dicit. Multa ad concil. basil. huius temporis recitantur in *Voyage litteraire* de deux Benedictius p. 79. seqq.

1432. Hegirae 836. d. 28. Augusti. *Bohemi* cum *Polonis* *Marhiam* nouam et *Pomeraniam* vastant. Sigismundus *Auisamenta* pro basileensi concilio continuando mittit ad *Eugenium*; a concilio autores cum litteris in *Bohemiam* missi; conuentus apud *Bituriges* praesulum gallicanorum; rex *Galliae*, *Castellae*, *Angliae*, amplectuntur concilio basileense, contra Eugenium. *Bohemi* concilio respondent. *Eugenius* a *Gnesnensi* aepiscopo synodum et congressum cum Bohemis haberi vult; adhibiti a rege Poloniae doctores

Christi. 1432. ctores *cracouienses*; sed nihil promotum fuit. Papa submittit *Andream* de Petra, ep. colosf. ad basileenses, vt de *Graecis* largitur promittat; publica iurgia *Basileae*. Patres fortiter agunt contra Eugenium; concilii protector a *Sigismundo* constitutus *Wilhelmus* dux Bauar. *Modius* Siliginis vsualis constat hoc anno in Misnia 33. grossis. *Sigismundus* Mantuae dominum *marchionali* dignitate auget; eius filio *Ludouico* despondet Barbaram, marchion. brandeburg. filiam. *Sigismundus* Mediolani coronatur.

1433. Hegirae 837 init auguſt. 17. *Bohemi* in concil. *basileenſi* disputant de 4 articulis. Papa absoluit Basileenses a censuris, qui hanc clementiam nihil omnino curant. Papa concilium basil. restituit; litteris Electores principes ad concilium inuitat. *Sigismundus* in Italia in foedus cum pontifice conuenit; Romam intrat d. 21. Maii, a papa coronatus; renouat sanctionem *Frider.* 2. et *Caroli* 4. delibertatibus ecclesiasticis. Papa rescindit acta basileensium. Imperator Basileam redit. *Philippo*, burgundo, mittit papa hostiam miraculosam. Acad. *parisiensis* opponit se nouo studio, quod *Cadomi* erigere voluit Anglus; *Bulaeus*, p. 428. A concilio mittuntur legati 2 constantinopolin. Epistola, qua imper. *graecus* basileensibus respondet. *Eugenius* indulgentias promittit pro sacra militia in Granatenses; mittit 20 Minoritas in Asiam ad Caspios montes, pro christianae religionis incremento. B. *Lidwina* moritur. B. Francisca, romana, instituit sodalitium oblatarum ordinis montis *oliuetani*. *Henricus* 6 Angliae in Galliam transfertur, *Parisiis* coronatus. *Iohanni* Portugaliae regi, succedit filius *Eduardus*. Bellum inter *Conradum*, mogunt ep. et Landgrauium *Ludouicum*. Ciuitates *magdeburg* et Halla Episcopi sui dominium vastant, nec timent concilii *basileensis* fulmen excommunic.

1434. Hegirae 838 init 7. Auguſt. Magister et fratres ordin. teuton. citantur ad concil. *basileense*, quod ordinem S. Augustini suo ordini incorporare tentarunt, codex diplom. *Poloniae* tom. 5. *Eugenius* vel inuitus confirmat *basileense* synodum per bullam: de consilio et assensu

&c.

Christi. &c. Dux mediolanensis legatum se in Italia ad-
1434. versus pontificem a concilio creatum fingit. Papa *Franciscum Sfortiam* creat Marchionem *Piceni.* Oratores *graeci* cum Basiscensibus tractant; papa agit cum graeco, et trapezuntino imperatore, per nuntium; idem *Canariensibus* neochristianis vectigalia leuat. Dissidia magna inter *Bohemos* nobiles, & Thaboritas; hi a *Mainardo* e noua domo, quem concil. basil. argento iuuit, caesi: narrationem *Cunzo*, castellani de Carlstein, habet *Cornerus* in chronico. *Vladislao*, regi Poloniae, succedit filius natu maior, eius nominis 3. obiit et *Ladislaus* andegau. 3. Dux Sabaudiae *Amadeus*, reliquit filio quodam modo ducatum, factus Eremita ordinis S. *Mauritii. Ericus*, dux, in concilio basileensi accusat *Sigismundum*, quod Electoratum dederit Marchioni *Misnico.*

1435. Magna pars oppidi *Tug* in lacum subsidit. Magnum papae studium ad pacem inter Anglum et Gallum regem conciliandam, in conuentu *Atrebatensi. Burgundus* cum *Borbonio* duce in gratiam redit. Papa Roma eiectus per menses quinque. Contraria Consilia Eugenii et basileensium de caussa Graecorum. Foedus papae cum duce Mediolanensi; papae *Bononia* restituitur. Mortua *Iohanna* neapolitana, regnum papa per Ioh. *Vitellescum*, alexandr. patriarcham (hominem nequissimum,) administrari iubet; neapolitani partim *Renatum*, andegau. partim *Alfonsum* Aragon. inuitant; Papa in *Renatum* a Burgundis captum, inclinat. Alfonsus et frater, rex Nauarrae, capti a classe mediolanensi. In Anglia durat circumscriptio libertatis ecclesiasticae, licet papa regem saepius admoneat. *Amurathes* despotae Seruiae filiam duxit; *Albaniam* vastat. Sub hoc anno *Langius* in chronico *Misniam* describit. *Conradus* ep. ratisp. Synodum ordinariam coegit. *Paulus*, burgensis, moritur.

1436. Hegirae 840. init. 15. Iul. Bellum *suitense*; foedus haereditarium inter domum *Saxonicam* et *Hassicam* renouatur; cum Hassus filiam Electoris duxisset. Basil. sessione 24 graecis prouident de impensis pro 700 graecis traducendis.

Christi. 1436. cendis. Galli *parisios* recipiunt opera quorundam academicorum. Imperator confirmat pactiones, de quibus inter concilii et Bohemiae legatos *Iglauiae* conuentum fuerat; sic Bohemi absoluti a censuris ecclesiasticis; *Philibertus*, ep. Constant. fit administrator aepiscop. *pragensis*. *Sigismundo* praeterea, ob cupiditatem paterni regni, multa promittente, quae a concilii legatis obtinere non potuisset; (Rockyzanam aep. pragae futurum; papae in bohemicas ecclesias ius nullum; ecclesiastica praedia pignoris loco manere occupatoribus, donec a religiosis redimerentur &c.) *Eduardus*, lusit. rex, africano imperio inhiat; ob laesa iura ecclesiae a papa admonetur. Papa res *Cauarienses* procurat; idem per *Gregorium*, aep. *Moldoblachiae*, a graeco ritu *bulgaros*, *Moldauos* &c. auertere studet. In *Scotia* iura papalia non parum conuelluntur, a rege *Iacobo* et episcopo *Glasguensi*. et aliis, quos *Puatos* potius, quam *Praelatos* dicendos esse *Eugenius* scribit (*Raynaldus*). Compositae lites de aepiscopatu *treuerensi*. *Sigismundus* dux Saxoniae initiatur sacro ordini. *Philippus* burgund. mortua comitissa Iacoba, *Hollandiam* occupat. *Fridericus*, austr. qui postea imperator factus est, iam in terram sanctam proficiscitur. Auctoritate concilii *basil. indulgentia plenaria* iis promulgatur, qui contribuunt ad expensas pro graecis.

1437. Hegirae 841. init. 5. Iul. Rex *Carolus 7 Parisios* ingreditur. *Iohannes* Bissipatus, legatus imper. graeci *basileam* venit; locum concilio alium flagitat. Papa *Florentiam* aut *Ferrariam* designat; *Sigismundus* Basileense concilium adhuc fouet; mittit ad imperat. graecum legatos, Episc. *Coronensem*, et aep. *tarantasiensem*; mittunt et basileenses e suis quatuor. Papa concilium *transfert* Ferrariam; basileenses autem rescindunt translationem. *Sigismundus* a papa absolutionem petit, si forte aliquid maculae contraxerit, quod sermones habuit cum Venetis legatis, qui censuris basileensium notati essent. *Basileenses*, quibus imperator legatos Bohemos commendarat, permittunt vsum calicis; in lingua *latina*, *germanica*, *bohemica*, *hungarica* pro-

Christi. promulgatur, Bohemos sub duplici specie communicantes esse filios ecclesiae. *Basileens.* concilio
1437. *misneuses* subscribunt, excepto Ioh. *Cunone*, lipsi. theologo, ordin. dominic. *Sigismundus* imperator *Iglauiae* moritur, non nescius eorum, quae *Barbara* coniux cum Polonis agitaret. Successit *Albertus* dux Austriae, gener. Parum feliciter in Africam ductus facer exercitus. Papa *Renatum* andegau. inuitat. Bulla *Eugenii* contra *Magos*, ad omnes inquisitores. *Iacobus*, rex Scotiae, in lecto multis vulneribus confoditur. Dux *Saganensis* brandeburg. prouincias inuadit; Francofurto autem repellitur. *Amurathes* in Hungariam irruit.

1438. Ianuarii d. 17. promulgatur concilii decretum, de
Hegirae suspensione Papae &c. Synodus *Ferrariae* coe-
42 init. pta est, *Eugenio* praesente. *Graeci* aduenium
24 Iun. cum imperatore *Iohanne* et *Demetrio*, principe *Peloponnesi*. Rex Galliae fauet *basileensibus*; sanctionem *pragmaticam* apud *Bituriges* in conuentu magno condit; quae *Parisiis* publicatur 7 Iun. Instructio legatorum academiae *paris.* ad istum conuentum, ap. *Bulaeum*, p. 443. Bellum ob regnum Bohemiae, inter *Albertum* et regem *Poloniae*, quem Bohemi et *Thaboritae* elegerant, cum ab *Alberto* nihil impetrarent. *Albertus* iam rom. rex comitia habet Norimbergae, quibus interfunt legati papae. *Augustani* impetrant diploma imperatoris, de expellendis orbe *Iudaeis*. *Eduardus*, lusit. rex, moritur; succesit filius *Alfonsus*, 6 annos natus. *Philippus* burgund. *Brugensibus* bellum infert. *Renatus*, Iohannae reginae frater, venit Neapolin, quam *Isabella* coniux, ab Eugenio adiuta, tenuerat.

1439. Concil. ob pestem, vt dici solet, transfertur Flo-
Hegirae rentiam; *Eugenius* inuitat Reges et Principes Eu-
843 init. ropae. Moritur patriarcha Constantinopolitanus.
14 Iun. Decretum initi sacri foederis inter ecclesiam oriental. et occidentalem; sublatis *differentiis*, quae a quingentis fere annis inter vtramque ecclesiam viguerunt, (Epistola *Eugenii*). Papa creat *Fantinum* aep. cretensem, legatum im *Graecia*; *Isidorum* autem, Ruthenum, legatum in

Christi. 1439. *Russia*, *Lithuania*, *Livonia*. Patriarchae *Armeni* legatus fidei formulam ab Eugenio accipit, et ius *missae* pro Episcopis Armenis. Comitia *Moguntina*, quae basileensia decreta admittunt, excepto Iudicio in papam. *Conclusiones* concilii, seu *veritates fidei* octo. Papa plures epistolas ad imperatorem, ad regem Galliae &c. scribit, ne schisma fieri patiantur; epistolae variae ad academ. parisinam. Pestis e *Basileensibus* plures aufert. *Amadeus*, Eugenio deiecto, antipapa eligitur; (ex consilio Arelatensis episcopi, in quem Eugenius adeo exarsit, vt praemium 6000 coronatorum promiserit ei, qui istum captiuum adduceret. Vrsperg.) Post *Alberti* regis romani mortem, qui mortuus fuit ex nimio vsu peponum. Successit patri postumus *Ladislaus*, in regno *Bohem.* et *Hungariae*; aemulum habuit *Vladislaum* polonum, quem ipsa mater antea maritum sibi proposuerat. *Andegauensis* episcopus, quem *Eugenius* designauerat, a Gallis reiectus; ex pragmatica sanctione. *Eugenius* dignitatem *Cardinalitiam* vindicat aduersus *Henricum* Aep. cantuariensem, quam inde a Petro deriuat, inuenustissima garrulitate. Decimum *capitulum prouinciale* dioeces. mogunt. et bamberg. celebratur Norimbergae. Hic praesentata et acceptata bulla, de reformatione ordinis *Benedicti*. *Eugenius* confirmat academ. *patauinam* ad instar *parisiensis*, *oxon. bonon.* et *Salmanticensit.*

1440. Hegirae 844 init. 2. Iun. Epistolae *Eugenii* contra antipapam in omnes fere prouincias mittuntur; et contra *Ludouicum*, ep. visensem, cardinal. arelatensem, (ad regem portugalliae, eum non episcopum, non christianum, nec *hominem* amplius esse &c.) Vtriusque papae legati apud regem *Galliae* agunt, qui concil. *Ferrariense* non admittit. *Eugenius Vitellescum*, cardinal. miseri occidi iubet. In comitiis *Francofordiae Fridericus* 3 electus rom. rex; *germania* nondum accepit concil. *Florentinum*. *Alfonsus* rex Arag. apud *Felicem* agit, de confirmatione adoptionis per Iohannam 2. *Eugenius* cum *Gennensibus* foedus init contra Regem; (foederis formula apud *Raynaldum* a. 1441, n. 16.) Coniuratio

Christi. 1440. iuratio filii, et vxorum, et aliorum in regem *Iohannem*, Castellae. Dissidia graecorum ob concil. *florentinum*; Bessarion *graecos* interpolasse *Basilium* &c. contendit, epistolâ ad *Alexium Lascarin*, philanthropinum. Confoederatio per terras *Prussiae*, qua sub certis conditionibus *ordini teutonico* subiectio promittitur. *Bohemi*, spreto postumo *Ladislao*, regnum *Alberto*, bavaro, offerunt, qui abnuit; idem facit *Fridericus*, Caesar; tandem gubernatores instituuntur. Inde ab hoc tempore primordia artis *typographicae* Moguntina, reputantur; artis varia tirocinia aliis in urbibus feliciter cedunt.

1441. Hegirae 845 init. 22 Maii. *Iacobitae* orientales, in Aegypto, cum romana ecclesia coniunguntur, per Abbatem *Andream*; advenerunt etiam oratores regis Aethiopum *Constantini*, quem *Presbyterum Iohannem* fere solent dicere. Graecus imperator ipse ab vnione alienus fit, cum contra Turcos videret nihil promoveri. *Cyprii* queruntur de Latinorum iniuriis. *Antonius Troianus*, minorita, Euangelii caussa missus ab *Eugenio* in Tartariam, Perfidem &c. Rex Galliae per legatum ab *Eugenio* aliud Concilium postulat in Galliis; *Fridericus* rom. rex *Eugenio Ladislaum* puerum, contra regem *Poloniae*, commendat. Equites ordinis de *Calatraua* a voto castitatis papa liberos pronuntiat.

1442. Hegirae 846 init. 12 Maii. Concilium florentia *Romam* in Lateranum transfertur; formulam fidei papa prodit, cui inest infaustum carmen: nemo potest saluari, nisi qui in ecclesiae gremio et vnitate permanserit. *Alfonsus* Neapolin per aquae ductum occupat; *Renatus* in Galliam redit. *Eugenius indulgentias* promittit, vt pecuniam colligat. *Eugenii* bulla in *Hispaniam* missa, contra Iudaeos; ne cum iis christiani edant aut bibant; nec praeficiantur dignitatibus, nec habeant seruitia christiana. Victoria insignis de Turcis, per *Ioh. Huniadem* et *Ladislaum* regem; *Georgius*, quem *Scanderbegum* Turci dixerant, a patre olim cum 3 fratribus obses Turcis datus, cum Hunniade clam egerat; *Croiae* dominus fit, et baptizatur. *Eli-*

Christi. 1442. *Sabetha*, quam *Iulianus* cum Polono componere studebat, (veneno) moritur.

1443. Hegirae 847. d. 1 Maii. *Alfonsus* extorquet tandem ab *Eugenio*, quae *Felix* ipsi concesserat; itaque regnum *neapolit.* obtinet, confirmata adoptione. *Eugenius* indulgentias proponit iis, qui in bellum sacrum *Africanum* cum Lusitaniae rege iuerint. *Scanderbegi* praeclara militia aduersus Turcos; *Amurathes* pacem in decem annos init cum *Ladislao*. *Georgius*, Seruiae, stat pro Turcis contra christianos. Rex *Vladislaus* Hungar. ac Poloniae rex, inuitat Ruthenos, et *Podolicos*, ad vnionem ecclesiasticam; vsuros iisdem honoribus, quibus Latini. *Fridericus* 3 et alii agunt de concilio in loco tertio celebrando. *Alfonsus Tostatus*, episc. abulensis, ob thesin aliquam, apud Eugenium accusatus, apologiam scribit.

1444. Annus funestus, ob Turcorum victricia arma, licet magnus fuerit apparatus; *denarius* Petri per Poloniam in biennium &c. periit in pugna ad *Varnam Ladislaus* et card. *Iulianus*, qui inducias in X annos pactas ipse rescinderant; rescinderat Papa etiam iuramentum *Araniti*, principis in Epiro, misso sacrato vexillo. *Rhodus* contra *Aegyptios* et *Babylonios* Saracenos defensa. *Tatari* in Poloniam irruunt, a duce *Masouiae*, Boleslao, repulsi. *Corsica* insula per *Eugenium* administrari coepit; papa *Caroli* regis galliae filium, *Ludovicum* facit S. R. E. *gonfalonerium* seu signiferum, cum 15000 aureis; is exercitum ducit contra Basileenses; quibus *Heluetii* auxilio sunt. Ducatus *Luzelburg* per Fridericum traditur *Wilhelmo* Saxoniae duci; cuius administrator iam per Burgundos eiicitur. Conuentus a *Friderico* 3 *Norimbergae* habetur, ad componendum schisma; in *Polonia* fauent concilio basileensi. Prima sessio *lateranensis*; florentini concilii 31; vnio cum *Ignatio* patriarcha *Syrorum*; noua disputatio cum *graecis*. *Stephanus*, rex *Bosniae*, ab Eugenio donatur priuilegio iustorum natalium. *Ioh. Cuno* et *Sebast. Calbe*, improbant concursum ad cruorem *Vilsnacensem*; nec *Erfurtensis* academia fauet

Christi. 1444. fauet superstitioni. *Ioh. Vnsehilburg*, filesf. scribit de falsis miraculis.

1445. Hegiræ 849. d. 9 April. *Amurath*, qui in praelio votum fecerat, filio *Mahammed* imperium tradit. *Alfonsus* confirmatur a papa in regno neapolitano, intercedentibus sedulis conditionibus; et longa iuramenti formula. *Casimirus*, magnae *Lithuaniae* dux, caesi regis frater, fit rex *Poloniae*; *Hungaria* Ladislao postumo seruata, sub administratione Ioh. *Hunniadis*. *Pogiebrad* gubernator Bohemiae, per annos 26. Clarissis *burgunda* contra *Turcos* male rem gerit, latrociniis dedita. *Marcus Ephesius* vnionem cum romana ecclesia *captiuitatem babylonicam* appellat, quod similiter Lutherum fecisse obseruat hic *Raynaldus*. Eugenius *indulgentias* porro promittit, vt pecuniam colligat in Turcos; quia *pro vnione Graecorum* et *Armenorum multiplices expensas* exposuerit. *Chaldaeorum* in Cypro formula fidei ad Eugenium missa. *Aeneas Syluius* a *Friderico* ad Eugenium orator missus, veniam sibi expetit ob basileensia gesta; sed frustra aliud concilium in *Germania* postulabat imperator. *Eugenii* bulla ad inquisitorem *carcassonensem*, contra *Magorum* flagitia. Magna discordia inter Electorem Saxon. *Fridericum* et fratrem *Wilhelmum*, Landgrav- qui bohemorum vsus fuit auxiliis.

1446. Hegiræ 850. d. 29 Martii. *Fridericus* parum feliciter contra *Heluetios* bellum suscepit. *Eugenius* Aep. *colon.* et *Treuerensem*, ob basileense schisma gradu deiicere audet. Electorum inde *Francofordiae* noua consilia aduersus Eugenium: nisi restitueret aepp. et onera *Germaniae* tolleret, *Amadeum* sequendum. *Fridericus* secundum mittit *Aeneam* ad Papam. Concilium oecumenicum in Germania promissum a legatis papae Francofordiae; legati erant cardinalis *bononiensis*, Doctor *Nicol. de Cusa*, et *Ioh. Carvaial.* *Eugenius* vicarium Minoritarum Bosniae, aduersus *Hussitas* in *Moldauia* excitat; anathemate ferit *Franciscum Sforziam*, quem *Florentini* tuentur; in eos papa *Alfonsum* mittit, vt eos sibi subiiciat. Dux *Gloceſtriae*, regni per multos annos procurator, tandem laqueo

Christi. 1446. addictus. *Wilhelmus* Landgrav. Thuring. nuptias *Ienae* instituit cum filia *Alberti* caesaris, Anna. *Amurath* reuocatus ad imperium *Poloponnesum* occupat.

1447. Hegirae 851. d. 18 Martii. Romae ob Germaniam apostolicae sedi fere restitutam sacrae caerimoniae; *neutralitate*, quae valuerat inde ab anno 1438, iam abiecta; *Fridericus* publice *Nicolaum* pro papa habendum edicit. Papa concilium promisit (siue *Constantiae* siue *Argentinae*, siue *Moguntiae*, *Wormatiae*, *Treueri*;) cetera etiam, quae postulata fuerant. Dat indulgentias ad hostias *Wilcenacenses*, admista alia sacrata hostia, prout opus fuerit. Futurae post mortem suam electioni prospicit publico diplomate; sacramenta ab *Antonino* florent. aep. accepit; *Nicolaus* 5 ei suffectus, ex infima conditione; qui legatum misit ad conuentum ex omni fere *Germania*, *Aschaffenburgi*, vbi de decretis *basileensibus* recipiendis et *Nicolao* vero papa actum. *Nicolaus* excitat *Carolum* regem *Galliae* aduersus Antipapam. *Renato*, regi Sicil. papa indulget, vt lapidem marmoreum, in quo effigies Christi, a *Mariis* duabus olim allatum, loco moueret; *Iudaeos* quater per annum ad praedicationem audiendam adigeret. *Ioh. Capistranus* in *Fratricellos della opinione*, excitatus a papa. *Nicolaus* processionem corporis Christi, post *Vrbanum* 4, noua lege sancit. Papa per aep. Nicosiensem, in regno *Cypri*, *Rhodo*, &c. iubet *Graecorum* et *Armenorum* in concilio *Florentino* proditam vnionem, diligenter promoueri, quia *Graeci* et *Armeni* publice contradicebant. Responsum ad varias quaestiones ecclesiasticas, a *Transyluanis* Saxonibus ad Papam missas (*Raynaldus*). Moritur hoc anno *B. Coleta*, quae ordinem *Clarissarum* propagauit; de eius inepta συμπαθεια, (Christi omnes dolores experientia imitabatur, edocta etiam a Christo modum, quo passus esset in singulis membris &c.) *Ioh. Nider* lib. 4. c. 9. et *Raynaldus*. *Philippus*, dux mediol. *Alfonsum* haeredem scribit. Dux *Cliuensis Susatum*, a ciuibus inuitatus, defendit contra aepisc. *Coloniensem*.

Nico-

Chriſti. 1448. Hegiræ 852. d. 7 Mart. *Nicolai* ſanctio pro ſacerdotiis in Germania conſervandis, de annatis &c. fruſtra in *Galliam* mittit; ad conuellendam *ſanctionem* pragmaticam. Eius legatus, *Iohannes* cardinalis, in *Bohemiam* venit; renuit tamen *Rockyzanum* praeficere aepiſcopatui pragenſi; poſt legati, qui nihil peregit, diſceſſum, *Mainardus* a gubernatione deiectus &c. papa pleniſſimam indulgentiam promittit, ituris in bellum turcicum; in *Burgundia* tamen de indulgentiarum valore, de clauibus, et confeſſione diſputatum; itaque papa iniunxit aliquot epiſcopis (cabilonenſi &c.), vt illa nefaria dogmata opprimerent. Concil. eccleſiae gallicanae *Rotomag.* Sanctae *Barbarae* beneficio, (quam ſanguinem roſeum et virgineum ſponſo in memoriam reuocare petiit,) *Henricus*, gorcomenſis, aduſtus ex incendio ſeruatus, vt ſacramenta adhuc accipere potuerit; *Theodoric. Paulus* de *Gorcum*, apud *Surium* et *Raynaldum*, lepidum miraculum narrat, qui *Henrici* confeſſarius fuit. Arx munitiſſima *Armeniae* a chriſtianis ipſis prodita *Caramano.* Bellum in *Sueuia.* *Sforția* mediolanenſes oppugnat. *Iohannes* palaeol. moritur; ſucceſſit, poſt aliquas turbas, fratrum maior, *Conſtantinus.*

1449. Hegiræ 853. d. 24 Febr. *Felix* cedit papatu, cardinalis iam *Sabinenſis;* legatus per *Sabaudiam*; coactus a *Friderico*, *Carole* galliae, et aliis regibus; eius Cardinales, vt inſtar iuris non deeſſet, *Nicolaum* eligunt, et *Lauſanenſem* ſynodum ſoluunt. *Stephanus*, *Woiwoda*, ſocer regis *Bosniae*, Stephani Thomae, ob *Manichaeismum*, cum aliis proceribus prouinciae et religioſis anathemate a Papa percutitur; idem vetat, *Latinos* graecorum ritus adſciſcere. *Amuvathes*, ob diſſidia Chriſtianorum iactauerat, *Petri* ſe baſilica pro ſtabulo propediem vſurum; ingens et cruentum praelium in campis *Coſovae*, e quo tandem recedere coactus *Hunniades*, capitur a *despota Walachiae.* Papa confirmat neophytos ex Iudaeis, Mauris &c. ad omnes dignitates admittendos eſſe; idem *Iubilaeum* indicit in futurum annum. *Anglorum* res in Gallia, poſt violatas inducias, peſſum eunt; in pa-

Chriſti. tria variae turbae. *Alberti*, brandeb. bellum
1449. contra *Norimbergenſ* indictum d. 2 Iul.
1450. Ad iubilaeum *Romam* ingentibus turbis homines e
Hegirae variis gentibus confluunt; acceſſit *treuerenſis*
854. d. aep. (qui condendae *Treueris* academiae facultatem impetrauit;) dux *Cliuiae*, *Albertus*, frater
14 Febr Caeſaris, (quem Papa ſacrato gladio cinxit) &c. Proſpectum et iis, qui vrbem adire non poterant, prorogatis indulgentiis; *Hungaris*, *Polonis*, (qui a *Tartaris* timebant.) Ex collecta *pene infinita argenti copia*, (Manettus ſic ipſe deſcripſit, in vita Nicolai) papa Iubileos, inuſitatos aureos, feriri iuſſit. *Aeneas* Romae nuptias, inter *Fridericum* et *Leonoram* luſitanam futuras, indicat. Papa *Hunniadem* abſoluit a duris conditionibus, quas promiſerat deſpotae *Raſciae*. Mittitur legatus a Papa in *Germaniam*, *Nicolaus* de Cuſa; qui ſequenti anno easdem indulgentias germanis promiſit, eidem legatio in *Bohemiam* addita. Papa noua mandata ad Nicoſienſem aep. mittit, quia *Chaldaei* in Cypro Lateranenſem vnionem abiecerant; idem ordinem S. *Iohannis Hieroſolymitani* arctius circumſcribit, in veſtibus &c. et reſcindit vel foedera, a magiſtro ordinis cum *Turcis* inita. *Amurathes*, ſub *Croiae* moenibus, cum obſidio non ſuccederet, mortuus eſt; (*Phranza* mortem, ex vini copia, in annum ſequentem differt;) ſucceſſit *Mahomet* 2. Diſſidia inter *Rhodienſes* equites et *Alfonſum*, cum hic arcem in inſula portus cauſſa inſtauraret, quam ei pontifex conceſſerat. *Academia barcinonenſis* inſtituta, ad inſtar *Toloſanae*. Patriarchatus *gradenſis* translatus *Venetias*. Angli *Normannia* omni eiecti; paulo poſt etiam Aquitania. *Monſtrantia*, (in vitro pellucido panis *azymus*,) primum per Nicolaum cuſanum ad Misnenſes caerimonias accedit, *Fabric.* Compoſita diſſidia inter Fratres, *Wilhelmum* Landgr. et Electorem, abſente (in peregrinatione romana), *Vizthumo*, per *Frideric.* brandeb. et Landgrav. Haſſiae.

1451. Poſt mortem Amurathis *patriarcha* latinograecus Conſtantinopolitanus loco motus fuit; papa ineptas litte-

Christi. 1451. litteras ad imperatorem graecum mittit, quibus ei multa exprobrat, et vnionem antea renouari postulat, quam Graecis auxilia mitti possint. *Raynaldus.* Epistola ecclesiae *Constantinopol.* ad *Bohemos* pro mutua vnione; promissi Bohemis viri docti. Amplissimis *indulgentiis* propositis papa *Cyprum* a Turcis defendere studet; alias indulgentias in *Castellae* prouincias mittit, pro iis, qui ad redimendos a *granatensibus* christianos stipem contulerint; *alias* iis dedit, qui cum Ioanne rege Castellae in bellum granatense iuerint, aut tres aureos (ducentis marabutinis constare ipse definiuit,) contulerint. Eius diploma *contra Iudaeos;* ne vsuras a christianis sumant &c. aliud diploma contra relapsos in *Iudaismum,* e clericis aut ordinibus; aliud mandatum ad *Hugonem Nigrum,* Franciae inquisitorem, in magos, blasphemos, *quarveristas* &c. Finis belli inter Anglos et Gallos. *Indulgentiae* pro reficiendo templo *Xantonensi. Sforzia* Mediolanum occupat, inuitis *Venetis.* Papa confirmat academiam *Cadomensem* (cui rei iam 1450 *parisina academia* obstitit;) nouam in *glascuensi* vrbe excitat. *Aeneas Syluius,* agit cum *Georgio Podiebrad,* in conuentu Bohemorum; postea cum *Thaboritis,* sed parum feliciter, disputat. Missus *Ioh. Capistranus* in Bohemiam, promissae *indulgentiae* illis qui eum concionantem audirent. Disputat cum *Ioh. Rockizana,* de vsu calicis. Inuitatur hic *Iohannes* a rege Poloniae, vt polonos, lithuanos, Russos erudiat. Pax inter *Albertum* et Norimbergenses. Prohibentur, parisiis in Facultate artium, festa cum *minis* seu instrumentis altis, tapetibus et breuibus, seu habitibus dissolutis, animum scholarium distrahentibus.

1452. *Friderici* 3 aduentus in Italiam, cum coniuge, postumo *Ladislao* et *Alberto* Austriaco; Romae (non Mediolani) accepit a papa coronam ferream; tum imperialia insignia. Hunc imperatorem parum laudat *Antoninus,* qui caerimoniae interfuit; idem sentit et *Langius* in chronico *cizensi.* In oratione, quam habuisse fingunt duodecennem *Ladislaum,* papa dicitur, *in terris deus, regum rex*

Christi. 1452. cex, non in spiritualibus tantum &c, *Aeneas* creatur nuntius per *Boheniam*, *Siesium*, *Moraviam*, Aquileg. et *Salisburg.* dioeceſin. *Friderico* in Germaniam reuerſo eripitur per *Auſtriacos* Ladislaus; quem *Vlricus*, *Ciliae* comes, educat. Papae vanum diploma contra illos coniuratos. Nicolaus *Cuſanus* apud Auſtriacos et *Bohemos* parum proficit. *Alfonſo*, *Luſitano* regi conceſſae a papa omnes prouinciae, quas Saracenis poſſit eripere; aliis promiſſae *indulgentiae* plenariae *omnium et ſingulorum peccatorum*; ſi quos mori contingat in itinere contra Saracenos, reſtituuntur *innocentiae* baptismate partae. Academiae *pariſinae* reformatio per omnes facultates hoc anno abſoluta, *Bulaeus* p. 552 ſeqq. (lectu et hodie digna.) In *Anglia* atroces turbae aduerſus regem ſuſcitatae. Lites *Chriſtiani*, *Danorum*, et *Caroli Suecorum* regis, ad papam delatae; bellum continuatur. Papa *Ioanni*, regi Cypri ad inſtaurandos Nicoſiae muros, dimidiam auri vim attribuit, quod ex *indulgentiis* in Gallia colligebatur. *Genuenſes* ſollicitant *Alfonſum*, vt *Conſtantinopolin* contra Turcos iuuet. Papae mandatum, aduerſus clericos concubinarios. Rex *Alfonſus* filium *Ferdinandum* mittit aduerſus *Florentinos*. *Fridericus*, palatinus, bellum *Moguntini* aep. &c. propulſat, et comitatum *Lizeſtein* occupat; pari fortuna per ſequentem annum vſus.

1453. Hegiræ 857. d. 12 Ian. *Conſtantinopolis* a *Turcis* occupata; Graecorum nuntios, qui auxilium flagitarent, non exaudiuit papa &c. (*Antoninus*); in foederis cum romana eccleſia renouationem cardinali *Iſidoro* iuſto ſerius conſenſerunt graeci. Praeficit papa *Raguſinum* aep. legatum claſſi minus veloci; vrbs ante occupata, quam claſſis *Euboeam* appelleret. Epiſtola cardinalis *Iſidori* de vrbis euerſione, apud *Antoninum* et *Raynaldum*. *Nicolaus* crucem in Turcos, et *indulgentias* prodit, principes omnes per baptismum hortatus; decimae imperatae; nec tamen vel Italiam pacare papa potuit vel voluit. *Sindon* tamen, qua Chriſti corpus in ſepulcro inuolutum, ex *Cypro Camberium* ablata,

ne

Christi. 1453. ne Turcis cederet. In *Hispania* quidam monachi indulgentias praedicant, pro *salute damnatarum animarum* In *Anglia* continuae turbae per ducem *Eboracensem* &c Romae coniuratio in pontificem, per Stephanum *Porcarium*. *Nicolaus* graecos libros post *Constantinopolin* captam conquiri iussit; librarios graecos et latinos ad transscribendum annuis stipendiis conduxerat &c. *Manettus* in vita Nicolai. *Ladislaus* postumus pragae coronatur.

1454. Hegirae 858. d. 1 Ian. Conuentus *ratisbonensis*, cui et *Philippus*, burgundus, interfuit; decretum sacrum in *Turcos* bellum; indicitur alius conuentus *Francofurtum*; vtrique legatus papae interfuit. *Aeneae* Syluii facundia in vtroque praecipue spectata; sed vana fuerunt consilia. *Ladislaus* rex *Huniadem* creat capitaneum contra Turcos; *Alfonso*, Lusitaniae regi, papa tribuit barbarica regna; totam *conquestam*, a capitibus de *Bonador* per totam *Guineam* &c. intercedit inuidia *Castellani* regis Iohannis; ei mortuo, mense *Iulio*, succedit filius *Henricus*. Continuatur bellum inter *Christiernum* et *Carolum*, in Normannia. *Prussiae* nobiles et communitates ordinem Teutonicum, ob tyrannidem, auersati, ad *Casimirum* regem *Poloniae* se conferunt; vnde graue bellum; *Casimirus* sacrum argentum e calicibus &c. colligit; papa *Nicolaum Cusanum* in Prussiam legatum mittit, qui nihil promouit. *Nicolaus* legem cardinalis Latini *ostiensis*, in Gallia Cisalpina, contra luxum in vestitu muliebri olim latam, rescindi iubet, quia nullus animarum fructus secutus fit.

1455. Hegirae 860. d. 11 Decemb. Conuentus apud imperatorem in *Austria*, ob bellum turcicum; contentio de praesidentia et inter haec consilia oriebatur. Pax in Italia per papam confirmata; *Athenas* Turci occupant; ius *Lusitanicum* in Africam papa amplificat nouo diplomate. Moritur *Nicolaus*, succesit *Calixtus* (Callistus) 3, (*Bessarione* tandem reiecto,) qui votum nuncupauit, pro recuperanda Constantinopoli; statim per orientem et occidentem legatos eius rei causa misit. Classi suae praeficit Aep. *Tarraco-*

Christi. 1455. *raconenſem;* indulgentiae *crucem* ſumentibus datae. Noua diſſidia in Italia; *Alfonſus* rex contra *Genuenſes* bellum gerit; a papa ad filium nothum regnum deuolui flagitat. Papa nouo mandato in *Satisburgenſi* dioeceſi clericos a Laicorum iudiciis defenſum it: *Treuirenſis* aep. et quidam alii auctoritatem pontificis in *Germania* labefactarant, niſi *Aeneas Syluius* obſtitiſſet. In *granatenſes* bellum ſacrum inſtaurat papa, indulgentias promittens *tribus aureis*, vel CC morabetinis. *Vincentius Ferrerius* ſanctis adſcriptus. *Conrad* a *Kauffungen* aufert Electoris Sax. filios, *Erneſtum* et *Albertum.*

1456. Hegirae 861. d. 29 Novemb. Cardinalis *Atanus* legatus papae in *Franciam*, ad decimam colligendam et *cruciatam* praedicandam, in Turcos; litteras indulgentiarum publicari vetat rex *Carolus;* conſentit tandem in decimas Cleri. *Alfonſus Aragon.* in Italia in *Senenſes* et Papam bellum inſtaurat; *Genuenſes* regem *Angliae, Portugalliae* &c. in Turcos excitatum eunt; eos *Alfonſus* vellicat. Turcorum claſſis in Hungaria vincitur; magna victoria a Turcis ad *Albam* graecam reportata, *Ioh. Capiſtrano* duce per cruciferos; (*Aeneas Syluius* gloriae cupidum Capiſtranum reprehendit; *Raynaldus* defendit.) *Fridericus* 3 aliique reges fruſtra a papa ſaepius admoniti de bello turcico; papa *campanas* iubet ter quotidie pulſari, ad preces contra Turcos, et indulgentias promittit; crucem in Hungariam mittit, in praeliis geſtandam. Aep. *moguntinus* ad concilium prouocat. Papa regem *Aethiopiae*, Zara Iacob, in Turcos excitat. *Ioh. Hunniades* moritur; paulo poſt etiam *Ioh. Capiſtranus.* Papa *Podiebradium* rogat, vt *Rockyzanam*, cuius magna ſit reputatio, *Romam* mittat. *Aeneas Sylvius* inter cardinales receptus. *Antonius Viſiguanus*, qui negauit immortalitatem animae, ieiunia &c. ſpreuit, Brixiae in carcere ſibi gulam fregit. Horribilis terrae motus per regnum *neapolitanum.* *Caſimirus*, rex polon. a *Philippo* Burgundo, *gedanenſibus* expetit libertatem mercandi in Hollandia et Seelandia (cod. diplom. Polon.).

Con-

Christi. 1457. Hegiræ 862. d. 19 Nov.

Continuata vana Papae consilia contra Turcos. In Hungaria atrocia dissidia, ab *Viricum*, Ciliae comitem, occisum; Huniadis fil. *Ladislaus* vltionis caussa et ipse occisus, *Matthias* in carcerem coniectus. Bellum inter *Fridericum* 3 et *Ladislaum* Hungar. regem, Moritur *Ladislaus* (veneno. Rex Bosniae *Stephanus Thomae* in Turcos excitatus; missus quaestor facer in *Macedoniam* a papa, qui *Scanderbegum* aduersus Turcos adiuuaret. *Paulus*, aep. *Croiensis*, papae nuntius sacrae militiae per Macedon. et Seruiam, deficit a latina ecclesia. Papa sacrae militiae nuntios mittit ad regem *Poloniae*, Daniae et Sueciae, ad duces Saxoniae &c. *Germania* queritur de continua auri sacri extorsione; papa se excusat *Friderico* 3. *Electores* quidam aduersus papae auctoritatem (in electionibus, reseruationibus &c. *grauamina nationis germanicae*) consilia agitant, sine imperatore; (*Aeneae Syluii* epistolae, ad *Martinum Meyer*, cancellarium Mogunt. aep. inuenustae sedulitatis plenae;) papae litterae ad aep. Moguntinum, *Theodoricum*; ad *Treuerensem*, *Colon.* &c. *Carolo* 7 Galliae mittit *rosam auream*, vt eum excitaret e libidinibus; *Clerus* etiam in Gallia negat aurum decumanum, prouocat ad concilium, cum academia *parisina* &c. Papa approbat *Caroli* regis *Sueciae*, electionem, quae studiis aep *upsalienſis* promota fuit, ob ordinis ecclesiastici oppressionem. Aep. ipse exercitum duxit. *Christiernus* tribus regnis praeest *Vssum Chassan* a papa in *Muhammedem* excitatus, per minoritam, *Ludouicum*; qui et *Georgianos* adiit. Papa etiam *Drusos* suscitat. *Henrico*, Castellae et Legionis, regi, mittit mysticum munus ensis et pilei sacrati; misso *Alfonso Spina* concionatore, 300000 ducati collecti. Festum *Transfigurationis* domini in monte *Thabor*, institutum, d. 6 Augusti in memor. victoriae ad *Albam* graecam; cum *indulgentiis*. *Osmundus*, ep. Sarisber seculi XI, in sanctos relatus; *indulgentiae* promissae iis, qui eius tumulum visitent cum donis. In dioecesi *Brixiensi* &c. haeretici, qui *traditiones* et concilia abiiciunt; ideo mandatum

Christi. 1457. datum papae. *Reginaldus Peacok*, episcopus Lancestr. haeresin defendit; (vid. *Oudini* dissertatio tomo 3. pag. 00.) Academia *Gryphiswaldensis* a *Wratislao* pomeraniae duce anno 1456. condita, d. 18 Octobr. inauguratur. *Michael Apostolii* προσφωνητικος ad *Fridericum* 3. (apud *Freherum*). Hoc anno in *Misnia* primum percussi *grossi* gladiati, 28 unum florenum.

1458. Hegirae 862. d. 8. Nov. *Matthias*, Huniad. fil. fit rex *Hungariae*, *Georgio Podiebradio*, (qui rex *Bohemiae* eligitur,) denunctus gener; papa sub anathemate vetat, inducias cum Turcis iniri; queritur papa, nec ad Bohemiae nec ad Hungariae regem se antea in consilium adhibitum; cum sint peculiarius regna S. Petri. Formula iuramenti, quod *Georgius* dicitur clanculum edidisse, apud *Raynaldum* exstat. *Genuenses*, metu *Alfonsi*, regi *Galliae* se dedunt; moritur *Alfonsus*, regum optimus; relicto Neapolitani regni haerede filio notho *Ferdinando*, cui papa obstitit, qui feudum ad rom. eccles. devolutum esse decreuit; contra spurium alii Renatum andegau. alii *Iohannem*, regem, Alfonsi fratrem, malebant. In *Portugallia* dux *Braganzinus* aepiscopum bracarensem, fornicatorem &c. exagitat. Lis ecclesiae *lugdunensis*, quae aduersus *rothomagensem* a papae legato non iunabatur, ad tribunal regis delata, indignante papa. Moritur *Callistus* 3, sub eius cubili 150000 aurei reperti; successit *Pius* 2. obiit *Iohannes*, rex Cypri, Hierosol. et Armeniae, qui *Helenae*, palaeologae, administrationem rerum permiserat; itaque *latinus ritus* in *Cypro* desinit; filius spurius, *Iacobus*, aep. nicosiensis, muhammedanorum armis regnum *Carolae*, Iohannis filiae, (cuius maritum, *lusitani* regis filium, Iohannem, *Helena veneno* interemisse dicitur, ex odio in *latinum ritum*;) ademit. In Anglia seditio aduersus *Heinricum* regem sedata; sed et instaurata. Componitur controuersia inter regem *Bohemiae* et electorem Saxoniae, de quibusdam oppidis, *Egrae*.

Papa

Christi. 1459. Hegirae 864. d. 28 Oct.

Papa ad conuentum *Mantuanum* proficiscitur anni initio; ob *Silesiorum* querelas contra *Podiebradum* mittit legatos in *Bohemiam*; paulo post etiam *Wenceslaum*, doctorem iur. can. administratorem Aep. pragensis, qui *Rockysanam* non potest eiicere. Moritur hoc anno *Antoninus*, aep. florentinus; qui, inter plures scriptiones, summam historicam, tribus partibus, et *summam theologicam* reliquit; etiam *summam confessionis* &c. Papa *Mantuae* hortatur ad bellum contra *Turcos*; queritur de *pragmatica sanctione*, quam legati Gallorum fortiter defendunt. Rex Angliae praelio victus capitur; dux *eboracensis* regiam dignitatem ambit. Academia *basileensis* condita. *Renati*, andegau. filius Iohannes, dux *Calabriae*, regnum *neapol.* classe inuadit; papa fauet *Ferdinando*. *Ludouicus*, bauar. qui imperatoris litteras publice proscideret, proscribitur; per regem Bohemiae in gratiam reducitur. *Adolpho Holsatiae* et *Slesuicensi* duci, succedit rex Daniae, *Christiernus*.

1456. Hegirae 865. d. 17 Oct.

Wilhelmus, Landgrau. Thuring. iter sacrum in *Palaestinam* suscepit cum comitibus nobilibus 98 Papa condemnat *appellationes* a papa *ad concilium*; (*Labbei* concil. tom. 13. p. 1801, incipit bulla: *execrabilis et pristinis temporibus inauditus* &c.) procurator generalis *Parlamenti* parisiensis appellat concilium vniuersale, contra papam, pro defensione *pragmaticae sanctionis*. Dux Austriae, vt obstaret *commendarum* abusui in terris suis nouo, Cardinalem *Cusanum*, cui papa *brixiensem* ecclesiam tribuerat, festo paschatis in carcerem mittit, e quo non exit, nisi grauibus conditionibus. Dux a Papae excommunicatione *appellat concil. generale*; vsus opera *Gregorii* de *Heimburg*. *Casimirus*, rex *Poloniae*, reiicit, denominatum a papa episcopum *cracouiensem*, et ius suum fortiter tuetur. Nomine patriarchar. *alex. antioch. Hierosolym. Senas* legatio accedit, *Mose* quodam, austriaco archidiacono, interprete, qui promittunt papae, *concil. florentinum* ab ipsis accipi. Veniunt et legati principum plurium *Orientis Romam*, ob commune bellum

Christi. 1460. contra Turcos. Moritur *Iacobus* 2, Scotiae; succedit filius maior, *Iacobus*, non sine turbis; Rex Bohemiae *Podiebrad*, vt papae placeat, eiicit *Manichaeos*, qui baptizari nolebant; exules recedunt in *Bosniam* ad regem *Stephanum*. *Bessarion* in *Germaniam* mittitur, turcici belli causa, qui nihil proficit; *Genuenses* contra Gallos rebellant.

1461. Hegirae 866. d. 6 Oct. Regina Angliae vincit ducem Eboracensem, et comitem Waruicensem; victa postea in Scotiam se confert; dux Ebor filius nomine *Eduardi* 4 coronatur. *Thomas Palaeologus*, e Peloponneso, Romam venit, cum capite S *Andreae*. *Catharina* Senensis 1380 mortua, canonizatur. Papa aepisc. moguntinum, *Dietherum Isenburgicum*, excommunicat, qui ad *concilium generale* appellat; a pluribus in defendenda natione germanica adiutus principibus; papa opponit per capitulum *Adolphum nassov.* Impostor *Franciscanus* patriarcham alex. et legatum Presbyteri Iohannis se fingit. *Carolus* 7 galliae rex, fame moritur, venenum veritus; succedit *Ludouicus* XI; papae studia contra *pragmaticam sanctionem* felicius iam succedunt; Romae ob *abolitionem* publica laetitia; rex sacrum gladium pretiosis lapidibus ornatum accipit; resistit academia et parlamentum fortiter. *Carola*, regina *Cypri*, perdit hanc insulam. *Ioasapho*, patr. Cstpolitano, expulso, succedit *Marcus*; huic *Simeon*; trapezuntius, auro emta dignitate. Aduocat papa *Scanderbegum* contra *Andegauensem*; cuius exercitus vincitur.

1462. Hegirae 867. d. 25 Sept. Papa negat legatis *Podiebradii* confirmationem articulorum basileensium; itaque nuntius papae in Bohemia in carcerem mittitur. *Podiebrad* imperatorem *Fridericum* liberat ex obsidione fratris *Alberti*; imperator igitur istum regem apud papam iuuat, et eius 2 filios imperii principibus addit. Turbae in regno *Castellae*; *Dominicani* et *Franciscani* disputant de *sanguine Christi*, cum separatus fuerit a corpore, vtrum etiam a diuinitate fuerit seiunctus; eam quaestionem nec papa *Romae* componere audet. Hoc anno natus

Ioh-

Christi. *Ioh. Trithemius.* Papa vel Burgundum ducem
1462. excitat contra aep. moguntinum. Moguntia occupatur ab *Adolpho* per proditionem.

1463. Turci *Bosniam* inuadunt, (regni titulus inde ab anno
Hegiræ 1357 inualuit;) *Matthias*, rex Hungariae, obsi-
868. d. det *Iaiſſam*, eius regni vrbem praecipuam; ante-
15 Sept. quam a Turcis occuparetur, corpus S. *Lucae* Franciscani *Venetias* apportant, vnde lites *Paduanorum;* qui isto thesauro iam diu gloriabantur. In *Gallia liga boni publici* oritur, aduersus regis consilium. *Alfonsus*, portugal. bellum in *Africa* gerit; successus prosperi *Ferdinandi* neapolit. *Isidoro* patriarchae latino constantinop. Romae mortuo, succedit in isto nomine *Bessarion.* Moritur *Blondus Flauius.* Studium vniuersale *Friburgi*, in *Brisgauia*, institutum per *Albertum*, austriac. Pestis crudelis per Thuringiam. Moguntina causſa composita.

1464. Papa retractat ea, quae scripserat de concilio *basi-*
Hegiræ *leensi*; (*Aeneam* reiicite, *Pium* recipite;) inter
869. d. strenuum apparatum belli turcici *Anconae* mori-
3 Sept. tur; succedit *Paulus* 2, qui praestitum iuramentum in articulos designatos seruare renuit. *Fridericus* reddit tandem *sacram coronam* Hungariae, *Matthiae*, foedere inito. Rex Galliae cedit *Mediolanensi* duci ius suum in *Genuenses*. Moritur Cardinalis *Cusanus*, qui multis libris inclaruit; tam *theologicis*, de mysteriis, (metaphysικωτερως); de docta ignorantia; de filiatione dei; de concordantia catholica; epistolae ad *Bohemos* &c. quam mathematicis, geometricis; contra Alcoranum &c. Moritur *Cosmus Medices. Friderico*, placido, succedit in Electoratu *Ernestus. Carolus Cnut* a Suecis reuocatur.

1465. *Ferdinandi* (cui *Muhammed* 2. largiter multa promi-
Hegiræ serat,) neap. legati Romam adeunt; paulo post
870. d. autem dissidia intercedunt, ob annuum argen-
23 Aug. tum. Rex Castellae *Henricus* deiicitur, *Alfonso* substituto; papa *Henrico* fauet. Anceps praelium inter regis et confoederatorum copias. In Anglia dissidium *Eduardi* et comitis *Varuicensis Henrico* prodest. Moritur *Laurentius Valla*, quem *Alfonsus* neap. tuitus fuerat.

Chriſti. 1466. *Podiebrad* rex Bohem. a papa excommunicatur; pax inter *Polonos* et ordinem *Teutonicum* poſt bellum 14 annorum. *Franciſc. Sforzia*, mediol. moritur; ſuccedit filius. *Leodienſes* a *Burgundo* ſubacti. *Plauenſis* Baro ab Electore ſaxoniae terris exutus. Magiſter ordinis *teuton.* victus pacem cum *Polonis* init; cedit *Mariaeburgo*, *Elbinga* &c.

1467. Hegiræ 872. d. 2 Sept. Moritur *Georgius Caſtriota*, ſeu *Scanderbeg*; et *Philippus* dux Burgundiae; ſucc. fil *Carolus*. Papa fruſtra ſollicitat publicam abolitionem ſanctionis pragmaticae, per legatos in Galliam; intercedit appellatio ad *concilium* generale. *Eremitae Franciſci* de Paula. *Bohemi* coronam *Caſimiro* polono, et poſtea *Matthiae* Hungariae, offerunt; qui arma ideo mouet. Comitia *Norimbergenſia* in cauſa *Bohemiae*. *Fridericus* voti cauſſa *Romam* adit. *Leodienſes*, qui Epiſcopum obſederant, a Burgundo ſubacta; naſcitur *Eraſmus*, roterodamus.

1468. Hegiræ 873. d. 22 Iul. Moritur cardinalis de *Turre cremata*; Papae ſtrenuus defenſor, aduerſus concil. *baſil.* et *Marcum Epheſium*; multa ſcripſit, theolog. polemica; in Pſalmos, in Epiſtolas *Pauli*; pro reuelationibus *Brigittae* &c. pleraque inuenuſto ſcribendi genere vſus. *Alfonſus*, frater regis *Caſtellae*, moritur, itaque plerique rebelles ad *Henricum* redeunt, *Iſabella* tamen, ſoror, ſimul haeres aſſumitur. Turbae bellicae in Gallia continuae per artes Cardinalis de *Balua*; Papa magnificentiſſimos ludos inſtituit; quod cardinalis *papienſis* parum probat, Epiſt. 281. Suſcitatur *Matthias* contra regem *Bohemiae*, a legato papae. Immanis *Leodienſium* vaſtatio.

1468. Hegiræ 874. d. 11 Iul. *Matthias* a *bohemis* catholicis rex acceptatur; idem fit dux *Moraniae*; *Podiebradi* et imperatoris ſtudiis opponitur *Ladiſlaus*, filius *Caſimiri* polon. Cardinalis a rege Galliae in carcerem coniicitur, qui papa ſedulitatem in auertenda quaeſtione domeſtica nihil curat. Calendis Auguſti *Ludouicus* XI. inſtituit ordinem S. *Michaelis*. *Votum Muhammedis* 2, pro exſtirpando chriſtiano nomine; *Eduardus* feliciter e cuſtodia elabitur; bellum itaque feruet, inter fautores *Henrici*, qui

Christi. 1469. qui et *Ludouicum* XI. in partes trahunt, et *Eduardum Ferdinandus*, aragon. *Isabellam* castellanam ducit.

1470. Hegirae 875. d. 30 Iun. Restituitur rex Angliae *Henricus*; Papa *Matthiae* precibus hoc dat, vt neget *Ladislao* confirmationem regni *bohemici*; bulla *iubilaei* edita, per annos XXV iam agendi. *Ludouicus* XI. decernit bellum contra ducem *Burgundiae*. *Carolus* 8, Sueciae rex, moritur; cui *gubernatoris* nomine, (quia regis offendebat) succedit *Steno*. *Iacobus*, Scotiae rex, *Annam* danicam ducit; dotis loco *Orcades*. Rebellio *Adolphi* contra patrem suum *Arnulfum*, ducem *Geldriae*; *Philippus Cominius* caussae componendae praeficitur a duce Burgundiae. *Parisiis* ars typographica hoc anno exercebatur; *Veneti* classem *Papae* et *Ferdinandi* neap. auxiliis, in Turcos mittunt. *Friderico*, march brandeb. (sub quo foedus haereditarium Landgrau. *Thuring*. et *Hassiae* initum) succedit frater *Albertus*.

1471. Hegirae 876. d. 20 Iun. Conuentus *Ratisbonensis* de bello in Turcos consultantium; lites de praecipuae sedis honore inter electores et legatos *Burgundi*; census initus, quantum ad publicam militiam conferendum sit; sed nihil tandem confectum. Moritur *Paulus* 2, qui paulo ante inuestierat ducem *Ferrariae*; succedit *Sixtus* 4. Moritur, *Ioh. Rockyzanus*, presbyter Hussitarum, d. 22 Febr. et 22 Martii *Georgius Podiebrad*, inter reges *Pragae* sepultus; succedit *Ladislaus*, *Casimiri* poloni regis filius. In *Hungaria* querelae et turbae, aduersus *Matthiam*, ob nimias exactiones, ita vt coronam aliqui *Casimiro* 2, filio poloni regis minori obtulerint. *Eduardus* redit in Angliam, per fororis suae coniugem, ducem Burgundum, adiutus; *Henricus* iterum in turrim includitur; in praelio perit comes *Warvicensis*; Henricus in carcere occiditur. *Alfonsus*, portugalliae rex, bellum in *Africa* feliciter gerit. Moritur *Dionysius Rickel*, *carthusianus*, qui et in SS. et in *theologiam* mysticam, scholasticam, moralem, atque de disciplina ecclesiastica multa scripsit. Mortuus etiam *Tho-*

Christi. 1471. *mas a Kempis*, (*Malleolus*, Hemmerlein,) canonicus regularis. *Dionysius* abit a patriarchatu Constantinopolitano, postquam offenderat in concilio, falsum esse, quod de ipso iactabant aduersarii, quod circumcisus fuerit. *Simeon* successit, qui aliquot per annos tantum auri colligere non potuit, quantum *Turci* solebant postulare. Venae metallicae *Schneebergenses* aperiuntur; e quibus *decimae* vsque ad 1501 vltra L milliones redierunt. Annales *Corbeienses* Tomo 2. *Leibnitii* hoc anno sic finem faciunt: deus misereatur *Corbeiae*; vti pietas et doctrina ordinem nostrum exaltauit: *ita luxus et socordia eumdem depressit.*

1472. Hegiræ 877. d. 8 Iun. Papa ob bellum turcicum mittit cardinalem Aquilegiensem in *Germaniam*, et ad componendas lites inter regem Hungariae atque *Bohemos*. *Bessarion*, legatus in *Galliam*, ob parum feliciter rem gestam, paulopost moritur. Cardinalis *Borgias* legatus in Hispaniam, auxilia contra Turcos quaesiturus. *Vssum Cassan* Rex Persarum, cum ingenti exercitu contra Turcos profectus, communi consilio Venetorum, Papae &c. *Patricii Grani, noui* aepisc. S. Andreae, legatio in Scotiam, a nobilibus terrae fortiter impeditur. Fundatio academ. *Ingolstadiensis*, (sicut in vniuersitate *Athenienſi*, *Bononienſi*, *Viennenſi*,) chronic. *Bauar.* Mortuo duce *Viennae*, frater rex Galliae, non stat sanctae cum *Burgundo* paci; ad regis partes *Philippus Cominius* accedit, relicto burgundo. Rex a papa postulat *concilium* generale. *Saganensis* ducatus a ducibus Saxoniae emtus, (qui 1549 ad Bohemiae regnum rediit, ab electore Mauritio,)

1473. Hegiræ 878. d. 28 Maii. Classis *Mocenigo* duce *Turcos* oppugnat. Mortuo *Iacobo*, qui *Cyprum* occupauerat, aepiscopus *Cypri* consilia agitat, regni, quod sub Venetorum tutela erat, ad se transferendi, *Ferdinandi* neap. filium spurium *Carolottae* (*Iacobi* spuriae), sponsum negotio immiscens, titulo principis *Galileae*. *Concil. prouinciale* in Hispania, pro *reformam-*

Christi. 1473. *manda* clericorum turpi vita. *Riarius*, papae nepos, Italiae legatus, immanes sumtus in epulas effundit; (*papiensis* cardin. in Epistolis reprehendit.) *Joh Iuuenalis* de *Vrsiniis*, aep. Rhemensis, moritur; (auctor est historiae Caroli 6 a. 1381-1422.) *Geldriae* ducatus ad Carolum burgundum transfertur. *Treuiris* agitur de nuptiis burgundicae et Maximiliani sic, vt *Carolus* burgundus regio honore augeri vellet.

1474. Hegiræ 879. d. 18 Maii. *Christiernus*, rex *Daniae*, cum nobilibus pluribus religionis caussa *Romam* peregrinatur. *Burgundi* ducis, illa olim ingentia consilia, de regno et imperio, iam in fumum abierunt; tuetur partes *Ruperti* palatini, qui aepiscopatum *Coloniae* petebat, contra *Hermannum*, Hassum, cui capitulum et imperator fauebat. In comitiis *Augustanis* frustra imperator proscribit *Fridericum* palatinum, qui filio fratris electoratum auferret. Rex Galliae foederibus contra *Burgundum* dat operam. Pax inter *Matthiam*, (cui cedit *Morauia* et *Silesia*, et *Ladislaum*, qui retinet *Bohemiam* et *Lusatiam*. Moritur *Henricus* 4 rex Castellae; magnae oriuntur turbae, ob successionem *Isabellae*, coniugis Ferdinandi aragon. Constantinopoli eiicitur patriarcha *Simeon*, cum homo rudis et turpis, *Raphael*, plus argenti aulae promitteret. Foedus galli, ducis Austriae et *Renati*, lotharingi, cum *Heluetiis*, contra Burgundum.

1475. Hegiræ 880. d. 7 Maii. *Iubileum* 25 annorum Romae celebratur; ei *Catharina* regina *Bosniae* &c. interfuit. *Caffa*, genuensibus erepta per Turcos. *Albertus*, *Friderici* ducis Saxon. fil. *Bohemi* regis, *Georgii*, filiam ducit vxorem. *Auenionensis* sedes honores *metropol.* a papa nanciscitur. *Alfonsus*, rex *Portugalliae*, partes *Iohannae* Castellae haeredis, adiuuat, eamque vxorem ducit. Foedus regis *Galliae*, etiam cum *Eduardo*, qui a bello, pro Burgundo, auertitur. Dux *Burgundiae*, vt Mediolanensem ducatum posset occupare, bellum infert *Suitensibus*. Festa memoria *Caroli* M. restituta a rege Galliae. Redit *Dietherus*, Isenbur-

Christi burgicus, post *Adolphum* mortuum, ad Aepiscop.
1475. moguntinum Capite plexus *Ludouicus*, lucenburgicus, connestabilis Franciae. Fabula de occiso a Iudaeis *tridentinis* puero sancto *Simon.*

1476. Romae pestis, *Tiberis* inundationem secuta, grassatur; moritur *Ioh. de regio monte*, *Georgii Burbachii*, discipulus, qui a papa vocatus fuerat, ad emendationem *cycli paschalis.* Bulla papae cum indulgentiis pro solenni sacro *die conceptionis* immaculatae S. Mariae, cum *nouo officio.* Rex Galliae nouis decretis de *concilio generali* admonet; et *Roma* venientes in Galliae finibus antea excuti iubet, vt constet, quid litterarum secum ferant. *Burgundus* a *Suitensibus* bis victus, ad Granson ium et ad Moratum. Dux *mediolanensis*, reiecto foedere burgundico, iam gallicum init; *Renatus*, andegau. ingrati burgundi consiliis perspectis, etiam cum rege Galliae iungitur; *Muhammed* a *Stephano* Woiwoda magna clade afficitur, licet et *Tartaros* excitasset.

1477. Exercitus *burgundicus* caesus a *Renato Lotharingico*, etiam dux burgundus interfectus, rex Galliae *Ludov.* Burgundiam, sibi subiicit; *Maria*, burgunda nubit *Maximiliano*, filio imperatoris. *Casimir.* polon. causas *Gedanenses* ad imperatorem et papam porro *per appellationes* deferri vetat. cod. diplom. polon. tomo 4. *Matthias Hungaricum* titulum *Friderico* imperatori extorquet; de qua re grauius *poloni*, mitius *Hungari*, narrant auctores. *Matthias Nicolaum* ep. *Varmiensem* in suam protectionem suscipit; cod. diplom. *polon.* tom. 1. Papa confirmat acad. *Ingolstad.* etiam *tubingensis* academia hoc anno instituitur, in dioeces *constantiensi.* Ducatus *Nouogrod* a *Iohanne* Moscouiae, occupatur. *Alfonsus*, lusit. e sacro itinere, *Ludouici* regis, qui eum in *Castella* recuperanda non adiuuerat, diligentia, retrahitur. *Veneti*, qui bellum soli tolerare longius non poterant, pacem cum *Turcis*, vt possunt, ineunt. (*Marini Barletii*, scodrensis, descriptio expugnationis *Scodrae.*) Nuptiae *Maximiliani* et *Mariae* burgund. mense Iulio; frustra iusto serius, *Ludouico* eam rem per *Rob. Gaguinum*, impedire conante;

Hegirae 881. d. 25 Apr.

Hegirae 882.

Chriſti. nante; (vid. hiſtoriae Franc. *Gaguini* librum X.)
1477. Carmen in *Sixti* IV. honorem (*Lucubrationes tiburtinae*) a *Roberto Flemingo*, anglo, ſcriptum, Romae typis exit.

1478. *Vſſum Caſſan* moritur; ſuccedit fil. *Iacobus*. *Eduardus*, Angliae, fratrem *Georgium* e medio tollit;
Hegiræ in dolio maluatico mori eligentem. *Florentiae*,
883. d. papae *Sixti* 4, auſpiciis infandis, *Pazzorum*, in
4 April. nouam *Mediceorum* familiam, tetra coniuratio, ingentes turbas excitat; aepiſcopus *Piſanus*, laqueo e feneſtris ſuſpenditur. *Ludouicus Aureliae* conuentum publicum indicit, pro reſtitutione *Pragmaticae* ſanctionis, et *annatis* abrogandis, et ad *concilium generale* contra Sixtum prouocat; edita etiam vehementi conſtitutione aduerſus *ſcandala a Papa* illata. Papa de *concilio* ſtudioſiſſime confingit; negat alius eſſe, quam pontificis *rom.* iudicare de *neceſſitate concilii*. Papae *obedientiam* negarunt Galli, *Veneti*, *mediolanenſes* &c. ideo nuncios ad *Fridericum* imp. miſit, vt Ludouicum ab iſtis conſiliis abducere vellet; (*commonitorium* Sixti apud *Bzovium* ad a. 1479.) Nec hilum papa profecit in iſta alia cauſſa Germaniae; cum *Landgrauius Haſſiae* aepiſcopum *colonienſem Rupertum* in vincula coniecit, quibus immortuus fuit. Nec melius magiſter *teutonicus* obſequium papae praeſtitit; *inquiſitionis* tribunal in *Caſtellam* introductum (laudat *Mariana*, lib. 24, c. 17.) *Caſimirus*, quem cum filio *Ladislao*, in Matthiae gratiam, papae nuntius *Wratislauiae* ſacris interdixerat, queritur de iſta iniuria. De monacho *Hermaphrodito* in Aruernia, hoc anno narrant, qui pepererit. *Ioh. Weſſelus*, Moguntiae damnatur; in carcere monaſterii paulo poſt obiit. *Trithem.*

1479. *Genua* e Mediolanenſium poteſtate exit, creato duce
Hegiræ Bapt. *Fulgoſio*. Bulla papae verboſiſſima, qua
884. d Aep. *Rigenſem*, Silueſtrum, liberari iubet; ma-
25 Mar- giſtro ordinis et fratribus, quorum ſcelera re-
tii. cenſet, excommunicationi ſubiacentibus. (cod. diplom. *Poloniae* tom. 5.) Bellum inter *Ludouicum* et *Maximilianum* varia fortuna geſtum.

Christi. 1479. *Iohanni*, Arragoniae, succedit filius, *Ferdinandus*, Castellae iam rex; pax inter *Lusitan.* et *Castellae* reges. Moritur *Iacobus*, Piccolominaeus, *papiensis* cardinalis; episc. tusculanus, *Commentariis* et Epistolis frugiferis satis clarus. *Turci* in *Transiluania* a *Stephano Bathori* victi; bellum tantum non nouum inter *Matthiam* et imperatorem. Conuentus *Matthiae* et *Ladislai*, *Olomutii*; vtraque pars retinet sua, tandem ad regnum *Bohemiae* adiicienda. *Articuli pacis* per oratores conclusae tom. 1. cod. diplom. *Polon.*

1480. Hegirae 885. d. 13 Martii, Turci *Rhodum* oppugnant, defenditur a Magisto ordinis *Petro Albussonio*; miracula non defuerunt; (*Bernardus Breitenbach* inter auctores rerum turcicarum a *Clausero*). Alia Turcorum classis *Hydrunto* occupato multum terrorem Italiae incutit; Papa eo facilius tandem pacem *Florentinis* concedit; legatis tamen pro foribus Basilicae Petri, vt decebat, viritim *virgis* non nihil antea verberatis. Cardinalis *Baluas* post vndecim annos e carcere dimissus a *Ludouico* rege; qui iam ex *Heluetiis* stipendiarium militem assumsit. Floret *Nicolaus* Heluetius, qui solitariam vitam, relicta re domestica et familiari, elegit; corporalis cibi nihil sumere solitus per multos annos; litterarum omnium expers, scripturae tamen eximiam intelligentiam habuisse dicitur. Papa, mortuo Silueſtro, alium Aep. *vigensem* creat, amoto *Magistro* ordinis a ciuitate *vigensi*; codex diplom. *Polon.* tom. 5. (*Nauclerus*, *Trithem.* in chronico *Sponheim.* Moritur dux andegau. *Renatus*, titulo regis Neapolitani, et Aragoniae vsus, relicto haerede nepote, *Carolo*, duce *Calabriae*, comite *Cenoman.* *Ioh. Dlugossus*, *Longinus*, e can. *cracouiensi*, Aepisc. iam *Leopoliensis*, moritur. *Sixtus* intercedit litibus de *annulo* b. *Mariae* nuptiali; anuli historiam, vt par est, magnifice scripsit *Ioh. Bapt Laurus*, perusinus, protonotar. apostol. in *commentario* 1622 excuso. *Ernestus*, elector Saxon. *Romanum* iter sacrum suscipit;

Sixtus

Christi. 1481. Hegiræ 886. d. 2 Mart. *Sixtus* litteras publicas per Europam scribit, quibus ad pacem aut inducias per triennium hortatur, vt in Turcos sacra expeditio eo facilius parari possit. Rex Anglus *spreta auctoritate pontificis* Scotiam infestat. *Muhammed*, quem *Phranza* linguae *graecae, latinae, chaldaicae* et *persicae* peritum fuisse scribit, moritur; succedit *Bajazet*, filiorum maior; minor *Zemus*, (*zizim.*) *asiaticum* imperium vano conatu arripit; *Rhodum* se confert; eum frater multis impensis aureorum millibus quasi captiuum inter Christianos tenuit, pace, hac conditione, *Rhodiensibus* promissa. Legationem turcicam, reliquiarum Constantinopolitanarum catalogo fultam, *Ludouicus* rex dicitur terris suis prohibuisse. *Veneti*, in quos plerique *Italiae* principes coniurasse videbantur, Papae censuras *appellatione ad Concilium* eludunt. Papa *noua officia* multa instituit, quae magno vendebantur auro. *Matthias*, omissa turcica expeditione in imperatorem bellum instaurat. *Alfonsus*, lusitan rex moritur, qui bibliothecam ex optimis libris in propriis aedibus dicitur instituisse. Successit filius *Iohannes* 2; mortuo *Christierno*, Daniae, succedit filiorum maior *Iohannes*. Moritur *Franciscus Philelfus*; Bartholom. *Platina*.

1482. Hegiræ 887. d. 2 Febr. cemb. Papa *Bonauenturam* seraphicum in sanctorum catalogum scribit; caerimoniae interfuit *Eberardus* comes *Wurtemberg*. qui sacrum iter Romam fecit, donatus *rosa aurea*. Moritur *Maria*, burgunda; liberi, *Philippus* (qui vix quinquennis *Belgio* praeficitur;) et *Margareta* patri subtracti, a *Gandensibus*; tandem haec, vix trimula, in *Galliam* mittitur, *Carolo* delphino, nuptura. *Ludouici*, regis, mira et inusitata studia pro vita proroganda; reliquiae, (*linteum*, quo vsus in celebranda eucharistia Petrus fuerat, Roma missum; ampulla rhemensis; *virga Aaronis* &c.) remedia noua, vel infantum sanguis &c. *Franciscum* de S. Paula, fundatorem ordinis *minimorum*, genibus flexis suscepit; (*Comminius*, *Gaguinus*, verbosissime describunt;) *Leodiensis* episcopus a *Guilielmo* Arembergio, gallicis auxiliis, inter-

Christi 1482. interemtus. Bellum *granatense* incipit contra *Mauros*, decem per annos gestum. Regem Ferdinandum papa iuuit, promisso e sacerdotiis sacro auro, (C. millia aureorum) et *cruciata* prodita, quae *veniam* peccatorum secum ferret; *tertio* quoque anno id beneficium repetitum. Mortuo *Maximo*, patriarcha Constantinopolitano, creatur *Niphon*; qui, ob suppositum contra fiscum turcicum haeredem, paulo post deiectus fuit; tandem *Dionysius*, qui 1471 abierat ab ista sede, restitutus; vtrumque *Bzouius* ad annum 1489 fauisse Florentino pacto tradit. *Moguntina academia* a *Dithero* aep. instituta; cui paulo post mortuo succedit *Ernesti* Sax. fil. Albertus, biennio post et ipse mortuus. *Halberstadienses*, qui *Ernesto* magdeburg. aep (ipsorum episcopo etiam designato) parere noluerant, ab eius patre expugnantur; clero ius eligandi episcopi ablatum. (Fabricius). Papa *Stephanum*, aep. Rigensem, creat legatum et commissarium per *Livoniam*, aduersus *Ruthenorum* inuasiones; cod. diplom. polon. tomo 5.

1483. Hegiræ 888. d. 9 Febr. Moritur *Eduardus* IV. Angliae rex, cum vindictae studebat, ob irritas filiae cum delphino, cui pacta erat, nuptias; succedit *Eduardus* filius maior, a *Richardo*, *tertio*, oppressus; qui fratris filios nothos esse iactabat; eius legatos Galli non admiserunt. Mortuo *Francisco* Phoebo, *Nauarrae* regi, succedit soror *Catharina*, quae spreto Hispaniae infantulo nupsit *Ioanni Alebret*. Moritur, qui ne nomen quidem mortis pati solebat, *Ludouicus* XI, multorum vitiorum consuetudine celebris, sed dominandi artium non imperitus; succedit filius *Carolus* 8, sub tutela. *Genuenses* aduersus ducem *Baptistam Fulgosum*, auctore Ludouico *Auria*, et Paulo, aepiscopo, rebellant; ei deiecto succedit Aepiscopus; priuatus ille iam libris scribendis dat operam; nec locum non habuit, patrui perfidiam satis acerbe perstringendi. Papa *templum pacis*, post bellum *ferraricum*, Romae condit. Controuersiae de *conceptione Mariae*, et de *sacris stigmatibus* Catharinae senensis, inter *Dominic.* et *Franciscanos*. *Hussitae* pragen-

Christi. 1483. pragenſes ſub *Ladislao*, (quem *Kranzius* idolum ſine vita dixit,) turbas publicas aduerſus monachos &c. ſuſcitant. Naſcitur *Martinus Lutherus*, Islebiae d. 10 Nouembris.

1484 Hegiræ 889. d. 28 Ian. *Ioh. Balua*, legatus in Galliam, non ſine magna difficultate, admittitur; procurator regis queſtus, nullam eſſe neceſſitatem legati mittendi; atque ſi opus erat, alium mittendum in quo eſſet ſapientia, pietas &c. Papa *maioris poenitentiarii auctoritatem* definit; ineptas lites *canonicorum* regul. *Lateranenſium* et *Eremitarum* ordinis Auguſtini compeſcere non poteſt; (nempe de *Auguſtini habitu et pictura*, inſtitutione ordinis;) paulo poſt moritur, ſuccedit *Innocent.* 8. qui *Venetos* ſacris reſtituit, et bellum turcicum legatis et epiſtolis promouere ſtudet; atque inuenuſtiſſima bulla *Inquiſitionis* facultatem in omnes ſagas, magos, incuborumque conſuetudinem, latiſſime extendit. Moritur *Caſimirus*, regis *Caſimiri* polon. filius ſecundus, cum magna pietatis laude; is miraculorum cauſſa 1521 a *Leone* ſanctis adſcriptus. *Ordo* monialium, in honorem *conceptionis* bened. virg. inſtituitur *Toleti*, per virginem luſitanam, *Beatricem* a *Silua*; *Iacobus Canus*, luſit. regnum *Congi* nauigando detexit; rex Congi poſtea chriſtianum nomen admiſit. In Anglia coniuratio contra *Richardum* detecta; florent in *Italia*, Ant. *Sabellicus*, Marſil. *Ficinus*, Hermol. *Barbarus*, Ioh. *Picus*, mirandul. &c.

1485. Hegiræ 890. d. 18 Ian. *Leopoldus*, qui inde a ſeculo 12 miraculis claruiſſe dicitur, e Marchionibus Auſtriae, in ſanctos relatus; Papa parum feliciter bellum aduerſus *Ferdinandum*, neap. decernit; paulo poſt tamen compoſitum fuit. Noua officia per papam inſtituta, quae certo pretio vendebantur; *Matthias* Viennam fame ad deditionem compulit, ſtatus enim *germaniae* negabant in priuatum Imperatoris bellum publica auxilia &c. Aep. *Colocienſem* ſex omnino annis in carcere tenuit, quicquid tandem papa admoneret. *Henricus*, comes Richemondiae, a *Carolo*, galliae, adiutus, inuadit *Richar-*

Christi. 1485. *Richardum* regem; eoque in praelio occiso, ducta *Elisabetha*, filia *Eduardi*, nomine *Henrici* VII. coronatur; *sudor anglicus*, foedum morbi genus grassatur sub hoc tempus. *Diuisio* Saxoniae, inter Electorem *Ernestum*, et fratrem *Albertum*.

1486. Hegirae 891. d. 7 Ian. 892. d. 28 Dec. *Maximilianus* rex romanorum creatus; (descriptio apud *Freherum* tomo 3. p. 17.) moritur *Albertus*, brandeb. *Achilles* dictus; *Ernesto* Saxon. mortuo, succedit *Fridericus*, sapiens dictus; de *pace publica* Francofurti in istis comitiis actum; quam *Suevicum foedus* postea magis confirmat; *Societas Clypei* S. Georgii. Semina discordiarum inter *Maximil.* et *Carolum* 8. succrescunt. Moritur *Ioh. Minuerton*, carmelita, professor *oxoniensis*, qui in episcoporum vitia arrogantius invectus Romae per triennium in carcere vixerat; moritur Romae *Georg. Trapezuntius*; initia belli inter *Bajazetem* et Aegyptium Sultanem.

1487. Hegirae 893. d 17 Dec. Conuentus Norimbergae; *clerus Germaniae* reiicit *decimas* a papa impositas; appellatio a processibus in dioecesi *constantiensi* iam mandatis, ad melius informatum pontificem. Seditio in *Flandria*, quia cum gallis pacem malebant, quam bellum, quod *Maximilianus* moliebatur; *Caroli* foedus cum *Matthia*; a *Carolo* petebat *Matthias Zizimum*, vt maiorem Turcis metum inciteret; sed Papae, eodem consilio, iam promissus fuit. Libellus *nongentarum conclusionum Ioannis Pici*, mirandulani, papae decreto damnatus. Promontorium *bonae spei* primus transmisit Barthol. *Diacius*, lusitanus nobilis; inde fere continuo ordine terrae atque insulae antea incognitae deteguntur. *Albertus*, dux Saxoniae, a *Friderico* in Austriam inuitatur, vt eam aduersus *Matthiam* defendat.

1488. Hegirae 894. d. 5 Dec. *Maximilianus* a brugensibus in custodiam positus; papae anathema, per aep. *Colonien̄sem* promulgandum, impauidus auertit Caroli, regis, aduocatus; *Maximil.* post menses aliquot liberatus. Titulus *Archiducis* Austriae *Philippo* Maximil. filio datus, vt eo magis affinitati *hispanicae* idoneus videretur. *Genuenses*, pertaesi Pauli *Fulgosi*,

Chriſti. 1488. *goſi*, *Mediolanenſibus* ſe ſubdunt. Scoti in regem ſuum, *Iacobum* 3, inſurgunt; ei occiſo ſuccedit *Iacobus* 4, filius.

1489 Hegiræ 895. d. 25 Nov. *Bajazeti* legatio in *Gallias*, pro impetrando *Zizimo*; ſed hic *Romam* abductus fuit; anathema papae in *Ferdinandum*, neapol. ſpurium, rebellem &c. Pax inter *Carolum* et *Maximilianum*. *Philippus Comminius* quarta parte bonorum multatus, quia cum duce *Aurelianenſi*, Ludouico, conſilia illicita inierit. Veneti *Cypro* potiuntur, regina *Catharina* Venetias abducta *Baptiſta Hiſpaniolus*, ordin. carmelit. deſcribit aedem *Lauretanam*. Guineae regulus, *Bemoin*, auxilii quaerendi cauſſa in *Luſitaniam* venit; baptizatur cum aliis nobilibus; cum nauibus XX in patriam, contra hoſtes fratres, reſtituendus, occiditur a *Petro Vaſaco* de Acunha, duce claſſis. *Albertus* dux Saxon. ad belgium gubernandum miſſus, cum exercitu venit.

1490. Hegiræ 896. d. 14 Nov. Papa de bello aduerſus Turcos conſilia ſtudioſius agitat, verboſiſſimis admonitionibus, cruciatis &c. idem tamen papa promiſſum a Turcis aurum in alimoniam *Zizimi*, quoad vixit, accepit. Nempe opus erat *decimis* ad hoc bellum indicendis! Moritur *Matthias* Hungariae rex Viennae; ſunt, qui veneno a *Beatrice*, Ferdinandi neap. filia, coniuge, eum exſtinctum ſcribunt; *Ladiſlaus*. Bohemiae rex, aliis tandem praelatus. Papa fraternitatem *miſericordiae*, Romae, in honorem S. Ioh. Baptiſtae decollati. inſtitutam, approbat; fulmine et apoplexia ipſe paulo poſt tactus. *Helmſtadium* ab Abbate *Werdenſi* venditur *Wilhelmo*, duci brunſuicenſi. *Monaſterii*, in Weſtphalia, ſchola elegantioris doctrinae inſtituta per Epiſcopum, ex conſilio Rudolfi *Langii*; praeceptoribus, *Murmellio*, *Caeſario*, *Buſchio* &c.

1491. Hegiræ 897. d. 3 Nov. *Carolus* remiſſa filia *Maximiliani* *Annam* britannicam ei praeripit; iſta *Margareta* ceſſit tandem *Iohanni*, Ferdin. et Iſabellae, filio. *Henrico* Anglo in Galliam profecto, quaſi vindicandi *Maximiliani* cauſſa, ſupponitur per Caroli Burgundiae olim ducis relictam, Margaretam Anglicam, homo,

qui

Christi. 1491. qui personam *Richardi* eboracens. ducis, filii *Eduardi* IV, imitatur; laqueo tandem vitam finiit. Ex *Lusitania*, cum quibusdam nobilibus ex Congi regno, dominicani quidam *missionarii* in hoc regnum mittuntur. *Hermolao Barbaro*, patricio Veneto, oratori reipublicae a Pontifice patriarchatus Aquileiensis confertur; sed senatus eum hoc honore, legum tenax, prohibuit.

1492. Hegirae 898. d. 23 Oct. *Granatam* expugnauit *Ferdinandus*, ipso anni huius initio; papa in bellum hoc quotannis LXX M. aureos suppeditarat. Dictum Granatae promulgatur, vt Iudaei, qui nollent baptizari ex regno exirent; christiani prohibiti per Thomam *Turrecrematam*, inquisitorem, Iudaeos victu aut vlla re porro adiuuare. Plures quam LXXX M. dicuntur discessisse familiae; alii in Africam, Lusitaniam, Italiam &c. se contulerunt. *Parisiis* Ioannes Anglesius sacramentum sacerdoti e manu extorquet, pedibusque calcat; lingua excisa combustus; e *Waldensibus* eum fuisse putant, contra quos e *Delphinatu* exstirpandos, *consentiente rege*, misit papa *Albertum Catanеum*, archidiac. cremonensem. Moniales *quercitenses*, in agro *cameracensi* a daemonibus vexantur. Romae publicae caerimoniae, ob pacem cum *Ferdinando* neapol. et ob inuentum, in ecclesia S. crucis, *titulum* S. crucis; atque ob receptionem *sacri ferri lanceae* Christi, quod orator turcicus secum attulit, cuspis tamen aberat, quam Gallia iam seruabat. Restitutio *Ruscinonis* et *Cerdaniae*, quae regi Ludouico ab Hispanis oppigneratae erant, adolescenti regi per Oliv. *Maillardum*, *Franciscum* de S. Paula, et alios, qui manium paternorum cruciatus ingerebant, persuasa. De futura Italiae clade, sub Ferdinando, liber tabulis plumbeis scriptus olim a *Cataldo*, aep. tarentino, et *Hieronymus Savonarola*, praedicit; hic iam 1489. publice *Apocalypsin* Florentiae explicabat. Moritur *Laurentius Medices*; ab eius obitu Franc. *Guicciardinus* historiae suae initium ducit. *Albertus*, dux Saxon. Belgii gubernator, a papa *pileum*, *rosam* et *gladium* accipit. Bellum ducum *brunsuicensium* aduersus

ciues

A. Chr.

ciues brunſuicenſes. *Erneſtus*, aep. magdeb. *Iudaeos* vrbe expellit. Moritur *Innocentius* 8; electus in eius locum *Alexander* VI, cuius virtutes a vitiis ingentibus ſuperabantur; in cardinalatu diligenter operam dederat liberis procreandis. *Caſimiro* polon. regi ſuccedit *Ioh. Albertus*, fil. *Nouus* orbis delectus.

1493 Hegiræ 899. d. 12 Oct. Rex *Carolus* ſollicitatur ad bellum neapolitanum, per exules neapol. et *Ludouici Mauri Sfortiae* impotenti adminiſtratione; licet hoc bellum paucis in Gallia probaretur. Moritur *Fridericus* imperator; ſucceſſit *Maximilianus*. Papa rogatus a Ferdinando donat Hiſpanis omnes inſulas et terras nouas, ducta linea a polo arctico ad antarcticum, &c. militarium ordinum magiſteria, S. *Iacobi*, *Calatrauae*, *Alcantarae*, ad regem iam nuper translata, etiam ad reginam extenduntur ab Alexandro. *Venae metallicae* plures exciſae, ad montes *Sudetes*, *Glashutae*, prope Dresdam, *Schrekenbergi* &c. *Nipho*, patriarcha Cpol. ſecundum, ſcribit ad *Ioſephum*, kiouienſ. metropolitam, vt vnionem *Florentinam* admittat.

1494 Hegiræ 900. d. 10 Oct. Moritur *Ferdinandus* neap. ſub ipſa belli initia; *Carolus* itineri in Italiam ſe accingit, nec papae minis territus. *Friderici*, Ferdin. neap. fratris parum fauſta belli aduerſus Genuenſes et claſſem gallicam auſpicia. Duciſſa *Sabaudiae* et *Marchioniſſa Montiſferrati Carolum* vel muliebri ornatu et auro commodato adiuuant. Papa inter alia trepidat, ob metum, ne eccleſiae *Carolus* correctionem prae ſe ferret; conſenſit, Carolum in vrbem *Romam* recipi. Fabula de *Iudaeorum* ſcelere, in Hungaria *Tyrnauiae* admiſſo, in adoleſcentem chriſtianum, alii cremati alii auro emuncti. *Ladislao*, rege in Hungaria verſante, *Huſſitae* eo facilius in *Bohemia* ſuccreſcunt; habent *Epiſcopum* ſuae partis, *Auguſtinum* aliquem. Moritur Ioh. *Picus*, mirandul. et *Angelus Politianus*. *Trithemio* lites de conceptione S. Mariae ſuſcitat *Wigandus* Caupo, ordin. praedic. *Philippus* dux belgii inauguratur. *Ordo poenitentium mulierum* ex proſtitutis, *pariſiis* incipit, in honorem *Magdalenae*, ex praedicatione *Ioh. Tiſſerandi*,

A. Chr.

vandi, ordin. minorum. Floret Gabriel *Biel*, et Bapt. *Mantuanus*.

1495 Hegiræ 901. d. 21 Sept. De misera *Alexandri* 6 conditione multa memoratu digna narrat *Comminaeus*. *Alfonsus* regnum neapol. in filium *Ferdinandum* 2 ad breue tempus transfert; regno *Carolus* potitur; ab eius virtute etiam *Turci* vehementer timuisse narrantur. Coeunt hispanus, imperator et alii ad defensionem, vt dicebatur, *S. Sedis*, aduersus *Carolum*, (aduersus Christum domini, applicat e Psalmo 2 *Spondanus*.) *Carolus* victor in pugna *Farnouiensi*, sed et *Veneti* eam suae parti tribuerunt. quia 55 iumenta sarcinaria abegerant. Morbus *italicus*, *neapolitanus*, *Hispanicus*, s. venereus propagatur. Mortuus est *Iohannes* 2 rex lusitaniae; succedit *Emmanuel*, patruelis. *Wormatiae* in comitiis supremum *camerae imperialis* iudicium, ex consilio aep. mogunt. *Bertholdi*, instituitur. *Eberhardus* fit *dux Wurtembergiae*.

1496 Hegiræ 902. d. 9 Sept. Restitutus in regno neapolit. *Ferdinandus*, rebus gallicis corruentibus; sed paulo post moritur; vxorem habuit amitam, patris sororem, ex *dispensatione papae*; successit *Fridericus*, patruus. qui ope *Gonsalui* Gallos toto regno penitus expulit. *Maximilianus* vano conatu in *Italiam* pergit. *Emmanuel*, quia nuptiae cum *Isabella* hispanica sic conditae erant, *Iudaeos* Lusitania eiicit; retentis iis, qui nondum aetatis annum 14 egressi erant; itaque non pauci simulant christianam religionem. Confirmatur Hispaniae regibus *Catholici* titulus. Moritur *Philippus Callimachus*, qui sub *Ioh. Alberto* in *Polonia* maximae fuit auctoritatis; etiam scriptis clarus. Mortuo *Brunone*, domino in *Quernfurt*, diuidunt regionem Aep. magdeburg. et dux Saxoniae Albertus. *Philippus* austriacus ducit *Iohannam* hispanicam.

1497 Hegiræ 903. d. 30 Aug. *Gonsalvus* salubria, sed et satis libere, papae suggerit, aduersus aulae et morum istam prauitatem; turbae *Florentinae*, cum Papa et *Veneti Petrum Medicem* vi restituere in ciuitatem, et eam Gallis subtrahere vellent. *Ludouicus* mediolanensis in *Sauonarolam* submittit Franciscanum contumelioſum. *Franciscus Ximenes*; aep. toletanus, *emen-*

A Chr.

emendando Clero suo dat operam, Rex Polonus infeliciter in *Walachiam* bellum mouet, a *Stephano*, Voiwoda, strenue repulsus; restituitur hoc fere tempore Cpoli patriarcha *Niphon*, deiecto *Maximo*; sed et ei paulo post *Ioachimus* suffectus fuit. Prima *comoedia* latina in Germania in honorem *Ioh. Dalburg*, episcopi Wormatiensis *Heidelbergae* acta, auctore *Ioh. Reuchlino*. *Philippus Melanchthon* natus, d. 16 Febr. *Iohannes* rex *Daniae*, remoto *Stenone*, a *Suecis* etiam admissus. A rege Iusitano *Vascus Gama* in Indiam orientalem hoc anno missus, naues auro plenas reducit post biennium.

1498 Hegiræ 964. d. 19 Aug. Moritur Rex Galliae *Carolus*; succedit dux *Aurelian*. *Ludouicus* XII. *Alexander* Caesarem Borgiam, filium, promouet. Contra *Hier. Sauanarolam* agitur. *Petrus* de *Aranda*, *indulgentias* spernit et purgatorium. *Maximiliano* Heluetii resistunt.

1499 Hegiræ 905. d. 8 Aug. Bellum *Baiazethi* cum *Venetis*; *Ismael Sofi* in Perside surgit. *Alexander* ad *Iubilaeum* inuitat. *Trithemii* Steganographia suspicionem Magiae suscitat. *Ioachim* elector brandeburg succedit Iohanni patri, per annos 36. *Toleti* academia instituta.

1500 Hegiræ 906. d. 28 Iulii. *Iubilaeum*, minori hominum concursu constat. *Roberti Gagnini* historia finit; auctorem *Trithemius* Italos alicubi superasse scribit. *Carolus*, postea imperator 5, nascitur. Noua classis Lusitanorum in *Indiam* ire iussa. *Brasilia* detecta &c. *Naucleri* chronicon finit; de *Lemlem*, falso Messia, narrant quidam. *Mediolanensis* ducatus, capto Sfortia, ad Gallos redit.

Finis Tom. III.

14212 270F
Sc5B Inv. 3
Scaliger, J. S.
Histor. Ecclesia

270F
Sc5B

14212